













ANNALIS.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

anno MDCCLXII.—MDCLXIII.

ETAT DE LA SOCIETE

DE L'ACADEMIE RHENO-TRAJECTINE.

THIRD EDITION REVISED AND ENLARGED.

## ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE,

Ann. MDCCLXII—MDCCLXIII.

2 5 4 1 1 2

\$ 675-

ACADEMIC LIBRARY - BRUNSWICK

THE CLOTHED IN - DISROBED IN

A N N A L E S  
ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE,


Ann. CCCCXXXII—CCCCXXXIII.

A D A M O   S I M O N S,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

THEODORO GERARDO VAN LIDTH DE JEUDE,


SENATUS GRAPHIARIO.



TRAJECTI AD RENUM,  
APUD IOANNEM ALTHEER,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

MDCCXXXV.





**HOC ANNALIUM VOLUMINE  
CONTINENTUR:**

*Nomina Professorum et Lectorum in Aca-  
demia Rheno-Traiectina.* §. I.

*Quaestiones ad certamen literarium A.  
ccccxxxii. propositae.* §. II.

*Series lectionum habendarum.* §. III.

*Series disputationum publice et privatim  
defensarum.* §. IV.

*Solennia.* §. V.

**ADAMI SIMONS, Oratio.**

Responsiones ad quaestiones propositas:

**TJALLING PETRI TRESLING,** *ad quaestio-*  
*nem Literariam.*

**GEORGI BROERS,** *ad quaestionem Bota-*  
*nicam.*

**IANI MATTHIAE LEENDERTZ,** *ad quaestio-*  
*nem Botanicam.*

**THEODORI ADRIANI VAN SCHERMEEK,**  
*ad quaestionem Medicam.*

I. Q. *Quae est natura et origo medicorum?*

II. Q. *Quae sunt causae et principia medicorum?*

III. Q. *Quae sunt principia medicorum?*

IV. Q. *Quae sunt principia medicorum?*

V. Q. *Quae sunt principia medicorum?*

VI. Q. *Quae sunt principia medicorum?*

AN-

# ANNALES

## **ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE.**

Ann. —lxxxxxcccicis—lxxxxxcccicis.

Inde a die xxvi. m. Martii A. cccccccc  
usque ad diem xxvi. m. Martii A. cccccccc  
in Academia Rheno-Traiectina docuerunt

*PHILOSOPHIAM THEORETICAM  
ET LITERAS HUMANIORES*

# PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE,

IOANNES HENRICUS PAREAU, *propter aetatis infirmitatem honorifice rude donatus,*

## ANTONIUS VAN GOUDGEVER,

**ADAMUS SIMONS, h. t. Acad. Rector,**

# JACOBUS CORNELIUS SWYGHUISEN GROENE-WOUD,

LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER, Prof.  
Extraordinarius.

MA-

**MATHESIN ET PHILOSOPHIAM  
NATURALEM**

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY,  
 GERARDUS MOLL,  
 IOANNES FRIDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER,  
 IANUS KOPS,  
 THEODORUS GERARDUS VAN LIDTH DE JEUDE,  
*h. t. Senatus Acad. Graphiarius.*

PETRUS IOANNES ISAACUS DE FREMERY,  
*Prof. Extraord.*

RICHARDUS VAN REES,  
 CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA, *Prof. Extraord.*

**THEOLOGIAM**

IODOCUS HERINGA, E. F.  
 GABRIEL VAN OORDT, *honorifice et ex voto  
suo dimissus,*  
 HERMANNUS BOUMAN,  
 HERMANNUS JOHANNES ROYAARDS.

**JURISPRUDENTIAM**

HERMANNUS ARNTZENIUS,  
 IANUS RICHARDUS DE BRUEYS,

Cor-

CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT,

ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS,

IANUS ACKERSDYCK, *Prof. Extraord.*

*MEDICINAM.*

IANUS BLEULAND, *propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus,*

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY,

BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN,

IANUS ISAACUS WOLTERBEEK,

IACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER  
VAN DER KOLK.

*LECTORES.*

SAMUEL NYHOFF, *Linguae Graecae,*

GERARDUS DORN SEIFFEN, *Literarum Hu-*

*maniorum,*

CAROLUS THOMPSON, *Literarum Anglicar-*

*rum,*

IUSTUS HENRICUS KOCH, *Linguae Germanicae.*

GEORGIUS CAROLUS VERENET, *Literarum Gallicarum.*

*MAGISTER ACADEMICUS.*

LAMBERTUS DE FRANCE, *Artis Gladiatoriae.*

## §. II.

Ad certamen literarium, singularum disciplinarum studiosis in Academiis et Athenaeis patriis, propositae sunt hae quaestiones:

**QUAESTIO LITERARIA.**

*Disputatio de vita Ciceronis literata, in primis ex eius epistolis ducta.*

**QUAESTIO PHYSICA.**

*Exponantur observationes Physicorum nostri temporis de directione atque in primis de inclinatione acus Magneticae in diversis terrae regionibus; atque, quid ex iis probabiliter colligi possit, ostendatur.*

**QUAESTIO BOTANICA.**

*Quaeritur, quid Botanici de variis plantarum gemmis atque de gémminatione universa observarint, et quid complures eorum, rationibus teleologicis innixi, hac re docuerint.*

**QUAES-**

## **QUAESTIO THEOLOGICA.**

*Quae in S. Libris, de Deo, hominum Patre, in primis de piis hominibus e Deo natis renatisque, uti et de Israëlitarum ac Christianorum virotheoria, habentur, ita exponantur, ut et praeципuorum sententia dictorum definiatur, et doctrinae divinitus patefactae praestantia demonstretur.*

## **QUAESTIO IURIDICA.**

*Diligenter colligantur et perspicue explicentur argumenta, quibus scriptores recentiores, Benthamus et post eum alii, mortis poenam impugnarunt.*

## **QUAESTIO MEDICA.**

*Quaderitur, quomodo febris intermittens apoplectica ab aliis morbis, cum quibus facile confunderetur, et symptomatibus et decursu distinguatur? Quaenam sint causae, in primis patriae nostrae propriae, e quibus ortum dicit? Quaenam sit morbi natura et ratio curandi?*

§. III.

## §. III. OUTLINE.

Lectionum in Academia Rheno-Traiectina,  
inde a die v. Septembris A. cccccccxxxii,  
usque ad ferias aestivas A. cccccccxxxiii,  
a Professoribus et Lectoribus habendarum,  
haec fuit formula:

In **FACULTATE PHILOSOPHIAE**  
**THEORETICAE ET LITERA-**  
**RUM HUMANIORUM,**  
docebunt

*Logicam*, atque *Anthropologiam* I. F. L.  
SCHRÖDER, die lunae atque saturni, hora IX.

*Doctrinam Metaphysicam* I.F.L.SCHRÖ-  
DER, die iovis, et veneris, hora II.

*Literas Latinas* A. VAN GOUDOEVER,  
diebus martis, iovis, veneris et saturni, ho-  
ra XI. interpretando cum Ciceronis libros de  
finibus, inde a libro III, tum Virgilii Aeneidos  
lib. XII.

*De optima cum puerorum instituendo-*  
*rum, tum Literarum Humaniorum docen-*  
*darum via disputabit* A. VAN GOUDOEVER,  
die saturni, hora XII. et I.

*Antiquitatem Romanam* A. VAN GOUD-  
OE-

**OEVER**, diebus martis, mercurii, iovis et  
veneris, hora X.

*Literas Graecas* tradet Ph. G. VAN HEUS-  
DE, interpretaturus cum *yitam Periclis Plu-*  
*tarcheam* diebus lunae et veneris, hora I.  
tum *Selecta Graecorum carmina*, diebus  
martis et iovis, hora II.

*Literas Hebraicas* I. C. SWYGHUISEN  
GROENEWOUD, cum interpretanda *Gram-*  
*matica*, tum *eius ut et Syntaxeos usu in*  
*legendis quibusdam V.F. capitibus historicis*  
*monstrando*, diebus lunae et veneris, hora II,  
martis et iovis, hora I.

*Literas Arabicas* diebus mercurii et satur-  
ni, hora VIII. I. C. SWYGHUISEN GROE-  
NEWOUD.

*Hermeneuticam Veteris Foederis* diebus  
lunae, hora XI. et saturni hora X.

Caeterum, si qui sint inter commilitones,  
qui in *Antiquitate Hebraica*, vel lectione V.F.  
*cursoria*, aut *Literis Aramaeis* se exercere  
gestiant, eorum pariter desideriis, quoad po-  
terit, satisfaciet libentissime, diebus lunae, mar-  
tis, iovis et veneris, hora VIII. I. C. SWYG-  
HUISEN GROENEWOUD.

*Historiam Gentium*, praesertim *Graeco-*  
*rum et Romanorum*, Ph. G. VAN HEUSDE,  
diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

*His-*

*Historiam literariam, cum Historia philosophiae conjunctam, Ph. G. VAN HEUSDE,* diebus mercurii hora XI et XII.

Futuris literarum doctoribus yacabit Ph. G. VAN HEUSDE, diebus iovis hora I.

*Praecepta styli bene Holl., A. SIMONS,* diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

*Literas Holl. et Eloquentiam, A. SIMONS,* diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ X.

*Historiam eloquentiae Holl. in primis sacr.* A. SIMONS, diebus martis, mercurii et iovis, horâ IV.

*Mythologiam Gentium Germanic. A. SIMONS,* diebus martis et veneris, horâ IV.

*Disputandi exercitationibus sermone vernaculo habendis, praeerit alternis hebdomadibus, die iovis, horâ IV. A. SIMONS.*

*Historiam Patriae vernaculo sermone, L. G. VISSCHER,* diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horis cum auditoribus constitutendis.

*Disputandi exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, diebus saturni hora I. alternatim Ph. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.*

I. H. PAREAU, quamvis honorifico, et propter senectutis infirmitatem, ac post diutur-

turnos labores Academicos, gratissimo otio, per optimi Regis benevolentiam concessso, frui cupiat, lubenter tamen, quantum maxime, Deo favente, poterit, studiosae juventutis commodis servire perget.

In FACULTATE MATHESEOS ET  
PHILOSOPHIAE NATURALIS,  
docebunt

*Elementa Matheseos*, I. F. L. SCHRÖDER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.  
*Stereometriam, Trigonometriam Sphaericam, adhibitam ad Astronomiam Sphaericam et Geographiam Mathematicam* I. F. L. SCHRÖDER, die veneris atque saturni, hora VIII.

*Elementa Matheseos mixtae*, diebus et horis auditoribus commodis.

*Collocutionibus de ratione docendi disciplinas Mathematicas* vacabit I. F. L. SCHRÖDER, hora postea indicanda.

*Geometriam describentem R. VAN REES*, diebus mercurii et saturni, hora IX.

*Calculum integralem R. VAN REES*, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XI.

Theo-

*Theoriam motus corporum coelestium*  
R. VAN REES, diebus lunae, martis, iovis et  
veneris, hora IX.

*Physicam experimentalem* G. MOLL,  
diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

*Astronomiae primas notitias* G. MOLL,  
diebus lunae, martis, iovis et veneris, ho-  
ra IX, vel alia, auditoribus magis commoda.

*Astronomiam theoreticam et practicam*  
G. MOLL, iisdem diebus hora III.

*Elementa Hydrotechniae*, ad praesentem  
conditionem Patriae applicata, si sufficiens  
numerus auditorum adsit, bellico sermone,  
exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

*Chemiam generalem et applicatam* N. C.  
DE FREMERY, diebus lunae, martis, mer-  
curii, iovis et veneris, hora XII.

*Chemiam artibus adhibitam* P. I. I. DE  
FREMERY, diebus martis horâ pomeridiana  
VI-VIII.

Iis, qui instituendis operationibus chemicis  
operam dare cupiunt, praeerit P. I. I. DE  
FREMERY, diebus saturni, horâ IX ad XI.

*Botanicam et Physiologiam plantarum*  
I. KOPS, diebus lunae, martis, iovis et ve-  
neris, hora X.

*Botanicam Historiam plantarum medi-  
ci-*

*cinalium et oeconomiarum* C. A. BERGSMA, diebus lunae et veneris, hora IX.

*Anatomiam plantarum* C. A. BERGSMA, diebus et horis Auditoribus commodis.

*Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus pra eerit* C. A. BERGSMA.

*Historiam naturalem Mammalium, Avium, Reptilium et Piscium exponet* TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE diebus lunae et martis, horâ XI. *Caeterorum autem animalium, vertebris carentium, historiam, duce* V. CL. I. van der Hoeven, diebus mercurii, eâdem horâ.

*Anatomiam comparatam tradere perget* TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die saturni, hora I.

*Mineralogiam et Geologiam* N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris, horâ XI.

*Oeconomiam ruralem* I. KOPS, diebus lunae, mercurii et iovis, hora I. saturni, hora XII, vel aliis diebus aut horis, auditoribus commodis.

Disputandi exercitationibus, die saturni, horâ I, alternatim pra eerunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis, singuli in partibus sibi demandatis.

## In FACULTATE THEOLOGICA;

*Encyclopaediam theologicam*, cel. Clariſſe epitomen ſeculus, exponet H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, hora X.

*Theologiae Naturalis historiam* tradere perget H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora X.

*Patristicam*, duce *Chrestomathia* ſua *Patristica* (Trai. ad Rh. 1831.), exponet H. I. ROYAARDS, die mercurii, hora II.

*Historiam Ecclesiae Christianae*, ad *Sacerorum* usque *emendationem*, tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora XI. et diebus mercurii, hora XII.

*Historiam dogmatum Christianorum a schismate Ecclesiae Graecae et Latinae* (ſeculo XI.) *ad nostra usque tempora*, narabit H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora II.

*Collocutionibus* cum *provectionibus de locis Historiae Ecclesiae et Dogmatum*, et cum *Theologiae Candidatis de Doctrina morum Christiana*, vacabit H. I. ROYAARDS, die iovis, hora XI et I.

*Disquisitionibus*, probationi academicae praeviis, vacabit H. I. ROYAARDS, die iovis, hora II.

*Critices sacrae initia* tradet H. BOUMAN,  
diebus mercurii, hora IX.

*Iesaiae vaticinia* explicabit H. BOUMAN,  
diebus iovis et veneris, hora XI.

*Epistolam priorem ad Corinthios* interpre-  
bitur H. BOUMAN, diebus lunae et martis,  
hora IX.

*Theologiam dogmaticam* docebit I. HE-  
RINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et  
veneris, hora XII.

*Collocutionibus de Theologia populari*  
vacabit I. HERINGA, E. F. die iovis, horis  
vespertinis a VII. ad IX.

*Disquisitionibus, cum proiectioribus insti-*  
*tuentis, probationi, sive academicae, sive*  
*ecclesiasticae, praeviis, singulares horas desti-*  
*nabit I. HERINGA, E. F.*

*Doctrinam morum Christianam, in primis*  
*officia Christiana et Asceticam* docebit H. I.  
ROYAARDS, diebus lunae, martis et mer-  
curii, hora I.

*Praecepta homiletica* tradet I. HERIN-  
GA, E. F. diebus lunae et iovis, hora VIII.

*Exercitationes oratorias sacras* modera-  
bitur I. HERINGA, E. F. die saturni, hora I.

*Officia doctorum et antistitum in Eccle-*

sia *Christiana* exponet I. HERINGA, E. F. diebus martis et veneris, hora VIII.

*Puerorum* doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes* habentibus *sacras*, praesides aderunt I. HERINGA, E. F. die martis, horâ I. H. BOUMAN, die lunae, horâ I. et H. I. ROYAARDS, die veneris, horâ I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, die mercurii, hora I. I. HERINGA, E. F. H. BOUMAN et H. I. ROYAARDS.

G. VAN OORDT, etsi suo rogatu honorifice a Rege dimissus est, libentissime tamen sua officia et consilia, quoad eius fieri possit, offert commilitonibus. *Orationes* sacras habentibus praeses aderit, diebus et horis, et sibi et commilitonibus opportunis.

In FACULTATE IURIDICA, docebunt.

*Institutiones* H. ARNTZENIUS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

*Pandectas*, Westenbergio duce, H. ARNTZENIUS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X.

*Ius*

*Ius Belgicum, ad ductum linearum Iur. Civ. Holland. descriptarum a Cl. N. Smal- lenburg, I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.*

*Encyclopaediam iuris I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, hora X, mercurii et veneris, hora XI.*

*Elementa Oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.*

*Ius Naturae C. A. VAN ENSCHUT, die- bus mercurii, iovis et veneris, hora X, duce Haus.*

*Ius publicum et gentium C. A. VAN EN- SCHUT, diebus mercurii et veneris, hora XI, et iovis, hora VIII.*

*Ius Criminale universum et Belgicum C. A. VAN ENSCHUT, diebus mercurii, iovis et veneris, hora IX.*

*Iuris Romani Historiam secundum sua Lineamata (Leodii apud Desoer 1830.) A. C. HOLTIUS, diebus mercurii, iovis et veneris, hora I.*

*Iura Mercatura et Maritima secundum Franco-Gallum Codicem A. C. HOLTIUS, diebus lunae, martis et saturni, hora IX.*

*Historiam gentium recentiorum politi-  
cam*

*eam* tradet I. ACKERSDYCK, diebus lunae, hora X. martis, iovis et saturni, hora XII.

*Rerum publicarum, in primis patriae, notitiam* tradet I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XII.

*Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeerunt Professores in facultate iuridica.*

### In FACULTATE MEDICA, docebunt

*Anatomiam* I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

*Physiologiam* I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ VIII. matutinâ.

*Anatomiam Pathologicam*, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ Auditoribus commodâ.

*Dissectionibus cadaverum Anatomicis*, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

*Pathologiam* exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

*Doctrinam de cognoscendis et curandis ho-*

*hominum morbis* I. I. WOLTERBEEK, quater, hora XII.

*Therapiam generalem, et apparatus medicaminum, exponet* I. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

*Pharmaciam, vernaculo sermone,* N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis, hora II.

*Examen aegrotantium et Semeioticam,* I. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio Academico, hora X.

*Institutionibus clinicis morborum internorum* vacabit I. I. WOLTERBEEK, singularis diebus, in Nosocomio Academico.

*Praxin chirurgicam* tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

*Operationes chirurgicas demonstrabit* B. F. SUERMAN, tempore hiemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

*Institutionibus clinicis in arte chirurgica,* quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

*Theoriam artis obstetriciae* I. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis et veneris, hora IX.

*Institutionibus obstetriciis, in primis prac-*

*practicis, in Nosocomio habendis vacabit*  
**I. I. WOLTERBEEK.**

*Medicinam Forensem tradet N. C. DE FRE-  
 MERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII,*

*Disputandi exercitationibus, alternis heb-  
 domadibus, Professores in Facultate Medica  
 praeerunt.*

**I. BLEULAND**, licet propter aetatem ho-  
 norifice rude donatus, commilitionibus, qui  
 explicationem accuratiorem speciminum Ana-  
 atomicorum et Pathologicorum in Museo pree-  
 sentium desiderabunt, sua officia, quantum  
 valetudo permettit, offert.

**G. DORN SEIFFEN**, *Lit. Human. Lec-  
 tor*, diebus lunae et iovis, hora V., *Gram-  
 maticam Graecam exponet*; *iiisdem diebus*,  
*hora VI.*, aut alia, auditoribus magis commo-  
 da, *de Rhythmica ratione, tam in Graeco-  
 rum, quam Latinorum, poetarum carmi-  
 nibus aget.*

**I. H. KOCH**, *Linguac Germanicae gram-  
 maticam et historiam literariam interpretabi-  
 tur, horâ auditoribus commodâ.*

*Li-*

*Literas Francicas* tradet G. C. VERENET, diebus lunae et iovis, hora V.

*Literas Anglicas* tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora IV.

L. DE FRANCE, *Academicus gladiatoriae artis Magister*, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

---

*Bibliotheca Academica*, diebus lunae, martis, iovis et veneris, ab hora I. in II, diebus mercurii et saturni ab hora I. in IV, et feriarum tempore singulis diebus iovis, ab hora I. in II. unicuique patebit. *Museum quoque zoologicum*, tam huius Academiae, quam privatum in aedibus Professoris Historiae Naturalis, cuique roganti patebit.

#### §. IV.

Summos honores in singulis Facultatibus, hoc Anno Academico; inde a die **xxvi Martii A. ccccxxxxii**, ad diem **xxv Martii A. ccccxxxxiii**, hoc ordine consecuti sunt:

Anno

Anno CCCCCXXXII.

*Die xxix m. Martii, IOANNES FREDE-  
RICUS DE MEY MECIMA, Vianensis, priva-  
tim defensa dissertatione iuridica, de Trans-  
actionibus, ob doctrinae praestantiam, iuris  
Romani et Hodierni Doctor creatus est.*

*Die x m. Aprilis, IACOBUS BERNARDUS  
MAASSEN, Ginnekensis, privatim defensa dis-  
sertatione Medica, de Arthritide, ob doc-  
trinae praestantiam, Medicinae Doctor creatus  
est.*

*Die xiii m. Aprilis, BARTHOLOMEUS  
JOSEPHUS WEYLL, Coloniensis, civis Ba-  
tavus, defenso privatim specimine iuridico,  
de variis societatum mercatoriarum specie-  
bus, ob magnam doctrinae praestantiam, iu-  
ris Romani et Hodierni Doctor est renuncia-  
tus.*

*Eodem die, HENRICUS HEUSGES, Rote-  
rodamenensis, privatim defensa dissertatione  
iuridica, de administratione et periculo  
Tutoris, ob magnam doctrinae praestantiam,  
iuris Romani et Hodierni Doctor creatus est.*

*Eodem die, IACOBUS BERNARDUS MAAS-  
SEN, Ginnekensis, die huius mensis x. Me-  
di-*

dicinae Doctor creatus, nunc legitimis disquisitionibus institutis, ob magnam doctrinæ praestantiam, Chirurgiae Doctor renunciatus est.

*Die xxviii m. Maii, FRANCISCUS KUYPER, e pago Baarn, publice defensa dissertatione medico-practica, de Hydrope pectoris, renunciatus est Medicinae Doctor, ob magnam doctrinæ praestantiam.*

*Die xxvi m. Iunii, LAURENTIUS IOANNES NEPVEU, Rheno-Traiectinus, iuris Romani et Hodierni Doctor renunciatus est, ob sumnam doctrinæ praestantiam, publice defensa dissertatione iuridica, de iustitia denegata eiusque vindicatione in foro civili.*

*Die xxviii m. Iunii, ADRIANUS GUILIELMUS VAN VREDENBURCH, Amstelodamensis, publice defenso specimine Historico-iuridico, de Sacrilegio, ob sumnam doctrinæ praestantiam renunciatus est iuris Romani et Hodierni Doctor.*

*Eodem die, PETRUS ADRIANUS JANUS BEELAERTS VAN OOSTERWYK, Rheno-Traiectinus, privatum defensa dissertatione iuridica, de revocandis donationibus inter vivos, ob doctrinæ praestantiam creatus est iuris Romani et Hodierni Doctor.*

*Die*

*Die xxix m. Iunii, PETRUS ABRAHAMUS  
BROERS, Rheno-Traiectinus, defensa pu-  
blice dissertatione, qua rerum civilium apud  
Romanos mutatio; sub Augusto eoque  
Principe facta adumbratur, ob summam  
doctrinae praestantiam renunciatus est iuris  
Romani et Hodiegni Doctor.*

*Die xxx m. Iunii, CHRISTIANUS GUI-  
LIELMUS IOANNES VAN BOETZELAER, Ha-  
ganus, publice defenso specimine iuridico,  
animadversionum, quae spectant interpretationem  
ambiguae orationis, in conven-  
tione aut testamento obviae, ob magnam  
doctrinae praestantiam iuris Romani et Ho-  
dierni Doctor creatus est.*

*Eodem die, LUDOVICUS KEYZER, Zwolla-  
Transisalanus, creatus est iuris Romani et  
Hodierni Doctor, ob doctrinae praestantiam,  
defenso privatim specimine iuridico, de com-  
pensationibus.*

*Die iv m. Septembris, HENRICUS SCHOU-  
TEN, e pago Druten, privatim defenso spe-  
cimine Anatomico-pathologico, de inflamma-  
tione, speciatim membranarum, creatus est  
Medicinae Doctor, ob doctrinae praestantiam.*

*Die xii m. Septemb., GYSBERTUS IOAN-  
NES LUCHTMANS, Kadensis, privatim de-  
fensa*

sensa dissertatione Physiologica, *de mutatione axis oculi secundum diversam distantiam objecti, ejusque causa*, ob magnam doctrinac praestantiam, creatus est Medicinae Doctor.

*Die xvii m. Septemb., IACOBUS GERARDUS ROOSEBOOM, Amstelodamensis, privatim defenso specimine Anatomico-pathologico, de Pseudomembranis, ob magnam doctrinac praestantiam renunciatus est Medicinae Doctor.*

*Die xx m. Septemb., IOANNES CORNELIUS MULDER, Ravesteniensis, privatim defensa dissertatione Medico-chirurgica, sistente observationem fracturae vertebrarum colli, cum adnexa epicresi, ob doctrinac praestantiam, Medicinae Doctor renunciatus est.*

*Die xvii m. Octob., LEONARDUS METMAN, e pago Waalwyk, publice defenso specimine iuridico, de delictis agrariis, ob summam doctrinac praestantiam, renunciatus est iuris Romani et Hodierni Doctor.*

*Die xxii m. Octob., IANUS IACOBUS HINLOPEN, Rheno-Traiectinus, publice propugnata dissertatione iuridica, sistente observationes ad locum Codicis civilis, de his, quibus ob ingenii imbecillitatem, dementiam et furorem bonis interdictum est, ob*

ob summam doctrinæ praestantiam creatus est iuris Romani et Hodierni Doctor.

*Die ix m. Novemb., GERARDUS GUILIELMUS VAN ZUYLEN VAN NIEVELT, Arnhemensis, privatim defenso specimine iuridico, de Executoribus testamentariis, ob doctrinæ praestantiam renunciatus est iuris Romani et Hodierni Doctor.*

*Die xxviii m. Novemb., MATTHEUS JACOBUS VAN HENGELAAR, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine iuridico, de alimentis, cum liberis, tum parentibus praestandis, ob magnam doctrinæ praestantiam, iuris Romani et Hodierni Doctor est creatus.*

*Die x m. Decemb., IOANNES LUDOVICUS GERARDUS GREGORY, Drusburgensis, publice defenso specimine iuridico, in quo nonnulla iuris Hodierni loca explicantur, ob summam doctrinæ praestantiam, iuris Romani et Hodierni Doctor est creatus.*

*Eodem die, JOHANNES THEODORUS ARNOLDUS VAN MAANEN, Haga Batavus, privatim defensa dissertatione Historico-iuridica, de conaminibus Principum stirpis Burgundiae ad coniungendas diversas Germaniae inferioris regiones, ob magnam doctrinæ praestantiam renunciatus est Doctor iuris Romani et Hodierni.*

*Die*

*Die xvii m. Decemb., ANTONIUS FREDERICUS SLOET VAN HAGENSDORP, Campensis, ob doctrinae praestantiam creatus est iuris Romani et Hodiegni Doctor, privatim defenso specimine iuridico, exhibente animadversiones quasdam ad locum Codicis Civilis, quo agitur de indebiti solutione.*

*Die xix m. Decemb., GUILIELMUS HENRICUS DU CLOUX, Haga Batavus, privatim defenso specimine iuridico, de legitimatione, ob magnam doctrinac praestantiam, creatus est iuris Romani et Hodiegni Doctor.*

*Die xx m. Decemb., ANTONIUS MICHAELIS CORNELIUS VAN ASCH VAN WYCK, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine iuridico, exhibente quasdam observaciones iuris utriusque civilis, ob doctrinac praestantiam, iuris Romani et Hodiegni Doctor renunciatus est.*

*Eodem die, DIDERICUS FRANCISCUS GLASHORST, Drusiburgensis, iuris Romani et Hodiegni Doctor creatus est ob doctrinac praestantiam, defenso privatim specimine iuridico, de fide, ex principiis iuris hodierni, libris mercatoriis tribuenda.*

*Die xxii m. Decemb., ISAACUS DE VULLER, Zutphania Gelrus, publice defensa diatribe, in Socraticam Ἐπαγγελίην, praesertim*

*e Xenophontis Memorabilibus deductam,*  
ob summam doctrinae praestantiam, renun-  
ciatus est Philosophiae theoreticae magister  
et Literarum Humaniorum Doctor.

Anno ciccccccccxxxiii.

*Die xxx m. Ianuarii, PAULUS HENRICUS HOLLEMAN, ex urbe Eindhoven, privatim defensa dissertatione Chémico-médica, de aqua marina, ob summam doctrinae praestantiam, creatus est Medicinae Doctor.*

*Die xxvii m. Februarii, IANUS FABIUS, Amstelodamensis, privatim defenso specimine iuridico, de Autocheiria, ob magnam doctrinae praestantiam, Iuris Romani et Hodiegni Doctor creatus est.*

*Die xiii m. Martii, IUSTUS HENRICUS BURLAGE, Amstelodamensis, ob magnam doctrinae praestantiam ad summos in iure Romano et Hodieño honores est evectus, privatim defenso specimine historico-iuridico de Proxenetis, praesertim Amstelodamensisibus.*

*Die xviii m. Martii, IANUS CAROLUS BADON GHYBEN, Arnhemia Gelrus, publice defensa diatribe, in Socratis Ironiam, ob summam doctrinae praestantiam, renunciatus est*

est Philosophiae theoreticae Magister et Literarum Humaniorum Doctor.

§. V.

Anno ccccxxxii.

*Die xviii m. Iunii*, Nomine summi Ducis in prima hujus regni Praefectura militari invitatus est Senatus, ut interesset solennitati, qua civibus nostris, qui ad patriam defendendam se accinxerant, distribuerentur honoris insignia. Lubens huic voto Senatus obtemperavit.

Anno ccccxxxiii.

*Die ii m. Februarii*, communicavit cum Senatu Rector tristem obitum viri clarissimi, JOHANNIS HENRICI PAREAU, in re literaria meritissimi, qui per multos annos maxima laude et eruditionis fama, primum in Athenaeo Daventriensi, deinde in Academia Harderovicena, et tandem in Rheno-Traiectina, Literas Orientales docendi munere functus est; donec ei, anno huius seculi trigesimo, honorificentissima ratione, propter aetatis infirmitatem, cum dignitate otium concederetur.

*Die*

*Die XII m. Februarii*, huius Academiac alumnos, qui nuper grassante cholera asiatica tam in hac urbe et provinciaquam alibi, ubi eorum cura maxime expeteretur, summa praestiterunt officia, solenni ratione laudibus iustis meritisque Rector celebravit et tradidit diplomata in huius rei fidem singulis conscripta.

*Die XXIII m. Martii*, Rector cum Senatu communicavit decretum Regis Augustissimi, quo munus Rectoris Magnifici in annum sequentem confertur in Virum Clarissimum, THEODORUM GERARDUM VAN LIDTH DE JEUDE.

*Die XXIV m. Martii*, Rector Senatum fecit certiorem, in conventu Curatorum, Rectoris et Adssessorum lectos esse in annum sequentem Adssessores, I. ACKERSDYCK, H. I. ROY-AARDS, B. F. SUERMAN et L. G. VISSCHER, Viros Clarissimos: Graphiarii vero munus demandatum esse Viro Clariss. A. SIMONS.

*Die XXVI m. Martii*, Academiae natali, Viri Amplissimi Academiae Curatores in Senatum venerunt, quorum Praeses novos honores gratulatus est Cl. Th. G. VAN LIDTH DE JEUDE, Rectori designato. Gratias dein egit, pro fide et cura in magistratu Academico praestitis, ADAMO SIMONS, munus Rectoris mox deposituro. Qua oportunitate Hic dixit: *de imi-*

*ta-*

*tatione Naturae in omni arte sedulo adhibenda*; exposuit porro laeta et adversa, quae Academiae hoc anno evenerint; Victoribus tandem in certamine literario, TJALLING PETRO TRESLING, IOANNI GERARDO BOOT, GEORGIO BROERS, IANO MATTHIAE LEENDERTZ, THEODORO ADRIANO VAN SCHERM-BEEK praemia et honoris documenta tradidit. Quibus peractis quaestiones recitavit in proximum annum propositas, et datum sibi successorem, TH. GER. VAN LIDTH DE JEUDE, Virum Clarissimum, Academiac Rectorem, proclamavit.

Allo stesso tempo non si accorgono ancora  
che il loro è il solo sentito e sempre è stato,  
ma, dal 1912 al 1913, che i salienti  
accadimenti della vita politica di quella  
pomeriggio, quando venne l'ordine  
di sospendere il governo provvisorio, erano  
avvenuti in un solo giorno. A questo  
accadimento si è quindi attribuito  
una certa importanza, mentre la  
guerra mondiale, che era stata  
cominciata nel 1914, non aveva  
ancora avuto alcuna risonanza.

A D A M I   S I M O N S

O R A T I O ,

DE IMITATIONE NATURAE , IN OMNI  
ARTE SEDULO ADHIBENDA ,

P U B L I C E   D I C T A ,

C U M MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

D I E   X X V I .   M .   M A R T I I ,   A .   M D C C C X X I I I .

## ЗИОМСКАЯ МАДА

## COITARIO

имо и заслуги земляків за  
Ачинська озера міра.

## THE TROJAN HORSE

The original manuscript of the present article was written by the author in 1960.

#### SECTION II - PROGRAM OF STUDY

# ORATIO.

---

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, QUIQUE IIS AB ACTIS ES, VIRI AMPLISSIMI, ILLUSTRISSIMI!

QUARUMVIS ARTIUM AC DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

QUI IN REGNO UNIVERSO, IN REGIONE VEL IN URBE TRAJECTINA, REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, VEL JUSTITIAE TUNDAE PRAESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES,  
VIRI DOCTISSIMI, PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM DOCTORES,  
VIRI CONSULTISSIMI, ERUDITISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE CIVES, JUVENES OR-  
NATISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA AD HANC SO-  
LENNITATEM CONFLUXISTIS, CUJUSCUNQUE  
LOCI ATQUE ORDINIS, AUDITORES HUMA-  
NISSIMI, EXOPTATISSIMI!

---

Quotiescumque Naturam contemplore, mirari soleo ejus leges, phaenomena, innumerata, quibus gaudet dotes; et profiteri nullus dubito, Naturae investigationem esse summam scientiam et nîl magis dignum ingenio humano.

Quid enim nobis gratius accidere potest? quam rerum physicarum exploratio, quam in-

indagatio causarum, quae, secundum leges sempiternas et immutabiles, gignere solent tot tantaque stupenda phænomena!

Omnia sane, A. A. H. H.! sunt in Naturâ, admiratione nostrâ dignissima. Eam accuratius considerantibus, apparent summa simplicitas cum maximo splendore conjuncta, magnæ divitiae cum parcimoniâ digestæ — et, licet, per se, semper eadem sibique constans, videtur nobis Natura, varietate et rerum μεταμορφωσι, miscere utile dulci.

Est enim, quasi alma Mater, quae, ingenti familiae, in ordines, genera, species distributæ, quorum omnia omnium ope indigent et auxilio, consulit et cuique largitur, quod tempus postulat aut res.

Quae cum ita sint, A. A. H. H.! non est, quod miremur, Naturam ejusque explorationem, ab omni aevo et apud omnes fere populos, studium quoddam constituisse; — hoc enim jam antiquitus delectabantur homines, et, quo quis magis cognitione rerum naturalium, phænomenorumque explicatione polleret, eo magis ad humanitatem excultus habebatur.

Cuncti profecto eo felicius vitam transi-  
guant, quo magis Naturae praeceptis obse-  
quen-

quentes, vitam regere meminerint. Quid? Nonne ab ipsâ docemur Naturâ, quid sit decorum? Nonne ab illâ nobis discendum, quid utile, quid non? Nonne ipsa nobis exemplum existit, sedulo imitandum, in omni motu, gestu et nullo non vitae communis negotio?

Omnès igitur homines, qui non sunt fruges consumere nati, qui sese praestare student, ceteris animantibus, hoc praeſertim agant, ut Naturam, quantum possint, cognoscant. Humano ingenio, nîl dignius certe, nîl sublimius quidquam reperietur! Hinc existimare licet, quam veram sententiam continet illud Ciceronis effatum: *Est animalium ingeniorumque naturale quoddam pabulum, consideratio contemplatioque Naturae.*

Haec ampliore, uti existimo, non indigent declaratione; nec opus mihi, coram intelligentissimorum hominum coronâ, verba facienti, quae dictâ sunt, plenius explicare, quasi vobis, ex valle, in montem adſcendentibus praeſenti, speculam monstraturo, amplissimum ubi panorama, ab omni parte, patet.—

Mente nostrâ representemus Naturam,

nobisque esse videamur, in summo Monte. — Longe lateque prospicientes terrarum fines, supra nos, adspicimus nimbos, solem paullisper obscurantes, qui variis interdum formis et imaginibus, multiplici colore tinctis, veluti heroës et monstra natantia, tacite progrediuntur, pompa et splendore suo, oculos obfuscantes. — Infra, ubi abyssus abyssum reboat, cataractam videmus, ex rupibus propulsatam, cum proteryiâ, ingentique rumore, praeccipitatem, quae, paullo latius, in jocosum flumen abit, quod suis inclusum ripis, pedetentim ad commune receptaculum, ad vastum oceanum progreditur; non aliter, ac si exercitus, post multos labores et magna pericula vitae, vitor e proelio evadens, in patriam redit ad antiquos; quae tulit arma, lares depositurus.

— Ignoscite, quaeso, A. A. H. H.! figuratae orationis usum. Vidistis imagines, a Naturâ desumptas; sed et imagines, quae inquietum hujus vitae cursum commemorant et sponte suâ nos ducunt ad argumentum, quod mihi tractandum sumsi; dicam:

— *Dæ imitatione Naturae, in omni arte, sedulo adhibenda.*

— Ne a me expectetis, A. A. H. H.! ut totum  
hujus argumenti ambitum, solenni hoc die,  
tractem; id enim vetant cum materiae ampli-  
tudo, tum et mearum virium tenuitas. Nolo  
vos, in hoc circuitu fatigare; satius erit, pro-  
vestrâ, quâ abundatis, intelligentiâ, raptim at-  
tigisse illa, quae hic imprimis ad rem facere  
videntur. — Quod dum agere conabor, at-  
tentas mihi, quæso, et benignas aures piae  
beatis!

Facile intelligitis, A. A. H. H.! me, de his  
tantum agere artibus, quæ hodie sere pul-  
chrarum artium nomine insigniri solent; scili-  
cet de poësi, eloquentiâ, musicâ, picturâ,  
statuariâ, architecturâ, mimicâ.

Omnes illæ artes, sive singunt, sive lo-  
quuntur, eo magis attentionem occupant, oculos  
juvant, aures delectant, corda movent,  
quo magis Naturam, optimum exemplum, se-  
dulo imitantur.

Qui vero imitentur Naturam poëta et ora-  
tor, musicus et pictor, statuarius et archi-  
tectus, alii, quibusvis artibus addicti? —  
Quaenam hic est intelligenda imitatio?

Haec certe intelligenda, quae, reddit, quod Natura dedit, uti Echo verba repetit; quae illud agit, ut exhibeat, proponat, verbo, repræsentet hominum mores, sensus, rerumque colores ita, ut revera existunt, et a nobis, in rerum Naturâ, observantur.

Num vero putemus, hanc imitationem non decere, ad ultos et unice pueris convenire? Sed in hoc mundo degentibus, puérile quoddam hominibus proprium manet, et hoc imitandi studium cum ipso genere humano natum est.

In infantia, illud in primis cernitur studium, in quo vis verbo, quod balbutiendopedit, mox in omni gestu et motu, simulac ratio paulisper dominatur. Crescit hoc studium in adolescente et homine adulto, donec vires corporis decrescant fractique sensus torpore afficiuntur ita, ut taedium vitae cupidinem excipiat.

Deme hoc imitandi studium, quo ceteris animantibus tantopere praestant homines, genus humanum, veluti pecorâ, vitam transgisset, nullâ scientia gavisum fuisse, doctrina vim insitam non promovisset, nec recti cultus pectora roborasset.

In-

Infans, in gremio matris, jam ducitur, imitandi studio, nec ab illâ sonos edere discit vocemque modulari; — mox vero, quae patrem agentem adspicit, illa identidem agere conatur, sibi et parentibus oblectamentum creatorus. Haud aliter, in generis humani infantia, illo imitandi studio ducti, a Naturâ, homines, ludendo, sponte didicerunt. Sic, dum vel lucidus sol animalium arborumque umbras in solo describeret, vel ubi suam in aquâ imaginem repercussam videret, pingendi artem homo edoctus est.

Idem hoc imitandi studium tot pêperit, in omnî lingua, ονοματοπεποιημένα; audiētibus quippe hinnire equos, mugire boves, balare oves, latrare canes, ultro obvenere verba, sonum, ab animalibus prolatum, imitantia. Hinc explicare licet, quî fiat, ut, in quovis fere sermone, illae inter se conveniant dictiones, sibique cognatae esse videantur.

Cygnum natantem et ab alterâ in alteram ripam progredientem, dum homines viderent, idem agere cupientes, ad Cygni formam, in a viculam sibi fecerunt; — Sic ab araneâ texere; — sic ab apibus construere; — sic u-

sylvis aedificare didicere; et verissime ait Poëta:

*Zephyri cava per calamorum sibila primum*

*Agrestes docuere cavas inflatae cicutas;* —

*Inde minutatim dulces didicere querelas*

*Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.*

Sic fere quodcumque peragimus, id omne, ab optimâ generis humani matrâ, Naturâ, didicimus, nobis quasi viam monstrante, ad bene et laute vitam transigendam.

Non unice vero necessitas homines coëgit, ut imitarentur et addiscerent illa, quae sensibus percipiebant et animali vitae conservandæ inserviebant. Impulit major indoles ad grandia quaeque, si probavitque cultus invalescens, nos non temere ac fortuito satis esse, atque creatos.

Hoc enim, nisi ita foret, homines, ceteris animantibus, animo et indole præstantes, minore quam pecora, felicitate gauderent.

Quid? — dum cetera animalia, absque curâ, vitam transigant, unus homo, perpetuo labore, vitam sustentare cogeretur? — Damnatus esset, in sudore vultûs sui, fodire et pane vesci, dum aves laete canerent? Vide ret odorifera lilia et rosas, tam splendide orna-

natas, quasi festum celebrarent, ad quod non esset invitatus? — Anne homo ideo, praeceteris animantibus, patiens esset caloris et frigoris, laboris et fatigationis, inediae et sitis? — Ideo sine periculo vitae, coelum mutare posset, totumque terrarum orbem circumnavigare, ut longa ista itinera labori multum, felicitati parum, majorique indoli nihil prodessent? Satius profecto ei fuisset, cum Trogloditis habitare et, veluti pecora, arborum foliis se se tegere!

Haud ita, ut dira nōverca, Natura traxit hominem, animalium praestantissimum. Arbores serebat homo, non solum, ut fructibus vesceretur, verum etiam, ut, sub ejus tegmine, tutus recumberet, ut inde, provectione aetate, fustim sibi compararet, ut lignum inserviret construendae domui, in qua, cum familiā, suaviter degeret.

Deme hoc imitandi studium, homini innatum, atque explices, quaeso, mirabile illud phaenomenon, quod omnibus est commune, placidum cum carpunt fessi soporem, animique vis a sensibus corporeis plane est sejuncta; tunc enim rebus externis non avocatus, neque distractus, liberius sibi indulget

get animus et assequitur ea, in somniis, quae domestica sunt et ipsi propria.

Dicatis quaeso, Psychologi! qui perpetuo studetis, illud *μυσηρίον*, animi scilicet humani indolem, explorare ejusque cogitandi agendi que rationem perscrutari, quod tamen nunquam invenietis! — dicatis, qui siat, ut nos, licet illas artes non edocti, tamen pictores, poëtae et histriones simus, cum conquievimus et somnia laeta atque tristia animum nostrum occupant et perturbant?

Veluti evocatos et suscitatos pingimus, in somnio, amicos, familiares nostros, intimos aliosque, vividissimis coloribus. — Carissimorum parentum, conjugum et liberorum manes nobis apparent, eadem formâ eodemque vestitu, quibus olim distinguerentur; — agentes et loquentes (sed nostra verba) eos inducimus, uti inter vivos loqui et agere solerent; voce, gestibus, gressu, in omni denique vivendi ratione, eos omnes nobis representamus.

Mox vero, cum, in somniorum ludibriis, immoderatus jactat superbia nostra, principum, heroumque sustinemus personas; imperamus, gerimus bellum; mox sumus orato-

tores, sed vox faucibus haeret et verba cadunt! Quae omnia exergiscentibus risum movent.

Dices forsitan, illud phaenomenon a phantasiâ revocante esse derivandum. — Sunt nempe visis ac simulacris iis, quibus maxime impletur atque delectatur cujusque animus, cum a phantasiâ fuerint objecta, adjunctae imagines aliae, quae illorum vim augent, et corroborant. — Sit phantasia aut Môrpheus! Nemo sane hanc sibi artem comparaverit, sed manet semperque manebit gratis simum Naturae donum et procul dubio demonstrat, imitandi studium, generi humano insitum.

Cum homine ideo natum, hoc studium in homine promovit Natura, quasi in quocumque ejus opere et negotio, quod ipsa fecerat ante, lubenter agnoscens.

Hinc subinde originem duxere artes; et earum inventio majorem generis humani probavit praestantiam. — Quod vel sponte, vel duce Naturâ, inventum est, senior actas perfecit. Sed, initio, inter se similes erant artes, ut altera ab alterâ vix posset dignosci, cultusque invalescens demum doceret, quomo-

modo inter se distinguerentur. — Major enim culturae gradus, cuivis arti proprium quoddam, quo ab aliis differret, attulit; — sed, dum omnes fere, imitando constarent, mansit semper et apparuit, quod Cicero vere dixit: *commune vinculum et cognatio quaedam, quā, inter se, continerentur.*

Visa et audita homines memoriae mandavere, ut deinceps, ope phantasiae revocantis, eadem haec conficerent. — Hinc amabilis ille Musarum chorus, quae sorores inter se, libero pede saltant, et a Mnemosyne du-

cuntur. *Hanc forte doctrinam; A. A. H. H. ! nonnulli parvi pretii esse, judcabunt; et, si non artem, artificem certe, per illam abjici putabunt. Non magna enim laus est, imitari illa, quae vidimis ante.*

Qui ita putant, Plutarchum mirabuntur; qui, in vita Periclis, de artificibus, contumeliose haec fere dicere, non dubitaverit:

« *Neque sane quispiam ingenuus juvenis, qui, Pisae, spectavit Iovem, Phidias esse cupivit; — neque qui Iunonem, Argis, Polycletus; — neque An-*

« cre-

“creon aut Archilochus, qui horum duc-  
“tus est poëmatibus.” (\*)

In acerbo hoc judicio, secutus videtur Chae-  
ronensis divinum Platonem, qui non dubita-  
vit statuariam, poësin, picturam aliasque,  
non τεχνας, sed, in contumeliam, τεχνοδρια  
nominare!

Transeant, qui sic judicent! Ars vera,  
eoque nomine digna, non vegeta laude; sibi  
sufficit, omniq[ue] vituperatione major erit!  
Artes semper placebunt, animum et sensus  
mulcentes. — Artium monumenta, antiqui-  
tus licet nata, juvenili ornatu gaudent, et,  
viridi flore, manent insignia, siquidem exhi-  
beant fidelem expressionem Naturae, quae  
senescit nunquam!

Hinc idem Plutarchus, miranda Peri-  
clis opera laudans, “elegantiā (inquit) sin-  
“gulā, jam tum erant antiqua, flore,  
“in hunc usque diem, recentia sunt et  
“novitia, ita quotidie quaedam novitas  
“elucet in iis, quae adspectum ipsum  
“intactum vetustate atque inviolatum  
“conseruet, non aliter, ac si ope-  
“ra

(\*) In vita Periclis, pag. 337. ex Rec. Bryani.

*“ra ipsa perpetuo quodam spiritu, atque animo, illis insito, alantur et vi-geant.” (\*)*

Haec laus, per se licet magna, et quam artes, Naturae imitatrixes, merentur, premium tamen vile laboris constitueret, si opera, novitatis colorem conservantia, unice oculos caperent et sensui externo mulcendo inservirent, neque majoribus animi motibus producendis sufficerent.

Haud ita praeiuit Natura; nec ita artes secutae sunt.

Motus animi excitat Naturae consideratio; altissimorum montium adspectus, frequens tonitru crepitus, murmur aquae nos movere solent et ad sublimiora quaeque cogitationem dirigere.

Hoc sensu affectus Horatius, in Sabino suo degens, ad antiquum Vacunae templum, prope Degentiam, consedens, superbam Romanam e longinquo conspiciens, fragilitatem secum reputabat et pio animo precabatur, grato pro beneficiis ore, uti hominem precari decet: *Sit mihi, quam nunc est, etiam minus!*

Ve-

(\*) II. p. 352.

Verum A. A. H. H.! Naturae considerationem et quos producere solet animi motus, egregie descriptsit Seneca: « *Si tibi occurrit vetustis arboribus, solitam altitudinem egressis, frequens lucus; illa proceritas silvae et secretum loci et admiralratio umbrae fidem tibi Numinis faciet.* » « *Si quis specus, saxis penitus exesis, montem suspenderit, animum tuum quodam religionis suspicione percutiet.* » (\*)

Unde, quaeso, hic sensus, unde hic motus animi? — Lignum certe et lapides hoc non operantur, neque spelunca, vel montes! — Praestigiae, lex contemplatione natae, hanc admirationem gignunt, animos gaudio afficiunt, horrore percutiunt, hominesque rapiunt, quasi jam, ex hac vita, in beatas heatorum sedes translatos!

Hoc si Natura valet, idem et Naturae imitatione potest efficere. — Quid? — Nonne Pygmalion, quam finixerat ipse, eburneae statuae amore flagravit? Nonne Zeuxis, tanto artificio, uvas depinxit, ut in eas deceptriae advolaverint aves?

Hoc

(\*) Epist. XLI.



Hoc forsitan jactantiae tribuetur, quam egregie callebant Veteres. Sed, quae nobis restant antiqua artium monumenta, abunde probant, quid, hac in re, valuerint Antiqui!

Haud aliter in operibus artificum recentiorum, Hulstii, Keizeri, Quellini, Xaverii, in quibus egregie Naturam expressam videmus, illud omnium artium praecipuum cernitur: Veritas.

Miramur, sepulcrale monumentum Engelberti Ducis Nassavici adspicientes, Veritatem, quâ Michaël Angelo, uti ferunt, e marmore corpus confecit femineum, phtisi quassatum et extinctum!

Nonne, si Guilielmi I. Arausionensium Principis, Mausoleum visitare licet, ipsum Patriae Patrem, violentâ morte raptum, videre putemus, in lecto repositum, dum fidelis canis, dominum lugens, tristitiâ corruptus, moeste ante pedes jaceat?

Nonne manus porrigimus, plumam, aquae innatantem, ablaturi, quam egregio artificio pinxit Hondecoeterus? — Nonne avium instar ad Zeuxidis tabulam, cupide adspicimus et fructus et flores, quos pinxit

Huysemius, felicissimus ille Naturae imitator?

Sed majorem perfectionis gradum ars attingit, cum non tantum formae exhibentur corporeae, sed ubi etiam animi motus artificiose exprimuntur.

Nemo pictorum hac in re, magis excelluit, quam ingeniosissimus Janus Steen, qui mores hominum animorumque sensus adeo perspicerat bene, ut ab eo pictas imagines, congrua verba dicentes, audire nobis videamur!

Semper cum eodem gaudio et admiratione contemplamur illius Pictoris tabulam, præ ceteris memorabilem, Medicum nobis exhibentem, indutum pallio, quod more antiquo, et instrumentis tegendis inservit. Videtur Medicus, a matre arcessitus, ut de filiae consuleretur salute. Filia, metuens, ne vulgo innotescat, quod sileri ipsa cupit, terram intuetur modeste. Medicus, vas luci admovens, risu satis indicat, quinam corporis affectus sit intelligendus, mox finiturus! — Irrata mater Medicum reprehendere videtur, qui quid minus honestum de honestâ virgine suspicari audeat!

Nec

Nec minus admiramur ejusdem artificis celebratissimum *Sancti Nicolai festum*. — Haec tabula exhibet familiam, hunc juventuti carum diem festum celebrantem. In illo artis pictoriae monumento, omnia cum admirabili veritate, sunt expressa!

Pater, cum duobus liberis, ad focum sedet, cantilenâ Sanctum invocat, qui, per caminum, munera mittat. Mater interdum aliis varia distribuit munuscula. Laeti saltant pueri. Major filius lacrimatur, qui, pro munere, testimonium petulantiae accepit. Hunc ululatum subridet avus; dum avia, puerum miserata, solatium afferre conatur. — Haec omnia cum tantâ varietate atque veritate sunt expressa, ut, pro suo quisque loco, loqui, agere, vivere, videatur!

Variam, de artibus apud Antiquos, doctrinam protulerunt Winkelmannus et Lessingius. Alter elegantem simplicitatem nobilemque magnificentiam, apud Antiquos, artium fundamentum constituisse, contendit. Alter vero studium pulcri illis unice propositum fuisse perhibet. Hanc ob causam, Lessingius Laöcoöntem non ululantem exhibitum fuisse, ait. Iste scilicet clamor, quippe de-  
for-

formis, contra legem pulcri fuisse et perpetuo clamare repugnasset, dum unum tantummodo actum, unumque temporis spatium artifex posset exprimere et vellet significare. (\*)

Verum A. A. H. H.! ab his duumviris magnopere dissentio et illam doctrinam iis lubenter relinqu. Existimo et ita semper existimavi, artifici praeципuam legem esse scriptam veritatem, quae in Naturae imitatione potissime cernitur.

Exprimatur Laöcoöntis vel tacentis dolor et angor animi; — nobis non displicant lacrimae puëri, in Steenii tabulâ. Hoc enim puerili convenit aetati; et lacrimae, cum ipso humano genere natae, cum genere humano demum extinguentur!

Ubi vero A. A. H. H.! omnes animi motus, quos Naturae apta imitatio producere solet, probaturus, omnia artis exempla afferre vellem, dies vix ad dicendum sufficeret. Nulla foret requies, si omnia monumenta artis pictoriae, statuariae, architecturae per-

(\*) In Laokoön, oder über die Grenzen der Malerey und Poëz. p. 17. et 219. sqq.

lustrare vellem, quae nobis reliquere Veteres,  
dederuntque Recentiores, pari imitandi stu-  
dio ducti.

Vos, ô felices! testes invoco, quibus,  
Romae, contigit, Sancti Petri templum,  
vel, Londini, Sancti Pauli aedem visitare! —  
Quinam vobis obortus est sensus animo?  
quum tardo pede, ad altum altare progre-  
dientes, venerabundi, in medio Divi Petri  
templo, aedificii videretis immensitatem atque  
altitudinem!

Hanc admirationem certe non tantum genure architectura et proportionis elegantia,  
qualem et Collisei possunt gignere reliquiae,  
Gothorum, Vandalorumque manibus errectae! —  
Animi metum, quem fuistis experti, non  
effecerant ornamentorum splendor, neque  
imagines, neque statuae, quas poliverat  
Michaël Angelo, neque porphyrum vel  
ebur; sed sacro horrore, in hoc religiosissimo templo, affectis, divinus vobis spiritus  
afflavit: *Vere! Dominus est in loco isto;* —  
*non est hic aliud, nisi domus Dei et porta*  
*coeli!* — Dicite felicissimi spectatores! non aliter vobis visum, ac si ipsae columnae vos, in coe-  
lum

lum transvehent, salutaturos Majestatem di-  
vinam!

Neque invisentes *Sancti Pauli* aedem, la-  
queata licet tecta admirantes, hunc mundum  
cogitastis, nec vitam, aerumnis plenam, nec  
*Vreni* sepulcrale monumentum, quamvis  
indicet: *circumspice!* Sed saxa immota vos  
movebant et muti lapides vos monebant:  
*Deum esse spiritum: et qui adorent eum,*  
*oportet, ut Spiritu ac veritate adorent;*  
quasi in circuitu susurrabant:

*Ego sum, qui tecum loquor!*

Si ita, A. A. H. H.! moveamur artibus,  
quae silent; quid jam de loquentibus erit  
dicendum? Hae enim et vel maxime in Na-  
turam sequendo constant.

Homines, pro indolis varietate, variam ha-  
bent propensionem; ille, ad videndum, hic;  
ad sentiendum; — alius, ad cogitandum ma-  
gis est comparatus.

Hinc Recentiores, qui de artibus philoso-  
phari cooperunt, artium rempublicam, sic  
enim loquuntur, in varias diviserunt regio-  
nes. Sic artes fingentes ad contemplationem;  
Musicen vero ad sensum; Poësin atque Elo-  
quentiam in idearum regionem retulerunt.

Sed

Sed nulla ars inter tam arctos circumscripta est fines, ut nullo modo transgredi posset. Homerum saltem legentes, dubium sane est, an contempleremur magis, an sentiamus, ac cogitemus! — Nec mirum! Artes enim omnes sunt sorores; habent commune vinculum; alteram altera sequitur et juvat. Conveniunt inter se, uti in floribus conjunguntur suavis odor, amoenus color et elegantissima forma.

Perperam igitur judicant, qui Musicam, tantam vim, in animos nostros exercere, opinentur, ut vis illa magica eam supra ceteras extolleret artes; quasi Musicae lex non scripta fuisset, imitandi Naturam, omnibus artibus communis.

Quid alii sentiant, judicare non oportet; sed si de me dicere licet, lubenter affirmem, me semper animo fuisse commotum, ubi etiam in arte musica, artifex sequeretur Naturam; nunquam vero, ubi se a Naturâ scjungeret.

Memini et semper meminisse juvabit, me audire Voglerum, Abbatem venerabilem et organistam celeberrimum, quum, superiore seculo, Amstelaedami, in urbe meâ natali,  
de-

degeret, et mirabilis arte, laures mulceret,  
quin et saxa corda moveret! In imaginum luxurie,phantasiam vulgo  
yocant Musici, magnoque sonorum yigore ad-  
juvante, dominabatur mira varietas, quae  
licet magnâ celeritate conspicua, harmoniae  
tamen nequaquam nocebat. Omnia perag-  
bat, cum summâ simplicitate atque facilitate;  
quae, in omni arte, principibus viris, pro-  
pria esse solet. — Cum in omnibus, quae ab  
illo, audire mihi contigit, mirabilis sensu affi-  
cerer, tum vel maxime in duobus, ut vulgo  
dicuntur oratoriis; altero *Creationem*, altero  
*supremum* exhibente *Judicium*.

Hic, non audiebam sonorum lusum, vanos  
et sine mente sonos; sed aderat fidelis Natu-  
rae imitatio; veluti quotidie, discendeunte no-  
cte et veniente die, quasi repetitam videntem  
mundi creationem; sic ut illam descripsit  
Historicorum Antiquissimus. Terram vastam  
et desertam videre nobis videbamur; tum lu-  
cem oriri; omnia sensim sensimque clara si-  
eri; et nunquam ejus obliviscar soni:  
Quum cantillarent simul stellae Aurora  
Eti clangerent omnes filii Dei sustinendo  
Sed et nunquam obliviscar, qua ratione,  
-35 ju-

*judicium exhiberet supremum, atque interi-  
tum mundi!*

*Obstupuit steteruntque comae! —*

Sic illud non picturâ exprimere valebat  
Van Dijk; nunquam ita de eo locutus est  
**Massillonus!** — Tubarum clangorem, quum  
supremum nunciaretur judicium, audientes,  
omnes surgebant, stupefacti et terrore per-  
cussi, quasi Rei, a justissimo Judice, senten-  
tiam audituri!

Soni, ululatum miserorum referentes, au-  
dientium auimos, horresco referens! magno  
timore implebant; quo tum demum liberaba-  
mur, quum laetiore sono cantuque solenni,  
beatorum in coelum celebraretur aditus!

In toto hoc artificis actu, cernebatur **Ve-**  
**ritas**, — Naturae fidelis imitatio; atque ideo  
motûs animi producebantur, quoniam natu-  
rales experiebamur affectûs, spem, timorem,  
gaudium, dolorem!

Recordemini, quaeso A. A. H. H.!  
**Spo**hrii, egregii citharoedi, quem, ali-  
quot ante annos, hac in urbe, audivimus.

Etiam nunc illum videre mihi videor **Her-**  
**culem Musagetem**, chorum ducentem omnes-  
que supereminenter, staturâ, vultu et arte!

Suis

Suis se accommodabat sodalibus, nam ceteroquin illorum nullus eum sequi potuisset. Citharam vitâ videbatur donare!

Non conabatur, admirationem audientium movere, illâ dexteritate, quae, luce velocior, varios sonos profert, qui artem utique probent, sed auribus fere parum grati accidere solent. Summâ vero simplicitate, cum suavitate conjuncta, circum praecordia lusit.

Plectrum videbatur quasi virga magica, sonos adeo movens, ut ipsi artis sodales artificem intuerentur, suarumque partium obliti, in dulci versarentur delirio, ac si solam et unicam *Catalanae* vocem audire sibi videbentur!

Sed, quid de peregrinis loquor, cum Patria nostra gloriari possit civi suo Daniele Brachthuizer, organistâ artificiociissimo! Hic enim vir, ingenio, doctrinâ, pulchri venustique sensu eximie valebat, et cum intimâ artis peritiâ, conjungebat miram sagacitatem, in detegendis emendandisque organi partibus corruptis, ita, ut mirabili suâ arte, instrumenti etiam non laudabilis vitia non apparerent.

Audiimus illum, laetissimo illo die, quem

un-

unquam, in hac urbe, videre mihi contigit; quum, ex honorifico Senatus decreto, die 12 mensis Octobris, anni hujus seculi trigesimi primi, instaurandis scholis, ornatissimis adolescentibus, Academiae nostrae civibus, e bello redditum, carmine heroico, gratularer, praesente Senatu amplissimo et coram splendidissimâ auditorum coronâ. Carmen, anteriore die, audiverat, ab ineunte quippe pueritiâ, lumine orbatus, legere non valebat! — Felici quâ gaudebat memoriâ adjutus, arte suâ, festo die, repetiit, suo modo, quae audiverat ante, imaginibus, quasi in tabulâ pictis. — Soni laeti excipiebant moestos, ita ut audientes, artis majestatem mirantes, gaudio et dolore afficerentur.

Videbamus Choleram, spectri instar, Hemum montem transgressam, appropinquantem! — Religiosissimus erat et magnificus, quem adhibuit, hymnus, Dei optimi Maximi beneficia celebrans.

In illo solemini choro, summus artifex vocem humanam, tam felici cum successu, imitabatur, ut aliquis, inter amicos, alium rogaret, num etiam cantatores adessent?

De Brachthuizero loquenti, ipsa viri ima-

imago, dum organo luderet, mihi ob oculos  
versatur! Etiam tu, Jesus meminéris, amicis-  
sime Schrödere! Nos eum vidimus, mani-  
bus, pedibus, quin toto corpore insultantem,  
quasi insaniā raptum, ridentem, plorantem,  
mox, cum vehementissimā animi perturbatio-  
ne, furibunde chorda moventem summoque  
gáudio defessum, caput in pectus projicien-  
tem; quasi moribundus de vitâ migraret!

Háud ita multo post, die 10 Mensis Junii,  
anni proxime elapsi, obiit! morbo pectorali  
correptus, multos jam abhinc annos, mortem  
minitante!

Mágis, quam Swelingius, a Vondelio  
laudatus, celebrari meruerat μουσικωτάτος il-  
le, sinceram, cum doctrinâ, pietatem con-  
jungens! — Cantum, in officio religioso, ar-  
te suâ, mirifice erexit, et in Patriae discri-  
mine, aerarium publicum, septem mille flo-  
renis, ditavit; nec tamen unquam ipse quid  
retulit emolumenti vel honoris documentum,  
suis meritis dignum! Ut sapientem decet,  
sensit:

*Inveni portum, spes et fortuna! valete,*  
*Nil mihi vobiscum! ludite nunc alios!*  
*Jam iis non indiget! In beatas beatorum*  
se-

sedes translatus, sanctissimo Choro adest,  
coram ipso Dei tabernaculo; auribusque hau-  
rit cantum, mortalibus non auditum!

Ignoscite A. A. H. H.: si amicus amicum  
minus, quam par est, laudaverit! Quis ve-  
ro, pro meritis talis ac tanti viri, celebравe-  
rit laudes? —

Possit hoc forte Poësis, ars illa, quâ pau-  
cissimos donat Natura, olim, arcto vinculo,  
cum musicâ conjuncta, et quam Bracht-  
huizerus idcirco magni faciebat, quoniam,  
aeque ac Musica, vim omnem, suavitatem,  
elegantiam, atque sublimitatem expectat, ab  
imitatione Naturae.

Hinc Poësis lubenter cum Naturâ degit,  
de illâ agit et imagines ab illâ sumit. Hinc  
factum est, ut omnes poëtae, apud omnes  
fere populos, Naturae admiratione ducti,  
stupenda ejus phaenomena celebraverint.

A Caucaso inde monte ad Heclam usque;  
inde, ab iis locis, ubi sol solum torret, ad  
illa, ubi, in coelo, aurora borealis lucet,  
ubique audimus poëtas, ab ipsâ Naturâ,  
afflatos, Naturae celebrantes miracula! Quin  
et veneranda Antiquitas, ubique fere fabulis,  
rétulit miranda multa, poëtica illâ et unice-

Naturam referentia, — ac si Ganges, sanctissimum illud Orientis flumen, istas vetustissimas narrationes secum iu Oceanum traxisset, ut in omnes orbis appulerent oras!

Non miramur igitur, A. A. H. H.! Poësin semper conatam fuisse, Naturam imitari; et illam Naturae imitationem eo magis apparere, quo antiquiora sint poëmata.

Nonne enim antiquissimi Poëtae, quorum quidem opera ad nos pervenerunt, adhibuerunt imagines, quas ipsis Naturae suppeditavit consideratio?

Apud Jobum, in Davidis psalmis, apud Jesaiam, apud Homerum et alios, bene multa occurrunt loca, quae nobis egregio documento sunt, Poëtas illos Naturae phaenomena accurate observâsse, et recte ea, in carminibus suis adhibuisse.

Quod, seriore aetate, ars Musica conata fuit, aptis sonis, exprimere ventorum susurrum, vel aquarum fluctum, vel arborum strepitum; id Poësis, jam antiquitus multoq[ue] perfectius egit, verba adhibens, eosdem sonos referentia:

*Pergente tubâ hinnit equus*, apud Jobum.

Non-

*Nonne apud Maronem:*

*Quadrupèdante putrem sonitu quatit  
ungula campum?*

Nonne Ovidius canem, leporem inse-  
quentem et, ore, illum attingere conantem,  
eleganter expressit?

*Jam jamque tenere putat!*

et egregia sane est, apud eundem venustis-  
simum Poëtam, rusticorum in ranas  $\mu\varepsilon\tau\alpha-$   
 $\mu\sigma\varphi\omega\sigma\iota\varsigma$ , cum:

*Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ, ma-  
ledicere tentant!*

Sed haec Naturae imitatio, magnam licet  
vim poësi concilians, longe cedit illi subli-  
mitati, quam attingunt Poëtae, ubi Naturæ  
contemplatione et phaenomenorum observati-  
one, ad altiora evehuntur!

Cogitatione Dei scilicet, erecta Poësis, il-  
lum celebrare conatur, *qui omnia implet in*  
*omnibus!* et licet optimum Creatorem nequa-  
quam extollere valeat, Poësis tamen, ubi de  
Deo agit ejusque virtutibus et attributis, quam-  
vis difficillimum, illud plenius ac melius pera-  
git, quam hoc possit Philosophia aut Theo-  
logia!

Poësis nunciat Creatorem :

*Qui extendit coelum*

*Et fundat terram.*

Nunciat ejus amorem :

*Qui, in pascuis herbosis, nos recubare  
facit,*

*Ad aquas, leniter fluentes, nos ducit.*

et :

*Si quoque, in valle tenebrosa nobis in-  
cedendum est,*

*Non timebimus, qui nobiscum est,*

*Cujus baculus nos consolatur.*

Sed et horrescimus, ubi, instante vehe-  
mente tempestate :

*Ponto nox incubat atra !*

Poësis Naturam imitatur, quum animi com-  
motiones, paucis verbis, exprimit. Quinam  
magis dolet, quam *Chryses*, moestissimus  
Pater? tacite per littora maris progrediens! —  
Horret parvulus *Astyanax*, galeam patris  
crispatam adspiciens! — Et Naturae conve-  
nienter Tarpejac Tatium prospicienti :

*Interque oblitas excidit urna manus!*

Et vos, strenui Juvenes! qui, prope Lo-

va-

vaniū urbem, et ad Montem ferreum, in  
castris versati fuistis, forte idem egistis,  
quod, apud Ovidium, senex, qui

*Pingeret exiguo Pergama tota mero:*

In poësi dramatica, in Tragoediâ et Co-  
moediâ, in primis spectatur Naturae imitatio.  
Ibi enim loquentes et agentes inducuntur ho-  
mines, uti se se offerunt, in rerum Naturâ. —  
Hinc Tragicus, uti narratur, Graecarum  
animos adeo vehementer commovit, ut, ante  
diem, liberos parerent matres!

Aristophanes, jocandi genus usurpans  
facetum et ingeniosum, in scenam produxit  
Socratem, cum tantâ veritate, ut non  
solum apparerent Philosophi gestus, motûs,  
sed et usitatus docendi et loquendi modus  
ita, ut vel ipse Socrates, a ridendo ab-  
stinere non posset!

Celebratur Terentius, ob summam ser-  
monis puritatem; et ab uno illo discere pos-  
sumus, quâ ratione, Romani, in vitâ com-  
muni, pro suâ quisque loquerentur personâ. —  
Sed hoc nomine non tantum nobis est com-  
mendabilis, sed magis etiam, ob interiorem,  
quae in hoc Comico appareat, humani pecto-

ris cognitionem. — In Terentii fabulis, ubi loquentes inducit *Davum*, *Pamphilum*, *Gnathonem*, *Chremetem*, agnoscimus hominum mores, uti et nunc sunt. — Non aliter hodie loquerentur:

*Fallax servus, durus pater, improba lena.*

Quo ad formam, secutus est Graecos; sed in personis eligendis, in hominum moribus depingendis, in congruo sermone, cuique tribuendo, unam imitatus est Naturam!

Terentii fabulae magis nos delectarent, si videre nobis liceret, quod nunc legimus tantum! — Histriones enim induébant personam, pro indole et moribus eorum, quos in scenam deberent producere.

Quam Histriones, in scenâ, agerent personam, imitabantur eloquio, gestu, motu. — Ita quoque Mimi, fuligine faciem obducti, et illorum imitatio adeo placebat, ut ipse Cicero dixerit: *Quid potest esse tam ridiculum, quam Sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique ipso corpore ridetur.* (\*)

Neque ars illa Mimica cum Veteribus plane in-

(\*) *De Oratore*, L. II. c. 61.

interiit! — Est enim expressio Naturae, atque adeo, dum vivant homines, non peritura.

Nunc etiam, eo magis Histrio celebratur, quo magis Naturae imitatione, artem illam difficillimam perfecte exerceat. — Nonne etiam Orator eo praestantior evadit, quo magis sermonem vultu et gestibus ornare et sublevarе valeat?

Rosciūm et Bathyllūm attigisse perfectionis gradum, quem, seriore aetate, nemo attingere potuit, — nemo facile crediderit, quicunque quondam, in Patriā nostrā, vel in aliis regionibus, principes in suā arte Histriones vidi et audivit.

Mira multa narrantur de Garrickio, qui in Angliā, superiore seculo, artis Mimicae laude floruit. — Is imaginatione, quā valebat, adjutus, celebrem Fieldingium velut e morte resuscitavit ejusque personam induit, ita, ut mortuum amicum prorsus referret.

*Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat!*

Celeberrimus Anglorum pictor Hogarthus, ad Garrickium, Fieldingii depinxit imaginem, tanto cum successu, ut omnes Fieldingii amici similitudinem mirarentur et defuncti viri vultum facile agnoscerent!

Schul-

Schultensius, Alberti nepos; praceptor meus narrare solebat, se Garrickium audivisse, dum in Angliâ degebat, ut Codices manu scriptos ditissimae Bibliothecae Bodleianae, cum aliis conferret et describeret. — Tunc temporis, Garrickius, qui jam raro prodibat, ultimum nunciabatur in scenâ spectandus, in celebratissimâ fabulâ Hamlet, partes acturus. — Schultensius ideo, Oxoniâ, profectus est Londinum; — et saepe illum audivi dicentem, se se tum demum omnem Shakespeare intellexisse praestantiam! — Garrickius enim verbis Poëtae tantam vim conciliare valebat, ut omnes spectatores interdum palescerent!

De Schultensio, viro summo, agens, perfectum cogito Oratorem!

Vere monuit Plutarchus: *eloquentiam, artem dicendi flexanimam esse ejusque praecipuum munus, rationem tractandi motus et perturbationes, quasi tenores et sonos quosdam animi, qui scite tangendi et pulsandi sint.* (\*) — Si quis unquam, Schultensius illud callebat, qui in eloquentia maxima latere iugisque quen-

(\*) II. p. 356.

quentiâ semper imitabatur Naturam, atque hanc cogitandi, pronuntiandiique rationem vimque dicendi cum simplicitate et gravitate conjunxit.

Proceritas structurae, vocis suavitás, ocularum ardor, vultús manuumque mobilitas, haec omnia in Schultensio mirifice apparabant, illumque principem constituebant oratorem, non arte illum, sed Naturâ formatum; — in omnibus, quidquid dicebat et ab illo peragebatur, agnovimus incomparabilis viri praestantiam atque stupendam majestatem; — talem ac tantum videns, penne dixeris:

*Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum!*

Cum in tractandis Scriptoribus sacris, penetrabat in intimos linguae recessus, primam et derivatam verborum significationem, atque adeo regiam Hebraizandi viam, ab Avo suo illustri monstratam, cum auditoribus sequebatur; conabatur simul pulcri venustique sensu juvenum animos imbuere et, ubi decebat, ore, vultu, quin imo manibus, res et verba illustrare. —

Videbamus pios filios, summâ cum veneratione, retrogredientes, ut pallio patrem tegerent!

Videbamus nubes, per coelum divagantes, ubi poëtam interpretabatur, loquentem de Jehovâ, qui

*Nubibus utitur pro curru,  
Incedit ventorum alis.*

Audiebamus Jobum, in summo animi dolore, exclamantem :

*Pereat dies! quo natus sum!*

Testes invoco, quotquot superstites, illum viderint et audiverint, pulcro illo die, quo Academiae Lugduno-Batavae Natalis a Schultensio celebraretur, oratione : *de Ingenio Arabum.* — Coram splendidissimâ auditorum coronâ verba faciebat,

*Conticuere omnes, intentique ora tenebant.*

Perspicuitatem in dicendo adhibens, gravitatem in commovendo, apte, ornate et copiose loquens, excitabat gaudium, dolorem, terrorem, ita, ut omnes auditores ejus extollerent laudes!

Hanc

Hanc vim dicendi consecutus est summus ille Orator, ab imitatione Naturae, quae, uti in ceteris artibus, in Eloquentia praesertim est adhibenda.

Ô Infelicem oratorem, qui alium sequitur magistrum! Is enim statim ostendit, flectione vocis praeternaturali, gestibusque, nimium ad artem redactis, corporis demum habitu ineleganti, se ad imitatorum servum pecus pertinere.

Sic notum est, familiares Platonis imitatos esse ejus curvitatem; — discipulos Aristotelis, praeceptoris balbutiem; — et amicos Alexandri, inflexionem colli et asperitatem vocis, in dicendo.

Haud raro accidit, ut qui sic alium sequantur, ejus vitia adnumerare soleant virtutibus, sibique ornamento fore credant!

Absit igitur hoc imitandi praeternaturale et ridiculum genus a vobis, ornatissimi juvenes! sive futuri oratores sacri, sive in foro versaturi, vel ubicumque tandem verba facturi! — Omnem adhibete diligentiam, ut utile dulci, verum pulcro, simplex sublimi misceatis. Mementote semper Horatiani pracepti:

Si

— *Si vis me flere, dolendum est  
Primum ipse tibi.*

Cogitetis, quidquid agatis vel fingatis, Na-  
turam in omni arte sedulo esse imitandam!

## ACADEMIAE FATA.

---

Quae Academiae, hoc anno, prospera  
evenerē et adversa, expositurus, multis non  
utar verbis, majorem enim partem plerisque  
nostrum nota sunt et aperta.

Patria nostra, licet in eodem versetur dis-  
crimine, Academia tamen, Regis Optimi cu-  
rā atque providentiā, nūl inde detrimenti ce-  
pit. — Discipulorum numerus crevit.

Bibliothecae catalogus eo perductus est,  
ut pars prior typis expressa sit; — tandem  
spes nobis facta est, fore ut altera pars bre-  
viore tempore absolvatur.

Laboratorium, in usum scholarum et Che-  
micarum et Pharmaceuticarum, cum fructu  
adhiberi pergit. — Museum Mineralogicum  
speciminibus Oryctognosticis et Geognosticis,  
quan-

quantum propter æris impendendi penuriam  
licuit, fuit auctum.

Hortus Academicus floret, eodem statu,  
quo fuit, anno superiore.

Aedificium in Horto refectum est, ad no-  
vum usum; — Museum nempe ad conser-  
vationem plantarum arefactarum est constru-  
ctum. — Jam plura specimina plantarum in-  
digenarum et exoticarum, in primis ex Ger-  
maniâ et Helvetiâ, ibi deposita sunt et or-  
dinata.

Qui Observatoris titulo Astronomiae Pro-  
fessori adjutor datus erat, Filius mihi caris-  
simus G e r a r d u s, commendatione viri Clas-  
sissimi De F r e m e r y, Collegae mei aman-  
tissimi, ab optimo Rege, ad ampliora stadia  
vocatus est, ubi illum, et Patriae et scientiis  
prodesse posse, faxit Deus Optimus Maxi-  
mus!

Nil detrimenti ceperunt objecta, quae Ana-  
tomiae comparatae docendae inserviunt et in  
thecâ servantur. Illorum catalogus scribi coe-  
pit et fere ad finem perductus est. —

Exemplaria avium Europæcarum, quibus  
Academiam donavit Kraepelinus, honestissi-  
mus pharmaceuticus, in pago Zeist, in or-  
di-

dinem digesta, jam in thecâ, suo loco, sunt disposita.

In illâ urbis parte, ubi quondam arx habebatur, quae a civibus Trajectinis, Duce *Catharinâ van Leemput* delecta fuit, die 22 mensis Junii, superioris anni, Academiae nostrae Cives, honorifco insigni, ex aere captivo, decorari videre nobis licuit, dum et primarius militum, in hac Provinciâ, Tribunus, graviter Diurnum praelegeret, laudem continens, quam ob bonos mores et disciplinam, Augustissimus Rex adolescentibus armatis tribuere voluit.

Sequente die, grati Academiae Cives hujus urbis incolas festo excipière pyrotechnico. Coelum erat subobscurum, sed eo felicius et pulchrius enituit ignis, noctem lumine illustrans.

Festum in noctem porrigebatur, urbanitate conspicuum, neque in Bacchanale abiens, quod etiam minime expectabatur a juvenibus, qui militiae, morum honestate, se se ita commendaverant, ut toti exercitui, disciplinae extiterint exemplo.

Ut urbanitatem, non minus humanitatem probaverunt Academiae nostrae Cives, datis

sci-

scilicet mille quingentis florenis, societati, quae militibus vulneratis et honorifice dimissis inservit. Hanc certe pecuniam, hilaritati destinatam, egregie collocarunt.

Quâ milites excelluerant assiduitate, illam, e castris reversi, bonarum literarum et artium adhibuere studio; et licet non omnes eodem ardore exemplaria Graeca, nocturnâ versarent manu, versarentque diurnâ, se se tamen commendant, studii ardore morumque integritate, atque lúculentissima progressum dêre specimina.

*Ludovicus Houel*, Groningae, in certamine Mathematico, victor, suo ipse exemplo probavit, obeundae Militiae necessitatem studiis non obfuisse.

In mémoriam quaeso revocetis humanitatem et peritiam, quam adhibuere illi in Academiâ nostrâ Medicinæ Studiosi, Candidati et Doctorandi, qui, dirissimo morbo epidemico, hic grassante, opé suâ non defuere; quam obrem a viro amplissimo, huic Provinciae Regis Praefecto, et ab Academiac Rectore honorifica accepere testimonia; — eorum nominâ hic pronunciare juvat:

JANUS PETRUS BAKKER.

GEORGIUS BROERS.

GISBERTUS JOHANNES LUCHTMANS.

ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN.

JANUS BARTHOLOMAEUS SNELLEN.

THEODORUS ADRIANUS VAN SCHERMBECK.

CAROLUS ANTONIUS ROMBACH.

ISAACUS FLORUS MUYSKEN.

PAULUS HENRICUS HOLLEMAN.

FRANCISCUS GUILIELMUS RIVE.

CAROLUS JOSEPHUS VAN COOTH.

JACOBUS GERARDUS ROSEBOOM, *nunc Med. Doct.*

HENRICUS IGNATIUS WOLFF.

HERMANNUS HEYMANS.

GERARDUS VAN DEN STEEN.

JANUS PEELEN.

ADRIANUS HENRICUS VADERS.

HENRICUS BERNARDUS VALKENHOFF.

JANUS WITTOP KONING.

et

FERDINANDUS EYCK.

Pes-

Pestem illam ab Academiae Civibus benigne avertit D. O. M.! — Curatores, Professores, Doctores et Discipuli ab illâ immunes manserunt!

Unice ab illâ afflictus est *Paulus Guilielmus van Doorn*, egregius juvenis, in primâ classe excellentissimorum adolescentium, quod uno ore profitentur omnes, collocandus. Salvus evasit, gratumque animum erga Medicum praestantissimum, Collegam nobis amicissimum *Nicolaum Cornelium de Fremery*, carmine lyrico testificatus est, pariter Medico, digno et poëtâ! (\*)

Morbo laborârunt Viri Clarissimi Bleulandus, Heringa, Oordtius et Brueysius. Horum restitutâ sanitate impense gaudemus, speramusque fore, ut illorum aetas ad Nestoreos porrigatur annos, in salutem Familiae, Humanitatis, Academiae, Ecclesiae, Patriae!

Sed lugemus eheu! Collegam conjunctissimum Johannem Henricum Paravium, qui, die 1 mensis Februarii, hujus anni, vitam cum morte commutavit.

Am-

(\*) In *Calend. Acad. A. 1833. p. 142. sq.*

Amstelaedami natus, ibi, in illustri Atheneo, primum praceptorum habuit Didericum Adrianum Walravenum, Literas Orientales magnâ cum laude profitentem; — deinde Leidam progressus, in Academiâ Lugduno-Batavâ, doctorem habuit Henricum Albertum Schultensium.

Ab illo viro incomparabili didicerat Codicem Sacrum recte interpretari; — non suâm, sed scriptoris mentem explicare; — non ubi vis emendare, sed semper textûs Hebraici veram lectionem constituere, atque sic medium tenere inter criticorum audaciam et anticriticorum religiosum timorem.

In ecclesiâ Wallonicâ, apud Dayentrienses, Medioburgenses, Harderovicenos et Trajectinos pastor fuit fidelissimus; et in Atheneo Daventriensi et Academiâ olim Gelricâ, Literarum Orientalium Professor ordinarius.

In hanc almam Musarum sedem translatus, celeberrimi Sebaldi Ravii dignissimus fuit successor Paravius, qui docendo, dicendo, scribendo cathedram ornavit. — Ex ejus scholâ, inter alios doctissimos interpres, prodierunt ejus Filius Ludovicus Gerlachus, in Aca-

demiā Groninganā, Theologiae Professor ordinarius et Collegae nostri Boumannus et Roordaardsius, Viri Clarissimi.

— Vir erat antiquā virtute et moribus antiquis, accuratā doctrinā, studii ardore et labore indefesso conspicuus, Orator sacer dīcētissimus.

Vix rude donato, viribus paulatim deficiētibus, sensim sensimque mors obrepit.

Venerandi Viri memoriam grata servabit Academia, Scriptis suis sibi ipse monumentū exstruxit, quod

*nec ignis,*

*nec poterit ferrum, nec edax abolere  
vetustas.* —

Lugent lectissimas Conjuges Collegae amicissimi, Roordaardsius Henricam Jo-hannam Both Hendriksen et Schroederus van der Kolk Corneliam Templeman van der Hoeven, quae florente aetate triste sui reliquē desiderium! — Gaudebat uterque conjugē, quae et ingenii dotibus et cultu valeret; pulchri venustique sensu, modestiā denique et pictate conspicuis.

A Studio Literarum, ubi se in vitam reci-

ciperent domesticam , cum conjugi hujus  
vitae aerumnas facile obliscebantur. — Uter-  
que illud Horatii potuisset repetere:  
*nt amplius oro.*

Sed brevis fuit haec felicitas ! — Verissima  
Sacrae Scripturae sententia consoletur nostros  
amicos:

*Beatae sunt mortuae , quae in Domino  
moriuntur ; — ut requiescant a labo-  
ribus suis , illarumque iopera eas se-  
quantur ! —*

Funera eheu ! funeribus cumulantur ! —  
Parentibus , huic Academiae et Commilitoni-  
bus morte abrepti sunt ornatissimi Juvenes :

*Cornelius Post.*

*Antonius van Brummelen.*

*Theodorus Schaap.*

*Joannes Ernestus Hermsen.*

*Joannes Kersten ,*

quorum quidem mores et ingenii dotes , in  
Calendario Academicо merito celebrantur.

Obiit et Hermannus Gunst , homo Ju-  
daeus , cuius egregiam Matheseos scientiam  
omnes magni faciebant.

Ab amicis magno pretio) habebantur ejus  
animi nobilitas, spectata fides et gratissima  
consuetudo.

Quotidie fere in meâ domo versabatur et  
honestissimum virum valde existimabam. Per-  
tinebat ad paucissimos illos, de quibus illud  
affirmare licet: *Plus esse, quam videri.*

Mortem praematuram nobiscum moestissi-  
ma vidua luget. —

Obiit et ante paucos dies, *Joannes Walter*,  
egregius juvenis, Literis Humanioribus sedu-  
lo operam navans.

Jucundior pars officii superest, quod mihi  
injungit hujus diei solennitas.

Praemia et honoris documenta distributu-  
rus, praelegam diversorum Academiae Or-  
dinum judicia de acceptis ad propositas Quae-  
stiones responsis.

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITT. HUMANIORUM

ad propositam quaestionem:

*Disputatio de vita Ciceronis literata,  
imprimis ex ejus epistolis ducta.*

binas accepit Commentationes, suis sane lau-  
dibus insignes, neque indignas, quaē piae-  
num reportarent; quamquam neutra sic no-  
bis Ciceronis in literarum studiis imaginem  
conspiciendam dedit, ut exprimi ex ejus scrip-  
tis, maximeque epistolis potuisset.

Auctor commentationis his verbis distinc-  
tae: *Quicquid praeter spem eveniat, omne  
id deputabo esse in lucro, cum diligentiam  
nobis, tum doctrinae copiam, eximum in-*

mo-

modum probavit; — sed inseruit scriptio*n*ioni multa, quae magis ad historiam scriptorum Ciceronis, quam ad literatam Ciceronis vitam pertineant.

Accuratius alterius scriptor*d*isputationis, cui verba:

*Omnes trahimur laudis studio,*  
ipsum argumentum tractavit, idemque ut materiâ, ita formâ etiam scriptio*n*em nobis suam commendavit, quamobrem nos huic praemium, illi secundos honores tribuimus. Caeterum victorem in hoc certamine esse cognovimus.

Tjallingum Petrum Tresling, Litt. et Jur. Cand., in Acad. Groninganâ,

Qui vero accessisset ad hujus praestantiam, Joannem Cornelium Gerardum Boot, in Acad. Lugd. Bat. Litt. Cand.

Accedas igitur praestantissime Tresling*h* qui, duabus vicibus, in hac Academiâ, felici cum successu in arenam descendisti. — Ecce palmam tibi tributam, atque auge*f*am, laudesque honorum!

Ti-

Tibi etiam praestantissime *Boott* qui diligentiam et doctrinae copiam nobis probasti, est omnino, de quo gaudeas. Accipe meriti honoris documentum. Perge eodem, quo coepisti modo et memento illud *Quinctiliani* dictum: *ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.*

### ORDO MATHÆSEOS ET PHILOSOPHIAE

#### NATURALIS

ad quaestionem propositam: *Quid Botanici de variis plantarum gemmis et de gemmatione universa observarunt, et quid complures eorum, rationibus teleologicis innixi, hac directe docuerunt?* tres accepit commentationes.

Prima, cui Baconis verba: *Qui partes scribendi Historiam Naturalem, sqq. quamquam auctoris iudiciariam et diligentiam indicet, non satis est absoluta et tantum festinationis vestigia in ea apparent, ut Facultas judicaverit, ei praemium non posse tribui.*

Mul-

Multo magis se se commendârunt auctores secundae et tertiae respositionis; illius G öthii verbis insignitae: *warum ich zuletzt am liebstem mit der Natur verkehre* et quae sequuntur; — hujus vero Bonneti verbis: *Je me suis livré avec un extreme plaisir* et suiv. — quippe non tantum insignes, dissenserendi ratione, sed etiam magnâ eruditione, ita ut diu haesitaverit Ordo, et autri harum commentationum concedendum esset praemium; tandem judicavit Ordo, ambas pari honore dignas esse.

Cum vero per legem uni tantum praemium addici possit, sorte institutâ, fortuna Georgio Broers, Math. Phil. Nat. et Medic., in hac Academiâ, Candidato favit; Jano autem Matthiae Leendertz, in Academiâ Lugd. Batavâ Medicinae Studioso, honorificum testimonium exhibendum censuit Ordo.

Accipite ergo, praestantissimi Juvenes! præmia, pari honore vobis tribuenda. — Broersius tibi præriripuit, ne esses prior; tu ilii, ne esset solus. Aurum quidem tibi denegavit fortuna, sed quod aequè honorificum est tibi denegare non potuit.

Trac-

Tractâstis, in quaestione botanicâ, argumentum difficillimum, nempe quod teleologiam spectat, quae omnium scientiarum est incertissima. Quis audet, sacra Dei penetralia perlustrare, deque profundissimis consiliis Divini arcanis judicium ferre?

Si in rerum creatarum serie, nihil quicquam consiliî sui nobis innotescere voluisset Deus, prorsus siluisset; si totum, dilucidius ac plenius rationem illius omnem explicuisset. Jam scire nos ista voluit, sed parcus; quantum scilicet nostrae tenuitatis modulo suaeque gloriae expedire judicavit. — Hu cusque sapere, et sanum et tutum est.

#### ORDO JURECONSULTORUM

ad Quaestionem:

*Diligenter colligantur et perspicue explicentur argumenta, quibus scriptores recentiores, Benthamus et post eum, alii, mortis poenam impugnârunt,*

unam accepit commentationem, cum indicio: *in magnis voluisse, eaque rerum copiâ et*

et probabili partium dispositione, plurimi quidem commendata, argumentorum vero explicatione, quae requirebatur, non aequa praestabilis. Nam tametsi judicandae non erant scriptorum in loco difficillimo, opiniones, tamen explanare magis sententias, quam verba referre oportuit. Quod cum in illa commentatione desideraretur, eâ re considerata, auctori praemium abjudicavit Ordo. Enim vero propter colligendi conferendique diligentiam, quam praestitit singularem, laudatione publicâ, voce Rectoris, si eo honore uti vellet, eum dignum censuit Ordo. Ceterum indicto citatus non apparuit: atque sic talem honorem recusasse videtur auctor.

### ORDO MEDICORUM

ad propositam quaestionem:

*Quomodo Febris intermittens apoplectica ab aliis morbis, cum quibus facile confunditur, et symptomatibus et decursu distinguatur? Quaenam sint causae, imprimis Patriae nostrae propriae, e quibus ortum dicit; — quaenam sit natura morbi et curandi ratio?*

du-

duas accepit commentationes, alteram, cui symbolum:

*Nisi paret, imperat; hanc frenis, hanc tu compesce catenā.*

alteram, insignitam:

*Quodcunque e pectore rivi fluxerit,  
et sqq.*

Utriusque commentationis auctores satis laudabilem, in argumento tractando, operam atque diligentiam exposuerunt, Prioris vero commentationis auctor scriptores, seculi XVII. et sec. XVIII. praecepius, de febrium larvatarum apoplecticarum causis generalibus atque miasmatum affectu, quidem diligenter consuluit, at vero Recentiores, imprimis in Patriâ nostrâ, observatores, de morbis endemicis nimis neglexit et ad causas harum febrium, in Patriâ nostrâ, speciales, minus attendit.

Altera commentatio egregiam doctrinam atque diligentiam monstravit, non tantum in iis colligendis, quae causas harum febrium, Patriae imprimis proprias, spectant; — sed etiam illustrando morbi naturam, cadaverum

sec-

sectionibus, sedulo comparatis, quae tandem, observatione morbi proprie confirmare et illustrare studuit.

Hisce igitur commentationibus inter se comparatis, judicavit Ordo, hanc ultimam praemio esse condecorandam. — Auctoris nomen patuit:

Theodorus Adrianus van Schermbeek, in hac Academiâ, Medic. Cand.

Alterius commentationis auctorem honifico, testimonio dignum esse censuit Ordo, sed hoc usque nomen latet.

Accedas igitur, ornatissime Schermbeek! qui cum Commititone Georgio Broers eodem dignus es honore, cum, uspreto omni vitae periculo, in castris et, in dirissimo morbo, ad aegrotantium lectum versati fuistis, nunc quoque, in certamine literario, victores laudatissimi.

*Periculosae plenum opus aleae*

*Tractas, et incedis per igneis,*

*Suppositos cineri doloso.*

Scripsisti enim de febre larvata, quae, ut Hypocrita, nos maxime fallit. Ut prudenter est

est hominis, sic et Medici, verum a falso  
distinguere, ne decipiatur.

*Non est in Medico, semper relevetur ut aeger,  
Interdum doctā plus valet arte, malum.*

At Tu, sequere Naturam, non ejus imi-  
tator, sed fidelis minister.

odd a major .ichols is sia .isimod ieo  
et .tutio .nugatah

*Quaestiones, in Academiā Rheno-Tra-  
jectinā, propositae, singularum  
disciplinarum studiosis, in Acade-  
miis et Athenaeis Hollandicis, pro  
praemii reportandis, e decreto Re-  
gis augustissimi, sunt sequentes:*

### QUAESTIO ZOÖLOGICO-GEOLOGICA.

Quaeritur, quales reliquiae fossiles anima-  
lium vertebratorum hactenus sint inventae,  
in septentrionalibus Belgii Provinciis, pree-  
termisis illis, quae multae prope *Trajectum*  
*ad Mosam*, in hujus loci formatione, adsunt.  
Indicetur porro, quales sequelae ex illis,  
quo ad constitutionem geologicam harum  
Provinciarum, tuto derivari possint?

### QUAESTIO MATHEMATICA.

Exponatur theoria generalis curvarum du-  
plicis curvaturee, eaque adhibetur ad inve-  
niendas proprietates curvae, quae omnes  
rec-

rectas in superficie cylindri aut coni recti eodem angulo secat.

### QUAESTIO THEOLOGICA.

Disquiratur, *utrum* te doctrinâ Ethices Christianae, homini et Principi Christiano licet, bellum gerere, nec ne? Quodsi licitum existimetur, inquiratur, *quatenus* de bello gerundo hominum sententias emenda- verit doctrina Religionis Christianae?

### QUAESTIO JURIDICA.

Ad examen revocentur argumenta, quae ad leges commendandas afferuntur, quibus sive officinae et agriculturae tuendae caussâ, sive ne certarum rerum copia desit, mercium cum importatio tum exportatio gravatur vel prohibetur.

### QUAESTIO MEDICA.

Quaenam mutationes pathologicae inducuntur Arteriis per *Ligaturam*? Hinc, expositis variis eam instituendi modis, quid singuli valeant, concludatur?

QUAE-

## Q U A E S T I O   L I T E R A R I A.

Vita Periclis, ex ipsis fontibus, maxime Plutarcho, petita. Viri characterismus. Quid profuerunt ejus politica consilia civitati et imperio Atheniensium? Quid nocuerunt?

---

En vobis, ingenui Juvenes! novas quæstiones propositas. Alacri animo hoc agite, experturi, quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Haec pugna certe vobis convenit magis, quam bellum, quod etiamnunc contra Bellgas istos geritur. Faxit Deus, ne in posterum eo res redeat, Patriaeque discrimen, ut denuo ad arma vocemini!

Musarum enim chorus cum Marte et Bellonâ nîl quidquam habet commune et ab armorum strepitu abhorret!

Quod si ita nobis e voto succedat, proximo, in hujus Academiae regimine Successori, non minor, quam mea fuit, continget felicitas!

Illi prospera omnia adprecamur; — post annum, munus deponat cum majori discipulorum numero, Academiae commoda celebrans, nulliusque mortem deplorans! —

— Imprimis vero optamus, ut Successor dignissimus, sequenti Academiae natali, laeto animo, annunciare possit, omnia, quae in studiorum detrimentum, sed in *Belgarum favorem*, mutata essent, in pristinum statum, more Majorum, esse restituta!

Hunc autem Academiae Rectorem, in proximum annum, ex Regis Augustissimi decreto, renuncio et proclamo, virum clarissimum

### THEODORUM GERARDUM VAN LIDTH DE JEUDE!

Accedas igitur, Collega conjunctissime! et sedem hanc, quam tibi relinquo, jure tuo, occupies!

Salve, Rector Magnifice! cui fasces, sigillum et quidquid est, in Magistratu Academiae, honoris et oneris, omnia trado!

Largiatur tibi prosperam valetudinem Deus optimus Maximus, sitque tibi hic annus, unus e felicissimis vitae tuae et perpetuo Academiae nostrae honori!

Tibi vero, summe Deus! pro magnis bene-

E fici-

ficiis, in me collatis, gratias, quas possum,  
ago maximas! Supplices te et piâ mente pre-  
camur, ut Patriâ nostram, procellis eheu!  
labefactatam, stantem tamen adhuc sustineas  
ac tuearis! Pacem nobis largiare, ut, illâ no-  
bis redditâ, artes et disciplinae inveniant;  
tûnde alantur, magisque perficiantur! — Sal-  
vum fac Regem! — Serva hanc Academiam,  
ejusque Curatores, Doctores, Alumnos; ut,  
in hoc anno, profiteamur, Tibi omnia pros-  
pera deberi unique Tibi esse laudem, hono-  
rem et gloriam in aeternum!

A M E N.

# JOHANNES HENRICUS PAREAU,

IN ACAD. RHENO-TRIAECTINA PROFESSOR,

INSTITUTI REGII BELGICI SOCIUS.

Amstelodami natus est die 13 Maii A. 1761. — Die 1 Sept. A. 1785 Sancti Minist. Cand. inter Wallonicos Réformatos est renunciatus. — Theologiam et literas Orientales docuit in Athenaeo Daventriensi ab anno 1789 ad A. 1795, idemque Euang. Interpres in Wal-lolico coetu Reformatorum; quo posteriori munere in coetu Medioburgensi functus est ad A. 1799. Da-ventriam rediit iterum Professoris et S. C. interpretis Wallon. muneribus ornatus, ad A. 1804; quo anno Literarum Orientalium et Antiquitatis Hebraicae pro-fessionem adiit in Acad. Harderovicena. Earundem maxime disciplinarum docendarum causa anno 1810 vocatus in Academiam Rheno-Triaectinam, obiit die 1 Febr. 1833, aetatis anno 72<sup>(1)</sup>. — Scripta quæ reliquit haec sunt:

1. *Oratio de conatibus incredulorum rei Chris-tianae plus emolumenti, quam detrimenti affe-rentibus*; dicta publice, cum in Athenaeo Da-ventriensi primum Theologiae et Litt. Orient. pro-fessionem adiret, d. 19 Nov. 1789.

2. *Thre-*

(1) Vitam viri et merita accurate exposuit Cl. I. He-ringa, *Levensberigt en Karakterschets van wijlen den Hoogl. J. H. PAREAU*, in het Archief van Kerk. Gesch. inzond. van Nederland, D. IV. bl. 253-319.

2. *Threni Ieremiae, philologicc et critice illustrati.* Lugd. Bat. 1790.
3. *Oratio de literis Orientalibus, minime inuicundis; habita, cum iterum in Athenaeo Daventriensi professionem Liter. Orient. adiret.* 1799.
4. *Oratio de ingenuo Poëseos Hebraicae studio, nostris temporibus magnopere commendando; dicta publice, cum in Academia Harderovicena Litt. Orient. et Ant. Hebr. professionem adiret.* 1805.
5. *Commentatio de immortalitate et vitae futurae notiis ab antiquissimo Iobi scriptore in suos usus adhibitis.* Daveniti. 1806.
6. *Oratio de amico atque utili Graecarum Latinarumque literarum cum Orientalibus consortio; dicta publice, cum magistratu Academico abi- ret.* Hard. 1808.
7. *Oratio de constanti ac non mutabili Orientalium ingenio, Sacrarum Literarum cultoribus, suos in usus diligenter observando;* dicta publice, cum Professionem Theologiae typicae et exegeticae et maxime Literarum Orient. in Acad. Rhenotrai. adiret. Trai. ad Rh. 1810. domo eiusq; eni- Belgice versa a Viro Doct. A. J. Wavrin Dielen.
8. *Disputatio de Mythica librorum Sacrorum interpretatione. Quae præmium aureum tulit iudicio Societatis Teyleriana Theologicae; obvia in de Verhand. van Teylers Godg. genootschap, D. XXV. Harl. 1814. una cum versione Belgica. Repetita fuit haec Disp. editione altera; additamento et indici- bus aucta.* Trai. ad Rh. 1824.

9. Ser-

9. *Sermons sur quelques textes de l'Ecriture S.*  
Utr. 1814.

10. *Sermon*, prononcé pour l'ouverture de la réunion des députés des Eglises Wallonnes à Zutphen. 1819.

11. *Antiquitas Hebraica, breviter descripta.*  
Trai. ad Rh. 1817. - Ed. 2<sup>e</sup>. 1823. - Ed. 3<sup>e</sup>. 1832.

12. *Institutio Interpretis Vet. Testam.* Trai. ad Rh. 1822.

13. *Oratio de honoris studio Orientalium; dicta publice, cum magistratu Academico abiret.* Trai. ad Rh. 1823.

14. *Comment. de indole nobilissimi poëmatis Arabici, Kasida-al-Maksoura, quod IBN DOREIDUM habet auctorem.* — In *Comm. Instituti regii.* 1818.

15. *Comment. de AMRALKEISI Moallakah, et de huius carminis indole ac praestantia.* Trai. ad Rh. 1828.

16. *Exposition abrégée des Dogmes, et des Preceptes de la Religion, en forme de Catechisme.* Middelb. 1797.

2. matinée à 10h30 alors que nous étions à 10  
4181.90

et de nombreux ours étaient visibles. Nous avons été  
tenu à l'écart et nous n'avons pas pu approcher plus près.  
2181.90

Le matin nous avons fait une promenade à 11h.  
2281.75 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

au bord de l'eau, mais au dessus de la rivière.  
1815.95 - 1815.95 - 1815.95 - 1815.95  
Tout au long de la rivière Neel Valley. Tant  
que nous étions dans la vallée nous étions

TJALLING PETRI TRESLING,

PHILOS. THEOR. LIT. HUM ET JUR. UTR. CAND.

R E S P O N S I O

A D

Q U A E S T I O N E M ,

A NOBILISSIMO ORDINE, PHILOSOPHIAE,  
THEORETICAE ET LITERARUM HU-  
MANIORUM, QUI TRAJECTI AD  
RHENUM EST, IN CERTAMINE  
LITERARIO,

ANNO MDCCCXXXII

P R O P O S I T A M .

*Disputatio de vita Ciceronis literata, in pri-  
mis ex ejus epistolis ducta.*

Q U A E P R A E M I U M R E P O R T A V I T ,

DIE XXVI M. MARTII, ANNI MDCCCXXXIII.

Trahimur omnes laudis studio; et optimus quisque maxi-  
me gloria ducitur.

CICERO,

A U C T O R A N O N Y M U S

N O B I L I S S I M O O R D I N I

S. P. D.

---

Vitam Ciceronis literatam scripturus, ut  
quaestioni propositae, quoad possum, satisface-  
rem, Tullium Tironem ad Phaniam (1)  
amicum scribentem induxi. Opus, fateor, multi  
laboris et exercitationis juvenique Latine scriben-  
di facultatis experti impar. Quo pacto in tantum  
errorem dicam, an temeritatem, sim delapsus,  
nihil attinet dicere. Vestro autem judicio Viri  
Clar. opusculum commendō, quod haud diffitior  
pingue quoddam sonare, a Tironis aetate et  
doctrina plane alienum; attamen, ut spero, aucto-  
rem profitetur in Ciceronis operibus non omni-  
no hospitem.

Quum optimum mihi vitae scribendae genus vi-  
deatur, quo omnia ex ipsius, de quo quis scri-  
be-

(1) De Phania videantur *Epi.s. ad Div.* III. 1, 5, 6.

bere velit, scriptis petuntur, vitam Ciceronis literatam ex ejus operibus et in primis ex epistolis ducere studui. Reliquis autem veterum scriptorum rarissime usus sum. Recentiorum denique, quamvis bene multos potuisse, neminem adhibui, ut opusculum, cum plurimis naevis fordeat, aliquam tamen novitatis speciem haberet. Ceterum, cum Ciceronis vitam literatam, non vero disquisitionem de ejus operibus, scriberem, quae his continentur copiose enumerare et exponere, cum ab argumento, tum ab infantia mea alienum duxi. Valete. —

TUL.

TULLIUS TIRO  
PHANIAE SUO  
S.

Ego vero Phania, facile tibi assentior, me immortalis amici Ciceronis singularia in rem publicam merita copiosius tibi narrasse, studia ejus et doctrinam fere intacta reliquisse. Nimirum, ab illo inde tempore, quo, te in primis consolante et prope aequedolente, casum meum aliquantum moderatius ferre coepi, nihil antiquius habui, quam saepe et multum de Cicerone meo dicere, quod unum acerbi doloris medelam reperi. Quum vero eximii viri merita tam late profecto pateant, quantum nullius, ego, cum aliis amicis rogantibus, tum tibi flagitanti, primum quae in republica magna et praeclera gesserit, dein de qualis in literis extiterit, narrare constitui. Verum, te non fugit, mi Phania, quam sit difficile, virum plane divinum, in omni artium et doctrinarum genere facile principem, suo pretio aestimare. Tantus enim ab omnibus, et habetur,

et

et est, quantum nemo unus satis digno laudis  
praeconio ornare possit, nisi omni doctrinae co-  
pia et elegantia cumulatus orator.

Quare, quum recondita doctrina atque ornate  
dicendi facultate haudquaquam valeam, Cicer-  
onis mei, vel potius nostri, elogium conscribere  
a me alienum duco. Neque hoc etiam mihi opus  
esse videtur, cum tantam famam sit consecutus,  
ut illius nomen cum Romanorum gloria arctissime  
sit conjunctum. Quum vero tanta in te sit cupi-  
ditas, plura de illo audiendi, equidem tibi mo-  
rem geram; præsertim cum nihil jucundius, ni-  
hil, quod magis in moerentem carissimoque ami-  
co orbatum hominem cadere videtur, inveniam.  
At vero haud scio, an meliorem de Cicerone  
dicendi locum sumere possim, quam si de vita  
ejus literata dico, quam nemo me melius novit,  
ut qui singulari quadam et studiorum et omnino  
animorum necessitudine atque quotidiano usu cum  
eo fuerim devinctus. Igitur, quid in hac materia  
valeam, experiar, contendamque, si modo id con-  
sequi potero, ut nihil, quod ad rationem studio-  
rum spectat, praetermissum videatur.

## C A P U T I.

JUVENILIS AETAS. — AD ANNUN AE  
TATIS XXVII.



Inter omnes, qui et nostra et patrum memo-  
ria extiterunt, summi oratores variaque doctrina  
muniti viri, Ciceronem principem locum tene-  
re, nemo est, qui dubitet. Quem tantum ac ta-  
lem virum, in quo Roma semper gloriabitur, Ar-  
pinates suum vindicare jure suo posunt. Nam  
in villa Arpinati, quum pater ibi cum avo aeta-  
tem gereret in literis, Quinto Servilio  
Caepione et Cajo Atilio Serrano Cos  
III. Non. Januarias (1) natus est Marcus Tul-  
lius

U.C.  
647.

(1) *Epist. VII. 5. XIII. 42. Brutus I. 43. Gellius, ad Att.*  
*Noct. Att. XV. 28.*

lius Cicero (1). Hoc loco semper magnopere delectabatur, eumque germanam suam patriam dicere solebat, duasque se adeo habere patrias: unam naturae, alteram civitatis, sive alteram loci, alteram juris (2). Parente natus est Marco Tullio Cicerone, ex antiquissima stirpe, equestri loco, matre vero Helvia, ex nobilissima gente (3).

Puerulus, quum eas artes ac disciplinas, quibus juventus ad humanitatem informari solet, edoceretur, tanta in eo jam aderat industria, sagacitas et ingenii vis, ut multi parentes, quibus famae celebritate notus erat, scholas adirent, quo ipsi quantum in eo esset ingenii, audire possent. Alii vero moleste ferebant, liberos suos, quos omnes longe antecellebat, Ciceronem μέτου περὶ τιμῆς inter se deducere, ut qui commilitonem propter ingenii praestantiam summo honore dignum judicarent (4).

Non te praeterit, mi Phania, quantum, ut hodie, ita illo in primis tempore Graecorum artes ac disciplinae Romae florerent. Omnis doctrina

(1) De nomine Ciceronis, quod venit a voce *cicer* videatur, Plutarchus in vita Cf. Plinius, *Hist. Nat.* XVIII. 3.

(2) *De Legg.* II. 1.

(3) Plut. I. l. Cf. *Brutus*, 1.

(4) Plut. 2 Inter Ciceronis commilitones erat T. Pomponius Atticus, quem per totam vitam consuetudine sibi devinxit. Nepos in vita *Attici* 1.

na liberalis a Graecis videbatur repetenda atque doctissimi homines juvenilia ingenia a Graecis praceptoribus erudienda et conformanda putabant. Quorum auctoritate Cicerone quoque impediebatur, quominus L. Plautium quendam, qui primus Latine docere cooperat, multosque eruditione sua alliciebat, audiret (1). Itaque Graecis praceptoribus usus est, inter quos Archias poeta fuit, quem quanti faceret, praeclare ostendit, ea, quam pro illo dixit, oratione, qua nihil ornatius, nihil jucundius excogitari potest (2).

Omnis, quas natura hominibus largiri potest, ingenii dotes, Ciceroni adolescentulo inerant; quibus, cum accesserit singulare quoddam laudis studium atque indefesus labor, quid mirum, eum sextum decimum annum agentem in vario literarum genere jam adeo fuisse versatum, ut quisque facile augurari posset magnum quid et singulare in eo aliquando exstiturum.

Hac igitur aetate, sumta virili toga, in forum venit (3). Illo tempore L. Crassus, summus vir et vehemens orator, postquam magna contentione ani-

U. C.  
662.

(1) *Fragm. Epist. ad Titinum.*

(2) Videatur praesertim exordium *Orat. pro Archia*. Ciceronis res in consulatu gestas verbis celebrare coepit, neque tamen, etiam hortante Cicerone, persecisse videtur. *Epist. ad Att. I. 16.*

(3) *Brutus*, 88.

mi viriumque in Philippum invectus erat, paucis post diebus gravi morbo consumptus est (1). Q. Hortensius, qui tum in foro regnabat, erat in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Cotta pulsus; Sulpicius legatus aberrat; etiam M. Antonius. Ceterum oratores Romae aderant, non illi quidem dicendi facultate excellentes L. Memmius et Q. Pompejus, sed saepius tamen non inepte dicentes. Reliquos, qui tum in magistratibus erant Q. Metellum Celerem, oratorem non admodum disertum, Q. Varium, C. Carbonem, Cn. Pomponium, denique Cajum Julium, Cicero, audiendi cupidissimus, quotidie audiebat.

Quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, inde usque repetens, eloquentia Romae semper in summo honore fuit, adeo ut, cum aliae artes ac literae fere neglectae jacerent, haec ars divina incredibili quodam studio annostribus excoleretur. Hanc igitur sibi viam ad nominis immortalitatem munire studuit. Varios quotidie oratores summo ardore audivit, multa et legens et scribens et commentans; quo studio per biennium unice fuit contentus.

Illo tempore Romae florebat uterque Q. Mucius Scaevola, in quorum familia jurisprudentiae laus erat hereditaria (2) Alter, Quin-

(1) Brutus, 89. *De Orat.* III. 2.

(2) *De Orat.* I. 10.

Quinti filius, natu major, augur, tribunus plebis, aedilis, praetor, consul, denique, fuit, jurisque civilis cognitione praeclare excelluit (1). Alter vero summos quoque in republica honores est consecutus, homo omnium et disciplina juris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, et oratione maxime limatus et subtilis, atque, ut Crassus diceret solebat, juris peritorum eloquentissimus, eloquentium juris peritisimus (2). Ad illum Cicero, sumta virili toga a patre deductus est, ut juris civilis cognitione imbueretur, cui rei tantam industriam adhibuit, ut quoad ejus fieri posset, a senis latere nunquam discederet. Multa quotidie ab illo et accurate et concinne disputata memoriae mandabat, ejusque prudentia doctior fieri et melior studuit (3). Hunc Cicero, quum esset summa senectute et perditata valididine, bello Marsicō vidi, quotidie simul atque luceret, facere omnibus sui conveniendi potestatem (4). Doctissimo illo in difficulti juris civilis doctrina duce orbatus, ad alterum se Scaevolam, pontificem, contulit (5), qui nisi jurisprudentia, ornate copioseque dicendi facultate fal-

U.C.  
664.

(1) *De Orat.* I. 45. *Brutus*, 26 et 58.

(2) Hanc Mucii laudationem Tiro summis ex libo *De Orat.* I. 39. Cf. *Brutus*, 39 et 40.

(3) *De Amicitia* I. de Legg. I. 4. ubi Atticus se etiam ad Scaevolam ventitasse dicit.

(4) *Phil.* VIII. 10.

(5) *De Amicit.* I. 1. *Brutus*, 11.

saltem auguri praestabat. Hic igitur vir summus, non docendi quidem munere fungebatur, sed tamen iis, qui eum consulebant, jurisve cognoscendi studio flagrabant, nunquam deērat. Quo paeceptore mirūm est, quantum cum in juris doctrina percipienda, tum in germanae eloquentiae via investiganda profecerit. Ne putas vero, eum omnem juris scientiam a paeceptoribus tantum petivisse. Ipse enim paeclare intellexit, totam hanc disciplinam aeterna sapientia hominum mentibus quasi esse involutam (1), eamque igitur prius putabat esse enucleandam et excolendam. Deinde ea, quae ex usu quotidiano, ex congresione hominum, ex antiquitatis denique monumentis colligi possunt, juris studio liberali cognoscenda ducebant. Neque eum deterrebat, quod jus civile nonnullis per varia scripta dispersum et dissipatum videretur. Acerrimo enim, quo valebat ingenio, acute perspexit eadem saepius a pluribus scripta esse, at paucis tantum modo verbis immutatis (2). Accedebat vero, quo facilius in hoc studium incumberet, mira quaedam, quam ex eo percipi posse putabat, in cognoscendo suavitas et delectatio. Sic enim existimabat, quocumque quis animum verteret, juris civilis studium uberrimum fontem esse, ex quo variae amoenitates profluerent. Duodecim

ta-

(1) *De Legg.* I. 5. II. 4.

(2) *De Orat.* I. 42 sqq.

tabularum libellum, quem, ut mos erat, illius aetatis pueri, tanquam carmen necesarium discebant (1), tanti profecto fecit, ut non dubitaverit statuere, eum bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare (2). Sed unde narratio mea digressa est, eodem redeat. Sulla consule et Pompejo, P. Sulpicium U.C.  
665. disertum oratorem frequenter in tribunatu dicentem, tam diligenter audivit, ut omnem ejus dicensi genus penitus perciperet (3).

Iisdem fere temporibus, qui unus omnium Academicorum princeps tum erat, Philo (4) cum Atheniensium optimatibus, Mitrhidatico bello flagrante, Athenis, optimarum artium et literarum sedibus, Romanum fugit (5). Cujus adventus, cum aliis, qui Graecarum literarum et Academiae amore ardebant, tum in primis Ciceroni magnae et jucunditatis fuit et utilitatis. Etenim, cum doctrina valeret liberali atque dicendi facultate egregia, omnes, qui aliquid audire vel discere cupiebant, magna comitate excipiebat, atque alio tempore rhetorum, alio vero philosophorum pracepta tradere solebat (6).

Tul-

(1) *De Legg.* II. 23.(2) *De Orat.* I. 44.(3) *Brutus*, l. I *De Orat.* III. 3.(4) Philo, Clitomachi discipulus, saepiusa Cicerone laudibus effertur. — *Acad.* I. 4. IV. 6. *De Orat.* III. 28.*Tusc.* II. 10.(5) *Brutus*, l. I.(6) *Tusc.* II. 3.

Tullius noster jam a primo illo aetatis actu, quo pulcri decorique sensus animum primum afficere solet, incredibili quodam ad philosophiam studio erat incensus (1), qua nec sibi cariorem ullam unquam rem in vita fuisse, nec hominum generi majus a Diis munus ullum esse datum, saepius dicere solebat (2).

Invaluerat illo tempore opinio, ab iis profecta, qui Graecorum laudem Romano nomini infestam putabant, omnem prudentiam, dicendique artem a nostratis esse repetendas, quippe qui Graecis longe essent anteponendi. Itaque fuerunt, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrabantur, tamen, quo facilius Marcum nostrum, Quintum fratrem, aliosque a Graecis literis deterren-  
t, haud dubitaverint affirmare, L. Crassum et M. Antonium summos oratores, vel omnis doctrinae fuisse expertes, vel saltem non plus attigisse eruditionis, quam prima illa ac puerili in-  
stitutione sibi comparaverant. At vero Cicerones, generosi juvenes, cum patris, optimi ac prudentissimi viri, tum C. Aculeonis et L. Ciceronis patrui auctoritate freti, in tantum errorem non potuerunt induci. Nam illud et ratio eos et quotidianus usus docebat, eloquentiam non aretis di-  
sci-

(1) *Epist. ad Div. IV. 5. De natura Deor. I. 4. Tusc. V. 2. De Rep. I. 4.*

(2) *Epist. ad Div. XV. 5.*

sciplinae veluti cancellis esse circumscriptam, sed variam ac copiosam doctrinam et omnem sapientiam sibi deponere (1). Atque hac sententia adeo semper fuit convictus, ut per totum vitae spatium eundem cursum tenuerit, dixeritque aliquando, cum de Academia et Peripateticis sermo esset.

„Ad eos igitur converte te, quaeso. Ex eorum scriptis et institutis cum omnis doctrina libera-  
lis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi  
„potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo  
„sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem  
„fatis ornatus poscit accedere. Ab his oratores, ab  
„his imperatores ac rerum publicarum principes  
„exstiterunt (2).”

Itaque, quum tantum in Cicerone nostro a prima aetate esset sapientiae studium, jam mature se ad illam applicavit et primum quidem, Phaedro Epicureo duce (3), qui ei, antequam Philonem, in cuius disciplinam deinde transiit, audierat, magnus philosophus; postea vero vir bonus et suavis et officiosus probabatur.

Philoni autem, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, totum se tradidit (4) atque

(1) *De Orat.* II. 1 et 2.

(2) *De Finibus.* V. 3.

(3) *Epist. ad Diy.* XIII. 1. Cf. *De natura Deor.* I. 33.  
*Epist. ad Att.* XIII. 39.

(4) *Brutus*, l. l. *Epist. ad Diy.* XIII. *De natura Deor.*  
l. 3. *Acad.* IV 4.

que ab eo primum divini illius Platonis amore imbutus est. Quem postea vehementer auctorem fecutus est, et summis faepius laudibus extulit (1).

- U. C.**
666. Illo tempore Romae morabatur **Apollonius** **Molo**, Rhodius, qui cum summius esset rhetor et non contemnendus actor causarum, multos discipulos dicendi studiosos nactus est. Verum, etsi mercede doceret rhetoricam, neminem tamen in disciplinam excipere voluit, nisi qui natura ad eloquentiam aptus et veluti conformatus videretur. Nam, ad quam artem vel disciplinam cujusque indoles maxime idonea videretur, ad illam exercendum, quemque hortari solebat (2).

Huic doctori **Cicero** magnam operam, dedit artemque dicendi, illo duce et magistro, penitus perspicere coepit (3). **Molo** enim philosophiam quidem irrisit atque contempsit, attamen inter dicendi magistros, qui tum Romae erant, facile principatum tenebat (4).

Habes igitur, quod primum a me exspectare potuisti, rationem, qua **Cicero** in varia artium ac do-

(1) Platonem pasim nostrum aliquando *Deum* dicit **Cicero**. *Epist. ad Div.* I. 9. IX. 22. *ad Att.* IV. 16. *ad Q. Frat.* I. 1. *Brutus*, 51. *Orat.* 3. *de Legg.* I. 5. et alibi. Summe tamen Platone in laudat *in Bruto*: „Jovem ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui.”

(2) *De Orat.* I. 28.

(3) *Brutus*, 51.

(4) *De Orat.* I. 17.

doctrinarum genere processerit, quemve cursum tenuerit, ut in Hortensi, cuius vestigia vehementer est persecutus (1), gloriae societatem veniret.

Jam tanta in juvēne annos XXI nato aderat U. C.  
667. ingenii vis, doctrinae copia et dicendi facultas ut, quacumque de re vellet, limatum quid et reconditum, aut dicere, aut scribere posset. Verum ad dicendi munus, quum vocis et laterum vires requirantur, propter aetatem minus proiectam causas agere nondum potuit. Quapropter animum ad scribendum maxime appulit, quo facilius ad germanam illam absolutamque eloquentiam aditum sibi compararet. Nulla enim res, ut ipse profiteri solebat (2). tantum ad dicendum proficit, quam scriptio. Scriptis igitur quatuor libros de arte rhetorica (3); quos postea quidem, puero aut adolescentulo sibi ex commentariolis inchoatos ac rudes excidisse scripsit (4), in quibus tamen egregiam disserendi facultatem et reconditam doctrinam haud facile desideres, adeo, ut viri potius in literis diu multumque versati, quam juvenis opus esse videatur. Praeterea eodem fere tempore Xenophontis

li-

(1) *Brutus*, 90.

(2) *Brutus*, 24.

(3) Ex hisce quatuor libris duo tantum *de inventione rhetorica* supersunt.

(4) *De Orat.* I. 2.

librum, qui oeconomicus inscribitur e Graeco in Latinum convertit (1).

U. C. Per triennium Sulla absens bellum contra Mi-  
 667  
 669. thridatem gesit; Marius et Cinna factioni-  
 bus rempublicam conturbarunt. Aberant M. Cras-  
 fus et Lentuli duo, oratores non infantes.  
 Regnabat potissimum in foro Hortensius; ma-  
 gno omnium consensu saepius dicebat Antistius  
 atque Piso, minus saepe Pomponius, raro  
 Carbo, semel aut iterum Philippus. Cice-  
 ro vero hoc tempore omni a republica se absti-  
 nuit atque incredibili quodam gloriae et cognitio-  
 nis studio incensus, noctes et dies in omnium do-  
 ctrinarum meditatione versabatur (2).

Ab illo inde tempore Stoicus Diodotus  
 apud Ciceronem commorabatur, qui cum per  
 multos annos apud eum habitavisset, et quotidiano  
 usu cum eo divinctus vixisset, ab ejus latere non an-  
 te discessit, quam morte sit ereptus (3). Erat vir  
 cum in aliis disciplinis (4), tum in philosophia adeo

ver-

(1) *De Officiis*, II. 24.

(2) *Brutus*, I. 1.

(3) *Brutus*, I. 1. *Epist. ad Fam.* XIII. 16. IX. 4. *Epist. ad Att.* II. 20. ex qua patet Diodotum, C. J. Caesare et M. Calpurnio Bibulo Cosi. U. C. 694 diem obiisse supre-  
 mum, adeoque per 28 annos Ciceronis amicitia et consortio  
 usum fuisse. Eadem *Epist. ad Atticum* scribit Diodotum  
 ei II—S. fortasse centies reliquisse.

(4) *Epist. ad Fam.* XIII. 16.

versatus, ut postquam caecus eset factus, a veterum lectione tamen non destiterit, qua in re oculis non egebat. Praeterea, quod vix credibile videtur, geometriae munus caecus tuebatur, verbis praecipiens dissentibus, unde, quo, quamque lineam ducerent (1). Huic Cicero doctori, quocum variarum artium et multarum amore egregie conspirabat, ita erat deditus, ut nullo plane die ab exercitationibus oratoriis vacaret (2). Ita quotidie in dialectica exercebatur, modo meditans, modove clamitans cum M. Pifone, Q. Pompejo aliisque et eo limatior in dies atque doctior evasit. Aliquando dicebat Latine, saepius vero Graece, cum quia Graece loquens a praceptoribus facileius corrigi poterat, tum quia Graecorum libertatem et elegantiam sibi comparare et in Latinum sermonem transferre studebat (3).

Generosi juvenes, siquidem ingenii celeritate et vi mature eluent, quum laudis studio trahantur, campumque appetant, in quem libere exspatiari possint, vehementer ad poësin propendere solent. Sic Platone m juvenem, in quo, quidquid praeclarum felix natura efficere potest, eminuit, novimus, poësin, antequam philosophiam tractare aggressus est, summo studio excoluisse. Eadem ratione Ci-

ce-

(1) *Tusc. Quaest.* V. 39.(2) *Brutus*, I. I. cf. *de natura Deor.* I. 3.(3) *Brutus*, I. I.

cero in prima juventute poësin amavit, pluresque versus composuit, qui satis ostenderent, eum, si animum eo vertere voluisset, magnam ex hac arte gloriam sibi potuisse comparare. Exstant ejus carmen *Pontius Glaucus* (1), quod admodum puerō et *Arati Phaenomena*, quae adolescenti exciderunt (2): quorum haec, et ab aliis, et ab ipso Cicerone magni semper sunt habita. Ceterum adolescens *Marium* scripsit, quo carmine C. Marii res praeclaræ gestas eleganter celebravit (3).

Postea poëticam minus quidem studiose coluit, quam ut principibus poëtis sit annumerandus, neque tamen eam plane neglexit. Sic enim sentiebat, neminem esse perfectum oratorem, nisi esset omnibus artibus liberalibus perpolitus et veluti nutritus (4).

(1) Plutarchus, *in vita*; cuius temporibus hoc carmen etiam supererat.

(2) *De nat. Deor.* II. 41, ubi multi versus a Balbo laudantur cf. *Tusc. Quæst.* IV. 20.

(3) *De Divinat.* I. 47. *de Legg.* I. 1. *Att.* XII. 49.

(4) *De Orat.* I. 16. Cicero postea carmina composuit in laudem Caesaris, *Att.* IV. 5. *Fam.* III. 1, 8, 9. deinde *prognostica*, *Alcyones*, *Limonem*, *de suo consulatu*, *de suis temporibus*, *elegiam Temelastem* et *Jocularem libellum*: quorum fragmenta supersunt.

## C A P U T . II.

VIRILIS AETAS — A. AETATIS XXVII—LX.



Postquam Cicero omnem , qua late patet , doctrinarum artiumque campum peragraverat et in primis cum legendis (1) , tum audiendis optimis oratoribus , ab omni parte esset conformatus et munitus , causas agere aggressus est . Itaque , non ut in <sup>U C.</sup> foro disceret , quemadmodum plerique hodie facere solent , sed ita profecto doctus in forum venit , ut in omnibus negotiis , sive quae ad rempublicam spectarent , sive quae dicendi viam sibi deposcerent , facile se tueri posset (2) .

Inter primas , quas dixit causas , fuit difficilis illa , quam Q. Hortensio adversario , pro P. Quintio egit . Magnam in illa oratione ostendit dicendi copiam cum summa suavitate et ingenuo lepore  
con-

(1) *Brutus* , 34 , 35 , 43 , 44 , 87.

(2) *Brutus* , 90.

conunctam. Praeterea tantam juris civilis cognitionem, quantam in hominibus, haud longe aetate provectis raro offendimus (1). Interea a rhetoricis exercitationibus non destitit, iterumque Moloni, qui Sulla dictatore legatus ad Senatum venerat, principi illi dicendi magistro, operam dedit (2).

Illo tempore Sulla e libertus Chrysogonus, patroni auctoritate adductus, Sextum Roscium Amerinum parricidii accusavit. Quum maximum in Sulla esset vis ac potestas, nemo repertus est tam audax, qui Roscii causam defendere ausus fit. Itur ad Ciceronem. Hic etsi Sullae odium magnopere vereretur, amicorum auctoritate et insignis laudis stimulo impulsus, Roscii causam lubens in se suscepit. Haec itaque prima causa publica a Cicerone dicta adeo omnibus viris, cum magistratibus, tum oratoribus et probata et laudata est, ut nulla esset causa tam gravis, tam implicata, quae non illius patrocinio dignissima videatur (3). Deinceps igitur saepe et multum dixit; in quas orationes, cum omnem suum laborem et eloquentiam contulerit, haud mirum, Ciceronem brevi tempore principibus oratoribus fuisse annumeratum (4).

Ve-

(1) *Orat. pro Quintio*, quae M. Tullio Decula et Cn. Cornelio Dolabella Cosf. a Cicerone habita est.

(2) *Brutus*, l. 1.

(3) *Brutus*, l. 1. *De Offic. II. 14.* et *Plut. I. I. 3.*

(4) *Brutus*, l. 1. Inter orationes de quibus Tiro hic loquitur

Verum tamen paullo post, nescio, utrum Sul-  
lae timore, an vero corporis infirmitate, a causis  
agendis aliquantum est absterritus (1). Nimurum  
per totam vitam infirma utebatur valetudine, adeo  
ut stomachus cibum, quantumvis tenuem ac pa-  
rum vix concoquere potuerit (2). Saepius quo-  
que lippitudinem sibi molestam esse conquereba-  
tur (3). Praesertim eo tempore, quo Roscii  
causam egit, erat in eo summa gracilitas corpo-  
ris, procerum et tenue collum. Hujusmodi habi-  
tus et figura magnum vitae periculum adducere pu-  
tatur, praecipue si labor assiduus et nimia vocis  
et laterum contentio accesferint. Quoniam singula-  
ris quidam in Cicerone aderat animi ardor et  
impetus, amici ejus et medici vehementer vere-  
bantur, ne dicendi munus Ciceronis naturam  
infirmam frangeret. Nihil facile illo tempore Ci-  
ceroni molestius accidere potuisset, quam ab  
ea, quam laudis studio conflagrans, vix ingressus  
erat, via desistere. Etenim, quodvis potius peri-  
culum adire, quam a sperata dicendi gloria disce-  
dere multo malebat. Attamen, cum hujusmodi  
esset valetudinis, metuens, ne ante in ipso cursu  
mor-

tur referenda est ea, qua Arretinae mulieris libertatem con-  
tra Cottam defendit *pro Cae. 33.*

(1) *Brutus*, I. 1. *Plut.* I. 1.

(2) *Plut.* I. 1. Cf. *Epist. ad Fam.* VII 16.

(3) *Epist. ad Att.* VIII. 12 et 13. X. 17.

morte obrueretur, quam ipsum portum conspicere posset, genus dicendi aliquantum moderare atque remissius paullo et temperatius dicere constituit. Haec potissimum, ut ipse testatur (1), causa ei in Asiam proficisciendi fuit. Accedebat, opinor, quod Graeciam et vel maxime Athenas, veras illas humanitatis et doctrinae sedes videre cupiebat. Huc igitur primum profectus est, ibique plures, cum philosophos, tum rhetores audivit.

Erat illo tempore Athenis Antiochus, Philonis auditor (2), veteris Academiae nobilissimus et prudentissimus philosophus. Hujus audiendi studiosus, Cicero Philosophiae studium a prima juventute inchoatum, nunquam plane intermissum, magno ardore instauravit, atque per sex menses, summum illum doctorem comitem habuit. Simul vero apud Demetrium Syrum, veterem et non contemnendum dicendi magistrum, rhetoricae operam dedit. Deinde, Athenis relictis, Asiam fere totam peragravit, variisque locis cum summis oratoribus exercitationes instituit, a quibus lukebenter et comiter est exceptus. Horum princeps erat Menippus, Stratonicensis, tota Asia, illis temporibus, omnes oratores longe antecellens; qui tam purum et elegans dicendi genus complect-

ba-

(1) *Brutus*, 1. 1.

(2) *Aead.* IV. 2 et 4. Cf. *Fragm. Epist.* ad C. Panoram ex edit. *Ernestina*, VII. pag. 1064. P 1 u t. 1. 1. 4

batur, ut dignus esset, qui in Atticorum numerum recipéretur. Praeterea assidue Ciceronem comitabantur Dionysius Magnes, Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles, qui tum in Asia rhetorum principes namerabantur. Neque tamen in hisce rhetoribus audiendis substitit; verum eundem, quem Romae tanto studio et amore audiverat, omnium hujus temporis dicendi magistrorum, longe principem, Molonem tertium audire cupiebat. Una cum Ciceronе Rhodum profectus est Servius Sulpicius, qui ab ineunte aetate Ciceronis, et amicus fuit, et studiorum socius. Hic, cum non ineptus esset orator, eloquentiam tamen propterea potissimum assumxit, quem ad jus civile tuendum opus esset. Etenim, quamvis ad summam dicendi gloriam facile pervenire posse videretur, tamen id maluit, quod etiam est consecutus, omnium nimirum, non modo ejusdem aetatis, sed eorum quoque, qui antea fuerunt, in juris civilis cognitione esse principes (1).

Itaque Cicero Rhodum venit, ut a Molone, egregio doctore, tertium disceret, quae nam optima ad eloquentiae fastigium esset via et ut hic vitia, quibus Ciceronis oratio etiam laborabat, animadverteret, et annotaret (2). Qua in

(1) *Brutus*, 41.

(2) *Brutus*, l. l. Eleganter de hac re Quint. Lib. XII. 6. scri-

in re Mol o singulari quadam et admirabili facultate gaudebat. Hic igitur cum Ciceronem juvenili quodam ardore nimium redundare et quasi superfluere videret , eum aliquantum reprimere , et quasi extra ripam disfluentem , coercere studuit. Ne vero quis putet , Molonem multa in Cicerone reprehendenda habuisse , ejusque eloquentiam , qualis tum erat , parvi duxisse , hoc addam. Dicitur Mol o Ciceronem rogas se , ut aliquando Graece orationem haberet , quo melius eum intelligere et vitia corrigere posset. Cui rogationi cum Cicero facile obtemperaret , tanta dicendi vi et suavitate dixit , ut omnes , qui aderant , in summam admirationem raperet. Postquam igitur dicendi finem fecerat , omnes eum eximia laude extulerunt , Apollonius vero , qui , dum dicebat Cicero , nullum voluptatis signum ediderat , solus taciturnus remansit. Tandem vero , quam Ciceronem aliquatenus conturbatum videret : te , inquit , mi Cicero , mirabiliter laudo , atque admiror. At vero miseret me Graeciae , quoniam unum id , quod nobis reliquum erat ,

scripsit : „ Usus est hac ratione M. Tullius et cum jam clarum meruisset inter patronos , qui tum erant , nomen , in Asiam navigavit , seque et aliis sine dubio eloquentiae et sapientiae magistris , sed praecipue tamen Apollonio Moloni , quem Romae quoque audierat , Rhodi rursus formandum ac velut re-coquendum dedit.” Cf. Plut. l. 5.

erat, doctrinam nimis r̄um et eloquentiam, à te ad Romanos collatum, video (1)."

Eodem fere tempore Posidonio, philosopho, Panaetii discipulo, familiariter (2) usus est, multumque eo magistro (3) in philosophia profecit. Postea quoque eundem semper magni fecit et, quae scribebat, cum summo illo viro communicare solebat (4). Ita Cicero, postquam per biennium in Graecia et Asia erat peregrinatus, multosque philosophos et rhetores summo studio coluerat, Romanam rediit, non modo exercitator, sed prope mutatus. Etenim, doctrina variis exēcitungib⁹ multum erat adacta; oratio minus grandis et incitata evaserat, nimiaque vocis contentio reciderat. Praeterea lateribus vires et corpori firmior habitus accēserant (5).

Inter plurimos, qui tum Romae florebant, oratores, duo potissimum erant summi dicendi artifices, qui Ciceronem imitandi cupiditate incenderent, Cotta et Hortensius. Quorum alter remissus et lenis aptisque verbis sententiam comprehendens, alter vero perelegans, gravis, vehemens, magnificentius dicendi genus habebat. Itaque cum Hortensio in primis eloquentiae laude certare ei-

U. C.  
676.

(1) Plut. I. 1.

(2) De fin. bon. et mal. I. 2.

(3) De nat. Deor. I. 3. De Fato, 3. Plut. I. 1.

(4) Epist. ad Att. II. 1.

(5) Brutus, I. 1.

eique, nisi palmam praeripere posset, aequalis certe fieri vehementer studuit. Etenim videbat, variis in causis, ut pro M. Canulejo et Cn. Dolabella, cum Cotta princeps adhibitus esset, majorem tamen locum obtinere Hortensium (1). Tum Cicero, qui jam antea magnam sui spem et exspectationem commoverat, variis eloquentiae dotibus praeditus, limatus, absolutus et, quatenus hoc hominibus contingere poscit, perfectus orator prodiit, multasque nobiles causas egit tanta, et eruditorem, et populi approbatione, ut dubium non amplius esset, eum omnium Romanorum, qui fuerunt eorumque, ut auguror, qui erunt, longe maximum existere.

Inter alias multas, quas hoc anno egit, causas extat illa, quam pro Q. Roscio comoedo dixit. Cujus familiaritate Cicero per multos annos fruebatur, et a quo, uti etiam ab Aesopo, tragoediarum actore (1), omnia, quae ad actionem omnemque corporis figuram et habitum pertinent, didicit (3). Etenim, cum uterque in sua arte excelleret, Roscius tamen ita ab omnibus aesti-

ma-

(1) *Brutus*, 92.(2) *Plut.* I. I. 6. *De Orat.* I. 6.(3) *Plut.*, I. I. pro *Archia*, V. 8. *De Orat.* I. 27 et 28. ubi legimus. „ Itaque hoc jam diu est consecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, in suo genere Roscius dicetur.” Cf. *Brutus*, 84.

mabatur, ut ore durissimo esse videretur, qui, praesente eo, gestum agere conaretur (1).

Fuit hoc sane tempus, et memorabile, et Romano nomini gloriosum, quo duo maximi oratores, quales vix singuli singulis aevis reperiuntur, de summa dicendi gloria certarent. Antea quidem existiterant M. Antonius et L. Crassus, in quibus primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copia est aequata (2). His vero, etsi quisque eorum in suo dicendi genere adeo perfectus esset, statuere ut non posse, utrius te malles similiorem, dicendi laude etiam praestare videntur Hortensius et Cicero. Hi igitur, quamvis non omnino essent pares, eodem ardore incensi, ineunte aetate eloquentiae operam dederunt, neque ullum patiebantur diem esse, quin, aut in foro dicerent, aut extra forum exercentur. Uterque attulerat optimum dicendi genus, splendidum illud atque ornatum, quod tamen nihil afflati et corrupti habebat. In utroque magna erat memoriae vis, qua omnia, quae antea essent secum commentati, fine scripto iisdem fere verbis redderent. Praeterea, quae ad actionem pertinent, quaeque mirum quantum ad eloquentiam faciunt, in utroque tanta erant, ut nihil unquam perfectius aut elegantius. In hoc vero differebant, quod in Hortensio magis genus

(1) *Pro Quintio*, 24. *De Orat.* II. 57.

(2) *Brutus*, 36.

nus dicendi Asiaticum erat, in Cicerone vero, ut ego quidem arbitror, magis Atticum. Porro, quamvis uterque magna valeret doctrina, Cicero tamen artium ac disciplinarum varietate et inusitata totius antiquitatis cognitione Hortensio etiam praestabat (1). Uterque denique cum esset in verborum splendore elegans, Cicero tamen, limatior etiam et singulari stili et sermonis Latini studio politior videbatur.

Verum enim vero, cum tantum in utroque fuerit, et eloquentiae, et gloriae studium, quantum omnes novimus, mirum videri potest, eos in variis causis agendis consiliorum omnium societate conjunctissime versatos fuisse. Etenim, cum Cicero Hortensium sibi, Hortensius Ciceronem sibi anteferret, alter alterum non, ut plerique putabant, adversarium aut obtrectatorem laudum suarum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris habuit (2).

In-

(1) Quin adeo philosophia ab Hortensio aliquando est accusata et vituperata. *De fin. bon. et mal.* I. 1.

(2) Brutus, 1 et 94. Non tamen inviolatam inter eos stetisse amicitiam existimari licet ex *Epist ad Att.* III. 9. IV. 6. VI. 6. X. 17 et 18. *ad Q. Fr.* I. 3. Atticus multum operae dedisse videtur, ut omnem obtrectationem ab illis arceret, uti patet ex Nepote *in vita Attici*, 5. ubi haec legimus: „, utebatur autem intime Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, utrum eum plus diligenter Cicero, an Hortensius, et id, quod erat

Interea Cicero, cum honores petere coepisset, u.c. 678.  
quaesturam obtinuit in Sicilia. Quod munus ita profecto gessit, ut, cum ab aliis magnopere laudetur, ipse in hoc munere jure suo gloriari posset (1). Neque tamen literarum studium propter muneris multa et varia negotia neglexit, sed doctrinam suam, si qua posset, etiam amplificare studuit.

Cujus rei, cum multa possem, unum tantum testimonium afferam. Quum enim censeret hominem, qui excellere sapientiae gloria vellet, omnia, quae quidem studio assequi potest, complecti debere, matheeos studium nunquam neglexit, ejusque disciplinae principem doctorem, Archimedem, magni, si quis unquam, fecit. Itaque in Sicilia degens, maximi viri, ignoratum a Syracusanis, septum undique et vestitum veribus et dumetis indagavit sepulcrum. Habebat enim quosdam versiculos in ejus sepulcro, ut acceperat, inscriptos, ex quibus cognoverat, in summo sepulcro inesse sphaerae figuram et cylindri. Cum autem locum, ubi mul-

erat difficultimum, efficiebat, ut inter quos tanta laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium viorum copula."

Ceterum de Hortensio videatur pro Quintio 1 et 2. *Diy. in Q. Caec. 7.* In *Verrem* Act. I. 4 et passim pro *Sextio* 2. *De Orat.* III. 61 etiisque locis.

(1) In *Verrem*, V. 11. pro *Plancio*, 26.

multa sunt sepulcra, ad portas Achradinas diligenter pervestigaret, columellam invenit, in qua hujusmodi figurae adesse videbantur. Qua igitur detecta et purgata, eosdem versiculos invenit, exesistantum posterioribus. „Itaque nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis, unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset (1)“

**U.C.** Quum anno post e Sicilia decederet, Romain  
679. rediit, ut summos adiret honores et ad summam eloquentiae laudem perveniret. Illo tempore, ut ipse ingenue de se testatur, jam videbatur illud in eo, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suam (2).

Ita, cum in plurimis (3) aliis causis et in principibus patronis per quinquennium fere assidue versatus est, tum Siculorum patronus Verrem accusans maxime in certamen venit aedilis designatus cum

**U.C.** designato consule Hortensio (4). In his orationibus magna ac varia splendebat eloquentiae vis. Nihil in iis desiderabatur, quod vel ad docendum eum, apud quem dicatur, vel ad delectandum, vel ad nocendum vehementius, quod summum est,  
683. con-

(1) Tiro hoc loco ipsius Ciceronis verbis utitur *Tusc. Quaest. V. 23.*

(2) *Brutus*, 92.

(3) Inter has laudandae orationes pro M. Tullio et L. Vareno, quarum fragmenta nonnulla supersunt.

(4) *Brutus*, 1, 1.

conducere potest. Erat in iis magna gravitas; erat cum ea conjunctus nativus quidam non fucatus lepos. Mirifice autem capiebatur facetiis, maxime Romanis, quas Atticorum falibus etiam falsiores ducebat (1).

Aedilis munere perfunctus, biennio post prae-  
turam petiit et quadriennio post consulatum ges-  
fit. Quae dignitates eum non modo non a dicen-  
do removerunt, verum etiam praecaram materiam  
praebuerunt, in qua ejus dicendi vis splendere pos-  
set. Quarum omnium orationum (2), ut quaeque  
admiranda est et laudanda, sic longè praefstant illae,  
quibus consul, magna vi et contentione in Ca-  
tilinam, portentum illud ac paene funus reipu-  
blicae, invectus est.

Per totum illud temporis spatium, quod mirum  
videri potest, qui eo jam pervenerat eloquentiae,  
omni laude dignissimus orator, non desistebat ta-  
men et vario exercitationis genere et praesertim  
stile colendo ad id, quod in arte dicendi summum  
est, eniti. Quare non mirandum videtur, hominem  
novum tam celeriter ad summos in republica ho-  
nores pervenire potuisse. Nam, cum propter assi-  
dui.

(1) *Epist. ad Fam.* IX. 15. cf. VI, 32. ceterum de joci  
et facetiarum utilitate. *De Orat.* II. 54. *Orat.* 26.

(2) Ad illa tempora, praeter Catilinarias, referendae sunt:  
*Orat. pro Fontejo*, pro *Caecina*, pro *lege Manilia*, pro *Cluen-  
tio*, pro *Fundanio*, pro *Gallio* et pro *C. Cornelio*, de *lege  
agraria*, pro *C. Rabirio*, aliaeque, quae perierunt. *Epist. ad  
Att.* II. 1. ubi decem, quas Attico mittit orationes enumerat,  
easque *consulares* vocat.

U. C.

686.

U. C.

690.

duitatem in causis et industriam, tum propter excellens et inusitatum dicendi genus omnium oculos in se unum converterat, ceterosque oratores (Hortensii oratio tum jam canescebat) longo post se intervallo reliquerat. Nihil amplius de Cicerone oratore dicam. Dicam de reliquis, „ quorum nemo erat, qui videretur exquisitus, quam vulgus hominum studuisse literis, quibus fons perfectae eloquentiae continetur: nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium benefactorum, beneque dictorum: nemo, qui jus civile didicisset, rem ad privatas causas et oratoris prudentiam maxime necessariam: nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret: ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret: nemo, qui breviter arguteque inclusu adversario laxaret judicum animos atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret: nemo, qui dilata re posset atque a propria ac definita disputatione hominis et temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere: nemo, qui dilectandi gratia, digredi parumper a causa, nemo qui ad fletum posset adducere: nemo, qui animum ejus, quod unum est oratoris maxime proprium, quocumque res postularet, impellere. (1)

Quandoquidem mihi satis copiose exposuisse vi-  
deor, quinam fuerint gradus Ciceronis et qua-

(1) Tiro hoc loco verbis usus est ipsius Ciceronis in  
*Bruto* 93.

si processus dicendi, venio jam ad cetera illius studia, quae ei postquam a republica et honoribus aliquatenus destiterat, perfugium quodam ac solatium praebuerunt. Nam iis temporibus cum in muneribus et causis agendis quotidie fere versaretur, semper quidem studiis magnopere deditus erat et quantum aliis ad res suas obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum: quantum alii tribuunt tempestivis conviviis (1), quantum denique aleae, quantum pilae, tantum sibimet ad humaniora studia excolenda sumebat. (2) Verum, ea, quae consulatum ejus secuta sunt, tempora, quando res publica magis magisque conturbari, principumque ambitione et factionibus lacerari coepit, Ciceronem paulatim a rebus gerendis avocarunt (3), et ad mansuetiores literas tractandas adduxerunt.

Magnopere *Tusculano* suo delectabatur, sibi que tum demum, cum eo veniret, placere poterat (4). Est praedium pulcrum et amoenum in quo

(1) Ciceronem a lautiis conviviis et luxuriosa vivendi ratione abhoruisse testatur Plut. 10.

(2) Ipsa fere verba sunt Ciceronis pro *Archia*, 6.

(3) *Epist. ad Att.* I. 16. scribit. „ Videsne consulatum illum nostrum, quem Curio ante ἀποθέσιν vocabat, si hic factus erat, fabam mimum futurum? Quare, ut opinor, Φιλασοφητέου, id quod tu facis, et istos consulatus non flocci εἰπέον.

(4) *Epist. ad Att.* I. 4. 5. et 6. Praeter *Tusculanum* habet

quo ornando multos sumtus fecit et quo varia signa, statuas deportavit. Constituebat ibi quasi Academiam quandam sibi exstruere, in qua, liber a forensi quotidiano strepitu inanibusque contentionebus, cum amicis sive eruditis sive doctrinae cupidis aetatem agere literasque excolere posset. Idcirco cum aliis, tuin in primis Attico omnia mittere jussit, quae Academia digna viderentur. Quae vero γυμναστιώδη maxime erant, ea potissimum quaerebat (1).

Praeterea bibliothecam, quamvis fatis magnam jam haberet (2), ornare magis et amplificare semper studuit, ut, postquam in otium venisset, haberet, quo, et ad delectandum, et ad cognoscendum perfrui posset. Quare undique libros colligere, praesertim Attici ope conatus est, a quo aliquando magnam librorum copiam nactus est (3).

Igitur, cum in Tusculano esset, semper doctissimos amicos secum habebat, sive Graecos, Platonem, Demosthenem, aliosque, quos ex

bat Formianum, Att. I. 4. II. 4. II. 13. Arpinas, ubi gymnasium exstruxerat, quod Amaltheum vocabat. Att. I. 16. II. 11. 15. Pompejanum, Att. II. 1. 4. Cumanum Att. V. 12. ad Quint. Fratrem, II. 7. 14.

(1) Ibid. et 8. 9. 10. II. Fam. VII. 23.

(2) De Fin. bon. et mal. III. 3.

(3) Att. I. 7, 10 et 11. Ad libros comparandos et disponendos Cicero saepius usus est Tyrannione de quo Att. II. 6. IV. 4. 8. Q. Fr. III. 4. et 5.

ex bibliotheca expromere poterat, sive Romanos, Sulpitium, Varronem, Catoneim, qui primus fortasse nominandus erat, Atticum aliosque, qui saepius cum eo Roma se in praedium amoenissimum recipere solebant, ut ex reipublicae turbis et contentionibus animos literis excolendis relaxarent. Hic enim cum de temporibus illis, tum maxime de variis artibus ac disciplinis suavisime colloquebantur. Hic porro, postquam satis laute, non vero splendide accubuerant, in amoenissimis opacisque spatiis inambulare, simul autem de variis doctrinæ locis disputare solebant.

Verum enim, cum Cicero amicis suis et reipublicae deesce nollet, quamvis unice literis se dedere et in philosophia vitam agere cuperet, nullum sine dignitate otium amabat. Praeterea prima post consulatum tempora ei admodum funesta fuerunt, quum maximum reipublicae discrimen ac paene naufragium, quae prudentia sua averterat, in eum ipsum redundarent. Intelligis, opinor, mi Phania, me dicere de infelici illius exilio, cuius causas nuper tibi copiose exposui. Transeo has omnes calamitates, quae eum adeo afflixerunt, ut eas non semper aequo animo, uti philosophum decebat, ferre posset (1) atque etiam praetermitto felicissimum, qui brevi insecurus est, ipsius  
re-

(1) Att. Lib. III.

reditum. Quum incredibile quoddam in eo esset gloriae studium, consulatum suum, et ab aliis literis illustrari mirabiliter cupiebat, et ipse scriptis explanare cogitabat. Commentarium igitur rerum suarum in consulatu gestarum Graece composuit et deinde Latinum reddidit (1). Hunc cum Attico aliisque, tum Posidonio Rhodum misit, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, qui tamen, postquam legerat, Ciceronis elegantia et suavitate non modo non ad scribendum excitatus; verum etiam ab hoc opere absterritus fuit (2). Eodem, quo Cicero, tempore Atticus quoque commentarium ejusdem consulatus scripsit, quo accepto Cicero tam multa sibi cum Attico similia esse vidit, ut ab Attico furatus esse videri posset, nisi librum suum jam antea perfecisset. Attamen quamvis Attici illa in multis Ciceroni placerent, horridula eitamen et incomta visa sunt. Ciceronis vero liber Isocratis *μυροθήκην* atque omnes ejus discipulorum arculas redolebat. Multa praeterea Aristoteli se debere ipse professus est (3).

Quum ita multorum exemplo et clarorum viorum, ipse de se scriberet, eum tamen non latebat, quanta in hujusmodi scribendi genere sint virtutia.

Nam

(1) *Att.* II. 19. et 20. Latini de consulatu poematis fragmenta etiam exstant.

(2) *Att.* II. 1.

(3) *Ibid.*

Nam verecundius de se scribat quis, necesse est, si quid laudandum, et praetereat, si quid reprehendendum. Porro multi hoc improbant; minor est fides, minor vis et auctoritas. Quapropter Cicero Luccejum historiarum scriptorem, qui Italici belli et civilis quoque historiam scribebat, rogavit, ut consulatum ejus scriptis suis celebraret et monumentis commendaret. Neque enim nomen suum a posteritate tantum laudari sperabat; sed clarorum scriptorum testimonio vivus delectari cupiebat (1).

Verum, ne quod genus a se ipso laudis suae praetermitteretur, versus composuit de temporibus suis, quibus omnia, quae consular magna ac praeclara gesserat, celebravit (2).

Eodem fere tempore L. Papirini Paetus Ciceron i eos, quos Servius Claudius reliquerat, libros Latinos et Graecos, donavit. Quos Cicero lubenter accepit, quoniam multi inter eos reperebantur libri, quibus vehementer indigebat (3). Nam quotidie magis, omne quod a

(1) *Fam.* V. 18. Qua Epistola Luccejo non tantum scribit, qua ratione res suas celebratas videre cupiat; at vero petit ab eo, ut eas vehementer adornet. Quid? haec etiam addidit, quae haud scio, an quis Ciceronis gloriae condonare posse: itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut ornes ea vehementius, quam fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas, cert. Cf. *Att.* IV. 6.

(2) *Fam.* I. 9. *Att.* I. 19. IV. 8.

(3) *Att.* I. 20. II. 2.

forensi labore supererat tempus, in veterum lectio-  
ne consumebat, et illo tempore cum primis Di-  
caearcho delectabatur, quem magni faciebat et  
amicis commendare solebat (1). Quum antea  
U. C.  
694. expertus eset, quantum utilitatis et jucunditatis  
ex peregrinationibus percipi posset, incredibili  
quodam peregrinandi studio ardebat, et praef-  
sertim Alexandriam reliquumque Aegyptum co-  
gitabat (2). Verum tempora, in quae incidit, im-  
pediebant, quominus longa itinera fusciperet. Ita-  
que in studiis voluptatem suam ponere, et cum  
omnibus Musis rationem habere, praecipue autem phi-  
losophiae operam navare, constituit (3). Aliquan-  
do geographicā scribere in mente habuit, ad quod  
opus fuscipiendum Atticus eum valde est adhor-  
tatus; sed quum nimis magnum eset atque a Ci-  
ceronis ingenio plane alienum, hoc consilium  
rejecit (4).

In Formiano vicinum ac paene contubernalem  
habuit C. Arrium, quo cum totos saepius dies  
philosophari solebat (5). Etenim animus propter  
reipublicae statum magno dolore affectus, nulla  
ratione requiescere poterat, nisi ad philosophiam

con-

(1) Att. II. 2 et 12. Cf. XIII. 31 et 32.

(2) Att. II. 5

(3) Att. II. 4 et 5.

(4) Att. II. 4, 6, 7.

(5) Att. II. 14 et 15.

confugeret, quae in secundis delectationem, in adversis solatium praebere solet. (1)

Quum igitur tantopere studiis obsequeretur et in varium doctrinae genus incredibili quadam industria incumberet, eo tandem pervenit cognitio-  
nis, ut de quacunque re vellet, ita reconditum quid et limatum scribere posset, ut nemo ante eum Romanus. Atque scribendi munus, cum multum habeat et utilitatis et jucunditatis, lubenter suscepit, quo, postquam rebus gestis et eloquen-  
tia sua jam magnam gloriam esset consecutus, scriptis quoque nomen suum immortalitati commen-  
darē posset. Itaque, ubi ab orationibus fere se dejungeret, atque ad mansuetiores Musas retulisset, scribendi initium fecit, atque, praeter ἀνέκδοτα (2)  
commentarium de consulatu, de quo jam dixi, alia-  
que historica (3), majora opera aggressus est.  
Scripsit enim primum tres libros de oratore, U.C.  
quibus omnia, quae vel a veteribus, Aristote-  
le cum primis et Isocrate accepisset, vel stu-  
dio suo et quotidiano usu ad orationem spectare  
693.

ip.

(1) Att. II. 16. ubi de scriptoribus, quos illo tempore tra-  
ctabat Dicaearcho et Theophrasto.

(2) Att. II. 6. Cicero enim per multos annos libro *de temporibus suis* scribendo, quem a versibus *de temporibus* di-  
stinguendum puto, occupatus fuit. Hunc librum ἀνέκδοτον  
liquando perpolivit, sed filius demum, Cicerone mortuo,  
edidit, Att. XIV. 17. ibique Ernestius, vir clar.

(3) Att. II. 1. et 8.

ipse vidisset, complexus est et ante omnium oculos posuit (1). Nihil de illius operis praestantia dicam, in quo Cicero, et sibimet, et amicis misericorde placuit (2), quodque cum nemini plane ignotum sit, ab omnibus eloquentiae studiosis, quotquot Romae sunt, tractari quotidie et laudari solet. Magnopere delectabatur dialogis et vel maxime illo genere, quod cum eo in divini nostri Platonis scriptis admirari solemus; in quo mirum quanta est voluptas facilitasque. In hunc autem de oratore dialogum Lucium Crassum et M. Antonium praecipue disputantes induxit; quibus Sulpitium Cottam, Q. Catulum et C. Julium addidit. In primo libro Quintum Mucium augurem quoque ingessit, quem, etsi in reliquis desideretur, tamen non temere dimovit. „ Sed fecit idem, quod in *πολιτείᾳ* Deus ille noster Plato. Cum in Piraeum Socrates venisset ad Cephalaum, locupletem et festivum senem; quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde, cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere; neque postea revertitur. Credo, Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis.

(1) Fam. I. 9. cf. VII. 33.

(2) Att. IV. 13. 14: ubi eum de hoc opere agere conjicio et 16.

tis in tam longo sermone diutius retinuisse" (1). Eadem enim ratione Cicero Scaevolam diutius non retinendum censuit, qui et aetate erat proiectus et valitudine infirmus et honoribus tandem iis, ut decorum non videretur, eum plures dies Roma abesse. Praeterea liber primus a Scaevolae indole non erat alienus, reliqui vero, cum τεχνολογίαν habeant, quam Scaevola irridere solebat, minus ei convenire videbantur. (2)

Interea, ab eo inde tempore, quo consulatum ges-  
fit, aliquid praeclarum de optimo reipublicae statu  
conscribere saepe et multum cogitabat. Quare,  
postquam egregios illos de oratore dialogos ab-  
solverat, disputationem de republica scribere insti-  
tuit: opus sane magnum et difficile plurimaeque  
doctrinae et otii (3), verum tamen Cicerone  
di-

(1) Haec verba Tiro, ut saepe alias, a Cicerone furatus est *Att. IV. 16.*

(2) Ibid.

(3) Non constare mihi videtur, quando Cicero libros de republica scripsit. Ipse quidem *de Div. II. 2.* dicit: „quos tum scripsimus, cum gubernacula reipublicae tenebamus.” Verum repugnat *Epist. ad Att. IV. 16.* referenda ad annum U. C. 699. itaque novem post consulatum annis scripta; qua epistola scribit se de republica disputationem instituisse. Quae pugna facile mihi tolli posse videtur, si statuamus, Ciceronem in-  
de a consulatu multa de hoc opere cogitasse et nonnulla jam  
scripsisse, quae postea in disputatione ipsa conscribenda adhi-  
buit. Nam Cicero, ut jam jam explicabimus, opus suum va-  
riis temporibus scripsit et passim mutavit.

dignum. Quemadmodum enim apud Graecos Plato, Aristoteles, Theophrastus (1), Xenocrates, Chrysippus aliique de rebus politicis multa scripserunt praecleara, ita Cicero quoque de eodem argumento scribendum statuit, ne quis locus eset a Graecis tractatus, quem Latinis literis non illustrasset. Quos omnes scriptores, nisi doctrina potuerit, in eo certe longe praestat, quod ipse reimpublicam gesserit. (2)

In hoc quoque opere dialogorum formam suscepit, omnemque disputationem in Africani personam et Phili et Laelii et Manilii contulit. Quibus adjunxit adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium (3). Postquam opus aggressus erat, saepius consilium scribendi rationemque mutavit. Nam primum omnem disputationem, in duos libros contulerat. Postea fermo in novem dies et libros (4), tandem vero in sex libros est distributus. (5)

Haec autem disputatione cum a Cicerone in Tusculano legeretur, audiente Sallustio, hic eum adhortatus est, ut non aliis personis, qui jam diu

(1) *De Div.* II. 2.

(2) *De Rep.* I. 7. sqq.

(3) *Att.* II. 16. *Q. Fr.* III. 5.

(4) *Q. Fr.* III. 5.

(5) *De Div.* II. 2. Hodie quoque sex libri fragmentorum exstant.

diu vita excessissent, dicendi partes tribueret; sed ipse loqueretur. Nam, cum personis tam antiquis ea attribueret, facile facta esse viderentur; si vero ipse locutus esset, non philosophus de schola, sed consularis, qui in summo reipublicae discrimine multa magna et praeclara gessisset, multo magorem ad movendum vim haberet. Cicero valde quidem Sallustii sententiam comprobavit: praesertim, quum vehementiores illos, quos ipse viderat, reipublicae motus attingere non potuisset. Attamen hanc rationem fecutus erat, ne de temporibus suis ageris offenderet aliquem. (1)

Ita Cicero, omne, quod vel dicendi munus vel respublica tribueret, otium ad scribendum potissimum contulit. Quum vero nullum praetermitteret amicorum juvandorum locum, neque patriae deesse vellet, non multum temporis ad scribendum dabatur. Nam post consulatum, cum pro se ipso, tum pro amicis saepius dixit. Quarum orationum quum multae (2) exstant etiam posteri-  
tati

(1) *Q. Fr.* III. 5.

(2) Cicero praeter eas, quae aetatem non tulerunt orationes in Clodium, *Att.* I. 16. pro A. Flacco, *Att.* II. 25. pro Bestia, *Q. Fr.* II. 3. pro Gabinio, *Q. Fr.* III. 5. pro Gallio Caninio, *Fam.* VII. 1. aliasque post consulatum et ante proconsulatum dixit pro L. Flacco, pro P. Sulla, pro Cn. Plancio, pro P. Sextio, in Vatinium, pro M. Coelio, de prov. consularibus, pro L. Corn. Balbo, in L. Pisonem et pro C. Rabirio Postumo.

tati admirandae, principem locum tenere videntur, orationes, in quibus summus conspiciebatur orator, pro Archia et pro Milone. Neque a republica plane destitit; sed, postquam, Crasso in bello

U. C. Parthico mortuo, uno omnium collegarum consensu  
<sup>700.</sup>

U. C. augur eset factus (1), deinde proconsul cum im-  
<sup>702.</sup> perio Ciliciam provinciam, tres Asiae dioeceses et insulam Cyprum nactus est (2). Haec ei in Graeciam Asiamque proficisci causa fuit, ex quo itinere multum jucunditatis et utilitatis percepit. Nam, cum varias Graeciae urbes peteret et in primis Athenas, quibus valde delectabatur, plures philosophos audivit, atque cum iis totos dies philosophatus est (3). Verum, quum munus suum, summa diligentia obiret, studiis vacare rarius potuit. Idcirco eum brevi tempore magna provinciae satietas et urbis desiderium tenebat (4), atque magnopere yerebatur, ne provincia sibi prorogaretur (5). Rebus suis feliciter gestis, supplicationis vel triumphi spe imbuitus (6), Romam rediit. In quo itinere me aegro-

<sup>703.</sup>

tum

(1) Plutarchus 33. *Fam.* XV. 4.

(2) *Fam.* III. 2. 5. XIII. 67.

(3) *Att.* V. 10. ubi de Aristone et Xenone, VI. 2. *Fam.* XIII. 1. *de fin. boni et mal.* V. 1.

(4) *Fam.* II. 11. et 12.

(5) *Att.* V. 2. 11. 17. *Fam.* II. 10. XV. 12. 14.

(6) *Fam.* II. 15. VIII. 1. XV. 4. 10. 13. *Att.* V. 9. VII. 1. 4. et 8.

tum Patris reliquit (1); quae valitudo haud facile dixerim, quantum eum sollicitaverit (2). E provincia decedens, post triumphi honorem, ad literas se posse reverti sperabat; quae tamen spes vehementer eum fecellit. Nimurum, bellum Civile Caesarem inter et Pompejum exarsit, cui cum mederi magna virium contentione studebat, resistere non potuit, atque etiam propter Pompeji amicitiam, quamvis diu haesitaret (3), interfuit. Transeo haec tempora cum reipublicae, tum Ciceronis studiis miserrima. Nam aliquando quidem ad philosophiam confugit, ut ex ea solatium sibi quaereret (4), vel theses politicas sibi summis pertractandas (5); saepius vero profesus est, nihil sibi libros, nihil literas, nihil doctrinam prodesse. (6)

(1) *Att.* VI. 7. VII. 2.

(2) *Fam.* XVI. 1—15.

(3) *Att.* VII. 13. 20. 21. et 22, VIII. et IX. *Fam.* VI. 6.

(4) *Att.* VIII. 11.

(5) Hae Graece scriptae inveniuntur, *Att.* IX. 4. cf. 9.

(6) *Att.* IX. 10.

## C A P U T III.

S E N I L I S A E T A S . A E T A T I S L X — L X I V .



Postquam Pompejus a Caefare victus et profligatus erat, Cicero se a bello plane absti-  
u. c. nuit, atque Brundusium profectus cum Caefar-  
<sup>706</sup> re in gratiam redire conatus est (1), tandemque  
u. c. <sup>707</sup> in Tusculanum venit, ut, amissa republica,  
in literis viveret. Nimirum, quemadmodum an-  
tea suum esse judicabat pro illis rebus dimicare,  
quae sibi optimae viderentur; ita, Pompejo vi-  
cto, sapientis esse putabat, nihil stulte, nihil teme-  
re dicere aut facere contra potentes. (2)

Ut igitur se ad illa, quae tum erant tempora,  
muniret, totum se studiis suis, aliquandiu inter-  
missis, reddidit, atque, ut Dionysius tyrannus,  
cum Syracusis pulsus Corinthi ludum dicitur  
ape.

(1) Fam. VIII. 16. IX. 9. 16. Plutarchus, 46.

(2) Fam. IX. 16.

aperuisse, ita Cicero, sublatis judiciis, amissō regno forensi, ludum quasi dicendi habuit, multosque juvenes eloquentiae laude concitatos, inter quos Hirtium, Cassium et Dolabellam dicendi discipulos nactus est (1). Ita habuit, in quo acquiescere paullulum et animum afflictum erigere posset, simulque juventuti magnificentius quoddam et ornatius dicendi genus impertit. (2)

Neque tantum, ut se ipse consolaretur atque juvenibus dicendi studiosis prodesset, Cicero dicendi ludum aperuit; verum etiam, ut valetudine, quam intermissis exercitationibus amiserat, melior fieret, et ne facultas orationis, quanta antea pollēbat, defervesceret (3).

Itaque, cum quotidie fere in eloquentia versatur, et optimos quosque atque nobiles juvenes difficultem illam dicendi artem doceret, eandem ma-

teriam

(1) *Fam.* VII. 33. IX. 16 et 18. Cf. *Plutarchus*, 47.

(2) *Brutus* 32.

(3) *Ibid. Cicero, in Epist. IX. 18.* addit etiam, quod Tiro fortasse a summi viri dignitate alienum putavit. „Extremum illud est, quod tu nescio, an primum putas, plures jam pavones confeci, quam tu pullos columbinos. Tu istic te Atheriano jure delectato, ego me hic *Hirianus*.“ Quae verba illustrantur iis, quae leguntur *Epist. 16.* „Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros. Puto enim te audisse (si forte ad vos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud illos coenitare.“ Ia saepe jocatur et γαστρόφιλον ludit. Cf. *Epist. 20* et 26.

teriam uberius scriptis suis illustrare coepit. **Tribus** igitur de oratore libris quartum addidit *Brutum*, quintum *Oratorem* (1). Quorum ille perelegans est et Romanis hominibus gloriosus, hic vero tam doctus, ut quidquid habuerit judicii in dicendo in illum librum contulisse videatur (2). Idcirco hunc librum omnibus amicis, dicendi laude praeclaris, vel misit, vel mittendum curavit, eumque magnopere commendavit (3).

Licet Cicero post cladem Pharsalicam imperium recusaverit, eorumque consilium improbaverit, qui bellum formidolosum diutius urgerent (4), Catone m. tamen, quem antea valde amabat (5), admiratus est, ejusque exitum laudavit, et simul deploravit (6). Hanc ob causam *Caesaris* vis et auctoritas impedire non potuerunt, quominus tam

alii

(1) *De Div.* II. 1. Cicero post bellum civile primum *Brutum* scriptis, ut patet ex initio libri, praesertim ex Cap. 5. ubi Atticus dicit. „Nam, ut illos de republica libros editisti, nihil a te fane postea accepimus.” Ad haec tempora quoque referenda *Partitiones oratoriae*, et *de optimo genere oratorum* five praefatio orationum Demosthenis et Aeschinis de *Corona* a Cic. in Latinum sermonem conversarum.

(2) *Fam.* VI. 19.

(3) *Fam.* XII. 17. XV. 21. *Att.* XII. 6.

(4) *Fam.* VII. 3.

(5) *Att.* II. 5. *Q. fratr.* II. 9. *Fam.* XV. 3. et 4. Cf. tamen *Att.* VII. 2. X. 16.

(6) *Fam.* IX. 18.

alii (1), quam Cicero libros in laudem Catonis conscriberent (2). Huic Ciceronis *Catoni*, qui omnibus perornatus et copiosus visus fuit atque etiam a Caesare laudatus est, Caesar opposuit suum *Anticatonom*, quem Cicero quoque admiratus est (3). Difficile erat, praesertim illis temporibus, Catonis laudationem scribere. Quidquid enim de illius sententiis, voluntate consiliisque de republica diceret, Caesarem offendebat, sin vero ψιλῶς gravitatem ejus et constantiam laudaret, hoc ipsum tamen non minus Caesari odiosum ἄκοντα erat. Idcirco Cicero ab amicis ad scribendum invitatus Catonis laudationem πρόβλημα Ἀρχιμήδειον habebat. Ceterum, virum illum satis digne laudari non posse ducebat, nisi haec ornata esent: quod ille ea, quae secuta sunt, et futura viderit, et ne fierent contenderit, et facta, ne videret, vitam reliquerit (4).

Quamquam Caesarem mirabiliter sibi conciliaverat Cicero (5), tamen longe aberat, ut pristinam dignitatem obtineret. Etenim si dignitas est, bene de republica sentire et bonis virtutis probari,

(1) Praeter Ciceronem Catonis nomen celebrarunt Fabius Gallus, *Fam.* VII. 24. Brutus, *Att.* XIII. 46.

(2) Cicero post Brutum et ante Oratorem Catonom scripsisse patet ex *Orat.* 10.

(3) *Att.* XII. 40. et 41. XIII. 46. et 50. *de Div.* II. 1.

(4) *Att.* XII. 4. et 5.

(5) *Fam.* IV. 13. VI. 10. IX. 16.

quod sentias ; obtinebat dignitatem suam ; si autem dignitas est , si quod sentias libere dicere et re efficere possis , nihil fere dignitatis Ciceroni supererat . Sustentabatur unice gloriae conscientia et literarum studio (1). Quapropter , si modo Caesar id passus fuisset , personam illam , quam antea sustinuerat , deponere cupiebat , se totum in literas abdere , atque honestissimo otio perfrui (2). Verum , Caesaris benivolentia et clientium pericula eum ex republica decadentem saepe retraxerunt . Ita Q. Ligarium , cuius causa omnibus et vel maxime Caesari desperata videbatur , tanta eloquentiae cibertate defendit , ut ipse Caesar mente esset percussus reumque absolveret (3). Eodem fere tempore pro M. Marcello dixit et anno post pro rege Dejotaro (4).

Ceterum illis temporibus doctorum amicorum consuetudine et studiis diem terebat . Mane ad eum multi veniebant salutandi causa amici , dignitate orbati , tristes , rempublicam prolapsum cum illo deplorantes . Porro , quoque ii , qui laetitia exsultabant , victores , qui tamen Ciceronem per officiose et peramanter observabant . Ubi salutatio

de-

(1) Fam. IV. 14. V. 2. VI. 3.

(2) Fam. VII. 33.

(3) Att. XII. 12. 19. 20. Plutarchus 46.

(4) Fam. IX. 12. ex qua patet Ciceronem hanc orationem non multi aestimare.

defluxerat, literis se involvebat atque aut scribebat aliquid, aut legebat. Reliquum tempus rebus domesticis dabatur. Veniebant autem, non tantum salutandi causa, multi amici studiosi, et nonnulli eruditи, ut Ciceronem docentem vel disputantem audirent, vel de variis disciplinis cum illo colloquerentur (1). Quorum principes erant Atticus, quem sic amabat, ut alterum fratrem (2), M. Brutus (3). Quintus frater, S. Sulpicius (4), Mescinius Rufus (5), Papirius Paetus (6) aliique. Magnopere illo tempore expectebat Varronis consuetudinem, quam sibi et jucundam fore et in studiis perutilem ducebat (7). Itaque Varroni scripsit se cum veteribus amicis, id est libris in gratiam rediisse. Quorum usum non propterea dimiserat, quod iis succensebat, sed quod eorum eum suppudebat. Nam videbatur sibi cum se in magnas turbas conjectisset, praeceptis illorum parum paruisse. Quum vero ei ignovissent eumque in priscam consuetudinem revocassent, Varronem, qui meliore consilio in

(1) *Fam.* IX. 21.

(2) Testes sunt Ciceronis epist. ad Att. Cf. *Fam.* XIII. 1.

(3) *Att.* XIII. 4. 14. 23.

(4) *Fam.* IV. 3. et 4.

(5) *Fam.* V. 21.

(6) *Fam.* IX. 22—24.

(7) *Fam.* XIII. 10.

literis permanferat, vehementer rogavit, ut sive in Tusculanum, sive in Cumanum veniret, quo literas quotidiana consuetudine usi renovare possent (1). Constituit autem, cum Varrone in variis studiis vivere, a quibus antea delectationem modo petebant, nunc vero etiam salutem. Praesertim πολιτείας et legere et scribere cogitabat: si minus in curia atque in foro, at in literis et libris, quemadmodum doctissimi veteres fecerunt, navare rem publicam et de legibus et moribus quaerere (2).

Hac ratione Cicero temporum calamitatem moderatus ferre coepit, atque otium sibi in literis paravit. At vero tristem hominem novus quidam acerbus percussit dolor, filia lectissima, Tullia, deliciis suis, praematura morte carissimo patri U. c. erepta. Incredibilem dolorem amici, literis consolatione scriptis (3) et ipse (4) consolatione sua aliquatenus minuere studuerunt. Sed omnem consolationem vincebat dolor atque simul, quae consanuisse videbantur, vulnera recrudescebant. Nihil ei solitudine illo tempore amicius, utiliusve. Ita mane

(1) *Fam. IX. 1.*

(2) *Fam. IX. 2—7.*

(3) Pulcherrima Sulpicij *Epist. Fam. IV. 5.* Cf. 6. *IX. 11. Att. XII. 14.*

(4) *Att. XII. 14. 20. 28. de Div. II. 1. Tuse. Quaest. I. 30.*  
Haec consolatio perit et quae Ciceronis operibus addi solet incertum auctorem habet.

mane saepe se in sylvam abstrusit, neque exivit ante vesperum; neminem nisi literas in luctu comitem habens (1). Nonnullis quos lectitabat auctoribus et suo vel maxime desiderio adductus, fanum aliquod in filiae memoriam condere constituit. Porro illam omni genere monumentorum ab omnium ingenii scriptorum et Graecorum et Latinorum consecrare molitus est (2).

Saepe et multum cogitabat illo tempore de συμβουλευτικῷ ad Caesarem scribendo, excitatus lectione Aristotelis et Theopompi ad Alexandrum; sed obstabat, quod non, ut illi scriptores, ea scribere poterat, quae sibi honesta et Caesari grata essent (3).

Interim philosophiae studium, quod cum reipublicae cura multorumque officiorum procuratione esset districtus, nunquam plene praetermisserat, renovare, eaque, quae diu in mente reclusa habuerat (4), expromere omniumque ante oculos ponere et vel maxime philosophiam, veterem illam a Socrate ortam, Latinis literis illustrare constituit.

Erant illo tempore, quod te, mi Phania, non latere arbitror, Romae multi viri non quidem illi indocti, qui Graeca Latino sermone tractari nollent, vel quia Graecis doctrinis erudi-

ti,

(1) *Att.* XII. 14. 15. 16. 23.

(2) *Att.* XII. 18. 19. 21. 23. 25. 29. 31. 35. 36. sqq.

(3) *Att.* XII. 40.

(4) *De Nat. Deor.* I. 3.

ti, in Graecis legendis operam suam consumere malebant, vel quia Graecas literas ignorantes, a Latinis illis quoque, ex Graecia petitis, abhorrebat. At vero Cicero, cum nostrates Graecos in omnibus rebus facile superare posse censeret, nullam disciplinam, a Graecis copiose tractatam, a Romanis negligi patiebatur. Quapropter, ut Romanos ad philosophiae studium impelleret, primum scripsit *Hortensium*, sive in laudem philosophiae (1), et deinceps divinam illam disciplinam Latinis literis ornare aggressus est. Hac igitur ratione doctrinam suam augere, Romano nomini consulere, civibusque, quantum in otio posset, prodesse nitebatur (2).

Saepius Cicero, in primis adhortante Attico, cogitabat de Varrone, viro eruditissimo, et amico amantissimo, in locum aliquem includendo (3), quo doctrinam ejus satis digne celebrare posset. Quum vero oratoria, quibus Cicero antea occupatus fuerat, diligentissimo investigatori antiquitatis (4) minus convenienter, Varronem nusquam potuit intexere. Postea autem quam

Q<sub>1</sub>(1) *Acad.* I. 2. *De Fin. bon. et mal.* I. 1. *De Div.* II. 1.(2) Haec omnia saepius copiose et eleganter a Cicero ne sunt dicta in exordiis *Acad.*, *de Fin. bon. et mal.* et *Tusc. Q.* — Philosophiam in primis collaudat, *Tusc. Q.* V. 2.(3) *Att.* IV. 16.(4) *Brutus* 15.

*φιλολογώτερα* aggressus erat, hoc se efficere posse sperabat, praesertim, quum Varro ei simile quid esset pollicitus (1).

Instituerat illo tempore *Academica* scribere, quorum primum duos libros composuit; deinde vero, multis mutatis et detractis ex duobus quatuor fecit. Nosti opinor, Phania, Platonicum dialogorum morem, quem Cicero in libris de oratore et de republica adumbrare conatus est. Ab hac nescio quomodo postea recessit et Aristotelis more cum *Academica*, tum alia nonnulla philosophica conscripsit. In quibus ita inducitur sermo, ut penes ipsum principes sint dicendi partes (2). Primum *Academica* in Catulum, Luculum et Hortensium contulerat. Sed in has personas non cadebant. Nam, et si satis essent erudiiti, haec tamen erant *λογικώτερα*, quam ut illi de iis somniasse unquam viderentur (3). Deinde eosdem sermones ad Catonem et Brutum trans-

(1) Facete de hac re Cicero ad Att. XIII. 12. scripsit: „Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem προσφάνησιν. Biennum praeterit, cum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λόγῳ, si modo potuissem. Nam hoc etiam Hesiodus adscribit αἷκε δύνηται.” Cf. Fam. IX. 8. Att. XVI. 12.

(2) Att. XIII. 19.

(3) Att. XIII. 12. 16. 19.

tulit (1). Tandem vero ad Varrone m (2); cui Antiochii, quo ille maxime delectabatur, partes dedit; sibi sumvit Philonis (3), Atticumque tertium adjunxit (4). — His igitur libris nova proœmia addidit, quibus Catulus et Lucullus eximie laudantur (5). Academica mirifice Ciceronii placebant, adeo ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam existisset arbitrarentur (6).

Quum in hoc opere castigando etiam esset occupatus, quinque libros *de finibus bonorum et malorum*, ad Brutum confecit. In quibus Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, peripatetica M. Pisoni dedit. Hoc igitur opusculo personas tantum inclusit, qui jam ex vita deceserant, ut nihil haberet invidiae (7). Egregia haec disputatio tam curiosa et avide a nonnullis expetebatur, ut eam, antequam a Cicerone esset perpolita, a librariis, invito Cicerone, describi juberent (8).

Ita Cicerone eloquentiae laudi, philosophiae gloriam

(1) *Att.* XIII. 16.

(2) *Att.* XIII. 12. 14. 16. 19. 21. 22. 23. 24. 25.

(3) *Fam.* IX. 8.

(4) *Att.* XIII. 14.

(5) *Att.* XIII. 32.

(6) *Att.* XIII. 13.

(7) *Att.* XII. 12. 19. 21. 32.

(8) *Att.* XIII. 21. 22.

adjunxit atque divinae illius ducis ac magistrac fontes Romanis aperuit. Sed , cum hanc demum perfectam philosophiam judicaret , quae de maximis quaestioni- bus copiose posset ornateque dicere , in Tusculano , Graecorum more scholas habere coepit , cumque plures adessent familiares , ponere jusfit , de quo quis audire vellet , ad quod vel sedens , vel inambulans disputabat (1).

Harum disputationum quinque libros perscripsit , non illos quidem ut habiti erant sermones , sed per politos et limatos , ex variis scriptoribus , quorum Atticus nonnullos ei suppeditabat (2) , collectos . In quo opere tanta industria atque ardore versatus est , ut saepius ante lucem eo scriben- do eset occupatus (3) eoque et amicos et se ipse multum confirmavit et ad calamitates munivit (4).

Deinde *de natura Deorum* tres libros confecit , quibus duos *de Divinatione* atque *de fato* addi- dit (5). Ita totam hanc quaestionem copiose , eleganter acutaque pertractavit.

U.C.  
709.

In-

(1) *Tusci. Q. I. 4.*(2) *Att. XIII. 32. 33. 39.*(3) *Att. XIII. 38.*(4) *Att. XV. 2. 4. Fam. XI. 27.*

(5) Ex initio operis *de Div.* satis patere videtur , hos omnes libros brevi tempore esse absolutos. Quamquam ex epistolis non patet quoniam tempore sint conscripti , suspicor tamen , eos ad initium anni U. C. 709. esse referendos et quidem ante pro- fectionem in Graeciam , de qua mox erit dicendum.

Interea Catonem majorem scripsit, quo, et se ipsum, et Atticum urgentis senectutis onere levare conatus est (1).

Puto, te mirari, mi Phania, Ciceronem brevi tempore, tam multa scripsisse. Sed nimirum, cum unius nutu omnia regerentur, atque Cicero rempublicam, quemadmodum antea, tueri non posset, mira quandam scribendi alacritate incensus, indefesso labore id efficere nitebatur, ut nullus philosophiae locus esset, qui non Latinis literis illustratus pateret. Nullum enim munus reipublicae afferre magis meliusve se posse arbitrabatur, quam si juventutem optimarum rerum scientia imbuisset. Hujus autem industriae fructus uberrimos est consecutus, cum non juvenes tantum docuerit; sed aetate jam proiectos in libris suis conquescere viderit. Quorum studio legendi, mirabiliter ad scribendum est impulsus (2).

**U. C.** Postquam Caesar, Idibus Martiis erat occisus, Cicero, quim animos placare haud posset, primum in villas se recepit, deinde legatus in Graeciam proficisci moliebatur (3); tam, quia rempublicam vitare cupiebat, quam filii Ciceronis desiderio, cuius studia et conformatioem multum curabat (4), quemque Athenis degente, in-

(1) *De Sen.* 1. *Att.* XVI. 3 et 11.

(2) *De Div.* 1. 1.

(3) *Att.* XIV. 7, 12, 16. *Fam.* XI. 29.

(4) Cicero de filio ad literas conformando saepius fuit solli-

ci-

visere cogitabat. Verum, quum iter nondum suscipere posset, in philosophiae portum confugit, atque τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice tribus libris exposita, ad filium scribere instituit (1). Hoc tamen opusculum, cuius duo priores libri maxima parte ex Panaetio petivit, non statim absolvere potuit, quia libri nonnulli, quibus indigebat, in primis Posidonius non ad manum erant (2).

Eodem tempore librum *de gloria* scripsit, in quo sibi valde placebat, quamquam tum majus quoddam opus, nimirum *de legibus*, suscipere cogitabat (3).

Quum jam in Graeciam esset profectus (4) in itinere ei edictum allatum est Brutii et Cassii: et audivisset, fore frequentem Senatum Kalendis; a Bruto et Cassio literas missas ad consulares et praetorios, ut adessent, rogare; summam spem nuntiabant fore, ut Antonius cederet, res conveniret. Quibus auditis, sine ulla dubitatione

pro

citus Att. II. 9. IV. 7. 15. 17. 18. V. 3. 9. 18. 20. VIII. 4. 10. X. 10. 11. XII. 24. 27. XIV. 11. 13. 16. 17. 18. 20. XV. 13. 15. 17. 20. XVI. 3. 11. Q. Fr. I. 3. II. 12. 13. 14. III. 8. et alibi cf. Fam. XVI. 21. 23.

(1) Att. XV. 13.

(2) Att. XVI. 11. 14. ubi de voce καθῆκον et disputationis argumento disquirit. Cf. XV. 13.

(3) Att. XV. 27. XVI. 2. 6. Ex verbis: „excudam aliquid Ήρακλείδιον, quod lateat in thesauris tuis” suspicor, Cicero nem loqui de opere. *De Legg.* in quibus de libris induxit.

(4) Att. XVI. 6. Fam. VII. 17.

profectionis consilium abjecit (1). In hoc itinere, cum libros secum non haberet (2), *Topica Aristotlea*, memoria repetita, in ipsa navigatione confecit et ad Trebatium misit. Etsi librum, quam plenissime illa res perscribi potest, scripserat, verebatur tamen, ne sine usu, vel interprete obscurior videretur (3).

Venio tandem, mi Phania, ad ultima carissimi Ciceronis mei tempora, quibus se magnum et constantem civem praestitit ad Antonii vim et injurias coercendas et rempublicam servandam.

Quum igitur se in quotidianas contentiones conciceret, rarius studiis vacare potuit, quam antea. U. c. Scripsit tamen hoc tempore *Laelium*, sive de amicitia dialogum, ad Atticum, a quo saepius ad hoc munus suscipiendum est excitatus et quod Ciceroni dignum omnium cognitione et singulari, quae ei cum Attico intercedebat, familiaritate visum est (4).

Multi Ciceronis amici et cum primis Atticus (5) eum subinde compellebant, ad historiam Ro,

(1) *Att. XVI. 7.*

(2) Veliae a Sexto Fabio, Niconis discipulo, librum abstulit Νίκωνος περὶ πολυφαγίας, de quo jocatur. *Fam. VII. 20.*

(3) *Fam. VII. 19.*

(4) *Lael. 1. ex quo patet, hunc librum non diu post Catonem majorem esse scriptum.*

(5) *Att. XVI. 13.*

Romanam scribendam, quod munus non eos tantum, qui literas amabant; verum etiam patriam ab eo jure suo sibi postulare dicebant. Ipse quidem Cicero intelligebat historiam, quam nullam absolutam Roma habet, a se exspectari et animum saepenumero eo appellere solebat. Neque huic muneri defuisset, si ullum ei concessum fuisse vacuum tempus et liberum. Nam historia praeter doctrinae copiam et varietatem, diuturnum sibi et præparatum otium depositit; quod tempora, quae vixit, turbulentissima, ei nunquam tribuerunt (1).

Quandoquidem summae eloquentiae singularem ad junxit juris civilis scientiam, hanc quoque scriptis suis abunde illustrare potuisset, si eo in argumento laborem suum et operam ponere voluisset. Verum quum tempore et otio careret, juris disciplinam copiose explanare non potuit (2). Attamen, quantum in hoc genere omnes præstiterit, duobus operibus luculenter ostendit. Quorum alter *de jure civili in artem redigendo* (3) omnibus, qui in hac disciplina elaborare vellent, viam monstravit, alter *de legibus*, quo iura non ex jureconsultorum commentariis, sed ex germano illo limpidissimo fonte, natura repetivit (4). Quod, quum nemo ante eum

(1) *De Legg.* 2 et 3. cf. *Plutarchus.* 47.

(2) *De Legg.* I. 4.

(3) *Gellius, Noct. Att.* I. 21. cf. *de Orat.* I. 42.

(4) *De Legg.* I. 7. sqq.

eum Romanus, non tantum non attigerit, sed ne cogitaverit quidem, eo facilius perficere potuit; quoniam omnem, qua latè patet, philosophiam mente et cogitatione complectebatur.

In extremo vitae actu literas, quas frequentes et elegantes ad Atticum suum amantissimum, virum integerrimum, miserat, collegit et castigavit (1). Quibus si reliquias eas, quas post ejus obitum, ad diversos scriptas, dispersas ac dissipatas collegimus, addideris, non multum desideres historiam contextam illorum temporum. Sic enim somnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicae, perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero, ea quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit, ut vates (2). Praeterea ejus epistolæ multa continent, quae ad variam doctrinam spectant (3) atque facetiis salibusque, quibus admodum indulgebat, affluunt (4). Nihil iis suavius, acutius concinniusve, nihil, quod magis ad com-

(1) Att. XVI. 5.

(2) Verba sunt Ne potis in Att. 16.

(3) Exemplo inservire possunt. Fam. I. 9. XIII. 15. XVI. 17. Att. VI. 2. VII. 3. IX. 4. Q. Fr. I. 1. III. 6.

(4) Inter alias Fam. IX. 4. 22. 24. 26. XV. 6. Ex reliquis nescio quas citem, adeo omnes singulari quodam lepore nitent.

movendum facere posse, facile reperies; nihil denique ex quo cursum, quem tenuit in republica, vitae rationem, indolem, literarumque varia studia melius cognoscas, excogitari potest.

Omnia quae scribebat, jam diu ante perpensa, atque in mente reclusa habuerat. Quae ubi expromeret, brevi tempore perscribere; deinde vero castigare solebat (1). Quo factum, ut ea, quae ocyus calamo exciderant, librarii difficile intelligerent et ne ipse quidem legere posset (2). In quo librarium opere, ego quantum potui, ut in ceteris studiorum socius, adjutor ei lubenter existi (3).

Videsne, mi Phania, quantum Cicero in eloquentia, quantum in philosophia, quantum in litteris elaboraverit (4). Mihi quidem eloquentiae gloria nisi Graecis, omnibus certe Romanis, longe videtur anteponendus. Etenim, si summa dicendi laus est, apte, distincte, copiose, ornateque dicere, Cicero profecto hanc, si quis unquam, est consecutus. Quod cum aliae omnes, quas

mul-

(1) Att. XIII. 21. 23. 32. XVI. 6.

(2) Fam. XVI. 22.

(3) Quanti Cicero Tironem fecerit, existimare licet ex Fam. XVI. Att. VI. 7. VII. 2. 5. XVI. 5. ubi legimus: sed habet Tiro instar septuaginta.

(4) Praeter ea, quae Tiro enumeravit, Ciceronis opera scripsit: Protagoram ex Platone, de auguriis, de suis consiliis, de virtutibus, de notis, chirographiam, Timaeum, sive de universo, aliaque, quorum nil nisi fragmenta extant.

militas habuit, orationes facile ostendunt, tum iliae, quibus in Antonium invectus rem publicam servare conatus est; sibi vero implacabile nefandi hominis odium, mortemque miserrimam consivit.

O mortem acerbam patriae, graveim bonis omnibus, in multis defletam, nemini tamen, quam mihi flebiliorem! — Noli autem putare, me horribilem ejus miserumque vitæ exitum, de quo antea multa ad te acerba dedi, iterum persecuturum esse. Inconsolabilem enim dolorem, quem ex illius crudeli morte excepit, non renovabo; neque acerbissimum, quod pectus alit, vulneris, refricabo. Quin potius ad studia Ciceronis revertor, quorum recordatio, Dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid solatii habeat. Nam quoties praeclara illius studia memoria repeto, toties mirari soleo, eum, quod nescio an nemini Graecorum contigerit, et summam dicendi laudem et miram philosophandi scientiam persecutum esse. De eloquentia autem saepius jam dixi. Quantus vero in philosophia existiterit, quum simul et Socratus et Platonicus esse vellet (1), aliorum judicium sit, quoniam id quidem ex illius scriptis existimare licebit. Evidem dicam ex animo, quod sentio. Multos fateor inter Romanos homines, dignitate, eloquentia et doctrina floruisse.

(1) *De Off. I. I.*

se, multos quoque et oratores et philosophos et poëtas praeclaros etiam postea futuros esse arbitror; qualis vero **Cicero**, cum omni laude cumulatus orator, tum varia doctrina et humanitate ornatus existiterit, neminem unquam Romanam habuisse, neque habituram esse auguror.

Da operam, ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. —

---

to, illesas deudas co' orzatorias que se han de pagar en la  
casa que ellos quieran dentro de su territorio, y que se  
deberá cumplir con Cifras, mas como pronto se  
tendrá que ir a la corte, que aviso darán de la ejecución de  
estas diligencias, nómadas quedando a su servicio  
punto, cuando se presenten a la corte.  
De acuerdo, se acuerda lo que sigue:

— — — — —

**GEORGII BROERS,**

MATH. PHIL. NAT. ET MED. CAND.

*Zref.*

**R E S P O N S I O**

A D

**Q U A E S T I O N E M   B O T A N I C A M**

A B

**ORDINE NOB. MATH. ET PHIL. NAT. IN  
ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA**

**P R O P O S I T A M :**

*„ Quaeritur: quid Botanici de variis plantarum  
„ gemmis atque de gemmatione universa obser-  
„ varint et quid complures eorum, rationibus  
„ teleologicis innixi, hac de re docuerint.*

**QUAE, PARITER AC JANI MATTHIAE LEEN-  
DERTZ AD EANDEN QUAESTIONEM RESPON-  
SIO, PRAEMIO DIGNA JUDICATA, SORTIBUS  
JACTIS, AUREUM REPORTAVIT NUMMUM.**

**D. XXVI M. MARTII A. MDCCCXXXIII.**

ЗАКОНОДАТЕЛЬСТВО

САНКТА-ПЕТЕРБУРГА

О ТАКОВОМ

ЧА

ИЗДАТОВО МНОГОЛЯДО

УЧРЕДИЛ СВЯТО ВСЕЯ РОССИИ СОВЕТ

ПРАВОСУДНО-СУДЕБНАЯ ДЕЯТЕЛЬНОСТЬ

СОВЕТИТЕЛЬСТВО

СОВЕТИТЕЛЬСТВО ВЪ АДМИНИСТРАТИВНЫХ ДЕЯТЕЛЬНОСТІ  
СОВЕТИТЕЛЬСТВО ПОДДІЛЕННІЯ СІЛІГІСТІВСЬКІХ  
І ВІДВІДОВІСЬКІХ РЕГІОНОВЪ ВЪ КОМІСІІ  
СОВЕТИТЕЛЬСТВО ВЪ ОБЛАСТІ ПІДПІДІЛЕННІХ

І ПІДІЛЕННІХ ВЪ АДМІНІСТРАТИВНОМЪ  
СОВЕТИТЕЛЬСТВО ПОДДІЛЕННІЯ ПО ЗЕМЛІ  
І ПІДІЛЕННІХ ВЪ АДМІНІСТРАТИВНОМЪ  
СОВЕТИТЕЛЬСТВО ПОДДІЛЕННІЯ ПО ЗЕМЛІ

І ПІДІЛЕННІХ ВЪ АДМІНІСТРАТИВНОМЪ

# INTRODUCTIO.

Jam dudum mecum reputavi, quid demum causae lateat, cur Naturae contemplatio non modo vehementer adeo nos alliciat, verum constanter etiam teneat, quin imo magis magisque inflammet amore sui, ita ut, quae vulgo utilia haberi solent, haec tantis non raro deliciis postponamus. At vero dubius etiamnunc haereo, sitne formarum elegantia et varietas, cum summa typi simplicitate mirum in modum combinata, quae observatorem in enthusiasmum rapiat, an vero sapientissimae providentiae documenta, quae in singulis partibus, in minutissimo organo aequa ac in omnium maxima complicatione aptaque conspiratione, divinitus elucescit. Illud autem constat, sive illa causa habeatur, seu haec, sive denique utraque simul admittantur, nihil dari Naturae studio aut suavius, aut elegantius, aut excelsius.

Valent haec quidem de universa rerum natura-

lium contemplatione, valent etiam de rebus botanicis, quarum studio a puerō inde exarsi. Neque ergo mirum videri potest, si occasionem avide arripuerim, qua in argumentum, ex hac disciplina petitum, ipsumque momentosissimum, penitus inquirere possem. Quaestionem enim a Nob. Ordine Matheseos et Philosophiae naturalis in Academia Rheno-trajectina propositam, *de gemmis et gemmatione*, a quo tempore acceperim, meditatus fui, tandemque, data opportunitate, vires meas in ipsa solvenda experiri constitui.

Ante vero quam gravissimum hoc opus aggredior, paucis praefari convenit de accurata ejus *definitione*, nec non de *methodo*, qua mihi procedendum esse judicavi.

Praeter generationem spontaneam, quae dicitur, duplex est in regno organico propagationis modus; alter per apparatus sexualem ovumque, alter absque hujus actione. *Generatio digenea* illa, *monogenea* haec vocatur, quae denuo est aut *fissipara* aut *productiva*, prouti vel totum corpus organicum in plures partes dividitur, vel propria generat corpuscula, quae in nova individua procrescent. — Haec autem corpuscula *gemmae* dicuntur. Sic igitur argumentum nostrum definire possumus, per *gemmactionem* intelligentes generationem illam monogeneam productivam, qualis quidem et in zoophytis quibusdam, vorticellis, rotatoriis, imo in molluscis inferioris ordinis obtinet,

net, imprimis vero, quod proprie nostrum erit exponere, in regno vegetabili. Huic enim inhaerens est propagationis ratio, quae cum ovigenesi nunc simul adest, nunc vicariat, nunc ejus locum prorsus explet.

Ex hac autem nostra definitione sponte patet, quid censendum sit de variis auctorum opinionibus in exponendo: quid intelligatur per *gemmaionem*. Scil. ubi in ea definienda versantur Botanici, alii longe alias protulerunt sententias. Sic Botanices instaurator, summus Linnæus per gemmationem intelligit constructionem gemmae ex foliis, stipulis, petiolis aut squamis, cui superstruxit celebrem *methodum gemmarum*, quae has dividit in oppositivas petiolares, quo pertinent foliaceae, in oppositivas stipulaceas, in alternativas petiolares, in alternativas stipulaceo-petiolares, in alternativas stipulaceas et in anomalas.

Contra cel. de Candolle per gemmationem (*bourgeonnement*) intelligit apertio nem gemmarum, vel has omnes simul sumtas (*épanouissement des bourgeons, ou, ensemble des bourgeons*) cui explicatio nis ad sentitur cl. Brisseau-Mirbel. Tandem cl. Nees von Esenbeck primum quidem Linnæi definitionem exhibet, dein vero hanc synonymam ponit cum praecedenti, tandemque et eadem complectitur frondescentiam et effoliatiōnem, quae a reliquis auctoribus denuo distinguuntur. Facile intelligitur, omnes has definitiones autem

rem non continere, de qua agitur, aut confundere, quae sunt distinguenda. Non enim agitur de singulari gemmarum inter se dispositione, qualis nobis ad ipsam earum descriptionem pertinere videtur; verum per *Gemmationem*, vi vocis, significatur *actio vitalis*, qua ex gemma nova planta aut certe plantae pars generatur.

Tandem eadem definitio et illud docet, non modo agi de gemmis, quae proprie sic dici solent, in plantis perennibus obviis, verum ipsas tam late patere, quam regnum vegetabile, eosdemque utrique esse limites. Itaque et indagandae sunt plantae phanerogamicae et obscura cryptogamarum classis. Spectandae veniunt et gemmae quae in aere degunt, et quae sub terra ponuntur, maleque hinc antea ad radices referebantur. Ita demum vel fallor, vel poterit judicari de gemmis plantarum. Neglecto naturali hoc ordine, qualem analogia docet, pro corpore vivo, nil nisi disiecta membra in conspectum veniant.

Haec de limitibus, quibus continemur. Superest, ut dicamus de ratione, quam in exponendo opere nostro secuti fuimus; quem in finem conferenda est quaestio proposita cum definitione supra data. Scil. quaeritur: *quid botanici de variis plantarum gemmis et de gemmatione universa docuerint?* Argumentum ergo est historicum, proprias observationes non sibi reposcens. Neque immerito. Tales enim, quales rei dignitas postulat

lat per unum anni curriculum vix ac ne vix quidem a tirone exspectari possunt. Duplicem autem partem continet, alteram *descriptivam* de gemmis, alteram *physiologicam*, de *gummatione* agentem. Hisce autem accedit tertia quaestio, scilicet: *quid complures botanicorum, rationibus teleologicis innixi, hac de re docuerint?* Itaque addatur praecedentibus examen *teleologicum*. Et profecto est hoc summae cum suavitatis, tum utilitatis. Etenim innatum fere dicas homini studium quaerendorum finium, quibus res naturales inserviant. Hoc vero idem proprius ad divini Auctoris nos dicit sapientiam et sublimitatem. Neque ergo possumus illos non misereri philosophos, qui teleologiae dignitatem vilipenderunt, ipsamque ex naturae studiis exsulare jussérunt. Contra ab altera parte negari non potest, complures veterum Botanicorum, nimio teleologiae studio ductos, illam perperam praemisisse ipsi observationi. Sic igitur necessario falsa veris immiscuere et, temerario consilio nimium suo ingenio tribuentes, vanam hypothesum farraginem substituerunt genuinis Naturae iudiciis. Quod quanto damno scientiae pulcherrimae cesserit, abunde docuit ipsius historia. Neque mirum est, quod, tale opus indignati recentiores, omnem teleologiam proscripserint, utut immerito, usum cum abusu tollentes.

Ex nostra quidem opinione optime ita procedetur, ut ne disjungatur, quod ipsa Naturā con-

conunctum invenitur. Examen organorum vegetabilium, functionum, quas exercent, et finium, quibus respondent, intimo vinculo unitur. Qui unum ex his neglit, ille profecto doctrinae nocet, quam observatio condidit, physiologia ad scientiam evehit, teleologia ad divinam dignitatem extollit. Hunc eundem ordinem quaestionem propositam indicare, accurate legenti patebit. Ipsi ergo et illas non sejungemus, verum immediate ab altera ad alteram sumus perrecturi.

Ex praecedentibus satis eluescit, universam argumenti distributionem minus recte perfici separando partes illas, descriptivam, physiologicam et teleologicam. Accedit, quod, quum difficile jam sit intimam organorum structuram novisse, longe difficilius evadat eorum functiones determinare, omnium vero difficillimum fines, quibus inserviunt, humano ingenio patefacere. Hic tam arduus labor est, ut, nisi nostram ignorantiam quam frequentissime ingenue confiteri malimus, ad vana aut ridicula facillime labamur figmenta. Sic ergo quae de teleologia philosophati sunt complures botanici, quam proxime apponenda duximus ipsis eorum observationibus, ut eo melius ex genuino fonte, unde profluere debent, dijudicari possint.

Idcirco, alia ratione argumentum nostrum disposituri, Naturae ductum nos sequi putavimus, si praecipuas, quas ipsa exhibet, gemmarum differentias pro divisionis fundamento sumeremus. Hoc

er-

ergo principio methodus innititur, qua progressi  
fuimus.

Triplex tum maxime est gemmarum vegetabilium  
diversitas.

Prima classis complectitur simplicissimas, quae  
gemmas plantarum id cryptogamicarum continet, et  
illas, quae in phanerogamis quibusdam sponte  
oriuntur. Hinc duplex villarum lordo est sporas  
rum et bulbillorum.

Altera gemmas refert, quae ab antiquis ad ra-  
dices referebantur, ideoque rhizomorphae a nobis  
dicuntur. Continent tubera et bulbos, nec non  
turiones.

Tertia denique gemmas exhibet stricte sic dic-  
tas, quae ab omni aevo ad hoc organorum genus  
reductae fuere.

In singulis autem his classibus considerandis ita  
versabimur, ut, praemissis quae generatim ad  
intellectum ac definitionem argumenti pertinent,  
deinceps accurate juxta optimos Botanices auto-  
res eas describamus, hinc earum functiones, quan-  
tum licebit, explicemus, tandemque his appona-  
mus, quae viris illis detegere contigerit de finibus,  
quibus illa Naturae miracula satisfaciunt.

Quantae in persequendo hoc consilio difficulta-  
tes subinde emiserint, fuse exponerem, nisi Vos  
ipsos, Viri cll., has minime fugere probe scirem.  
Hoc autem addere liceat, me non temporis angus-  
tiis tantum cohibitum, sed et inopino aliis gravis-  
si-

simisque perficiendis negotiis ab opere fuisse distractum, ad quod non nisi sero redire potui. Quid autem multa? Si enim in judicio de mea commen-  
tatione pronunciando, uti fieri solet, aut aequita-  
tem vestram implorarem, aut benevolentiam, aut  
denique si virium mearum Vobis describerem te-  
nuitatem, vererer, ne vel vestrae dignitati inju-  
riam inferrem, vel res obsoletas taediosasqne re-  
peterem.

et de sujeitos da expressão sanguínea  
só que o sujeito é capaz de controlar  
seus impulsos e os deixa de lado. Quando  
pode falar, é com calma, pausado, com  
certa lentidão, só que quando fala tem  
certo entusiasmo e é essa mistura de esp-  
ressões que fazem o sujeito ser  
apenas apelativo, mas não estéril, apesar  
de que seu apelo é direcionado para  
outros sujeitos que só têm a capaci-  
dade de sentir.

PARS

geminis levigatis, rufis, rotundis, diametris  
—modo millesimis longis, et non raro subtiliter ornatis  
—longe excedentibus. Hoc est unius speciei, ab aliis  
dissimilans.

### P A R S P R I M A.

#### D E G E M M I S S I M P L I C I S S I M I S.

##### §. 1.

*De gemmis simplicissimis generatim spectatis.*

Per Gemmas simplicissimas intelligimus partes  
cellulosas, quae, a matre solutae, novo individuo  
formando aptae sunt. Inveniuntur in plantis,  
organismo simpliciore praeditis, i. e. cryptogamicis,  
neque tamen in omnibus plantis phanerogamicis  
desunt.

In plantis cryptogamicis, quibus fere vestigia  
organorum sexualium desunt, proprium sistunt  
atque privum propagationis modum, cui alter sae-  
pe per semina accedit. Vocantur *Sporae* s. *Sporu-  
lae*, ut ne alia diversissima nomina excitem, quae  
confusionem in re obscura facile augeant. Di-  
viduntur a Gaertnero in duplēm speciem. Al-  
teri *Propaginum*, *Gongylorum* nomen alteri tribuit.  
Per propaginem intelligit: germen simplicissimum,  
aphyl-


aphyllum, polymorphum, nunc penitus nudum, nunc corticali theca inclusum, quod tandem sponte de matre sua secedit et semen more spargitur. Gongylus ab eodem auctore definitur tamquam germen simplicissimum, aphyllum, subglobosum, solidum, intra matris corticem haerens; nec non, eo per senium deliquescente, ab ista sponte secedens (1). Itaque in ipsa ratione, qua cum matris cortice cohaeret, princeps quaerit discrimen. Nos quidem diu huic differentiae inhaesimus. Verum, licet haud negemus, talem revera existere in quibusdam plantis, non ita, tamen eam per omnes cryptogamarum classes persequi potuimus, ut hinc firmum divisionis fundamentum petere licet. Tutius ergo certiusque nobis visum est, ut, nulli systemati addicti, ipsam Naturam ducem sequeremur. Itaque in naturalibus cryptogamarum familiis disquiremus qualesvis gemmae revera competant. — Sic ergo nobis procedendum optime apparet, ut primum generatim, speciatim dein agamus de sporis.

Quoad gemmas simplicissimas plantarum phanerogamarum, hi vocantur *Bulbilli*. Ortu suo hunc locum omnino occupant. Attamen dantur gemmae, quae revera ad bulbillos pertinent (his enim ab omni parte sunt analogae), et nihilominus

(1) Vid. opus classicum, cui titulus est: *Gaertner, de fructibus et seminibus plantarum*. Stutg. 1788.

structura sua prope ad gemmas compositas, inse-  
quenti parte tractandas, accedunt. Hae transitum  
faciunt utriusque classis. Eorum igitur locum,  
aptioris ordinis gratia, hic servamus.

Jam vero, postquam pertractaverimus sporas,  
de his bulbillis eadem ratione ac methodo agemus,  
observationes generales speciali expositioni pree-  
missuri.



## C A P U T P R I M U M.

### D E S P O R I S.

#### S. 2.

##### *De sporis in genere.*

Quemadmodum tota illa botanices pars, qua  
cryptogamicae plantae continentur, summis ad-  
hucdum tenebris latet, sic non minus obscura est  
cognitio illarum partium, quae sporarum generali  
nomine apud Botanicos occurunt. Hinc quot auc-  
tores, tot fere de his partibus inveniuntur sen-  
tentiae, ita ut mirum videri non debeat, si varii  
botanici saepius stainen, pistillum, antheram, ova-  
rium, semen, pollen, propagulum, gongylum et  
s. p. confuderint ad unam eandemque partem indi-  
candam. Hujus rei praecipua causa esse videtur,  
quod

quod plures plantae cryptogamiae duplice simul gaudent reproductionis modo, ita ut et habeant corpora reproductoria, quae tamquam semina sunt consideranda et simul veris gemmis instructae sunt.

Hinc igitur non incongruum mihi visum est, si initio hujus capitinis characteres quosdam generales ponerem, quibus distinguantur gemmae atque semina, qua in causa maxime summum Gaertnerum secutus sum.

1. In gemmis evolutio a centro ad peripheriam, contrarium in seminibus obtinet.

2. Medullae gemmae non intercedit discriminum medulla materna; seminis autem medulla ab hac distinctissima deprehenditur estque consideranda tamquam novum productum.

3. Omnis gemma tunica propria caret, ac ejus loco mero cortice investitur, quia germen non originem dicit ex diversis fluidis mixtis, uti semen.

4. Homogenea est omnis gemmae substantia interna; scilicet constat simpliciter ex cortice et medulla. Vicissim semen condit intra tunicam integerrimam nucleum partesque heterogenaeas.

5. Ad partes illas heterogenaeas, semen constituentes pertinet maxime radicula, quae jam ipso inclusa servatur; in gemma vero deinceps accedit; scil. ex substantia corticali et medullari simul ita procrescit, ut cum ipso gemmae integumento proprio unum corpus efformet.

Hisce ergo admissis characteribus, minus diffi-

cile erit hac in causa judicium. Hoc autem quo clarius evadat, deinceps, in perlustrandis cryptogamarum familiis, ubi opportunitas erit, conjungemus et sporarum et seminum descriptionem. Sic melius patebit, qua in causa sibi convenienter aut a se invicem diversa sint.

Caeterum quoad ipsas sporas, superest, ut paucis generatim de iis dicamus. *Vel* initio cum matre ita conjunctae sunt, ut apparent tamquam partes luxuriantes, quae postea demum solvuntur, novaque individua constituunt. *Vel* ex medulla magis liquida oriuntur, ita ut jam ab initio liberae sint et statim a matre solvantur. Tum saepe accumulantur, *Sorique* appellantur. De origine sporarum monendum est, eas in aliis plantis per omnes fere partes esse dispersas, qualis quidem forma simplicissima est. In aliis vero sedem quibusdam locis determinatam ostendunt; qualis formatio proprius jam ad semina accedit; imprimis si proprium organon adsit ad gemmas continendas, quale vocatur *theca*. *apothecium*, *spermatocyste* et s. p. pro variis et plantis, et auctoribus. *Perithecia* dicuntur, quae laminae haec organa obducunt.

Haec quidem generatim dicta sunto de arguento, maxime obscuro; etenim vix generalia de eo proponi possunt. Scilicet in cryptogamicis plantis familiae longe maiores differentias offerunt,

quam

quam in phanerogamicis, ita ut familiae sibi in vicem maxime vicinæ saepe prorsus diversam indicare videantur naturam. Leges symmetriae, quae adeo notabile auxilium præbent ad phanerogamarum organorum structuram explicandam, in hisce rarae sunt atque incertae; ita ut mirum non vide ri possit, in his gemmarum formis exponendis et dijudicandis, speciatim in singulas familias esse inquirendum, ut ita quae Natura facit struitque a theoriarum figuris rite distinguantur. Videbimus ergo quales sunt in iis familiis gemmae, et quomodo functionem propagationis expleant.

### §. 3.

*De sporis, in specie consideratis.*

De ordine cogitanti, quo cryptogamarum familiæ dispescerem, optimè omnium hac in re mihi perègisse visus est cl. Sprengel in systemate vegetabilium cuius systema varias ob causas adop tavi.

### I.

*Equisetaceæ.* Caules equisetarum et saepe etiam earum ramuli terminantur in spicam ovalem vel conicam, ex squamis verticillatis compositam.

Quae-

Quaevis squamula est pelta 5—7 angularis, in medio stipite fere cylindraceo munita. Ab inferioribus hujus disci marginibus versus inferiora prolongantur 5—7 filamenta cornuta, albicantia, quae per rimam longitudinalem lateris interni pedicelli producent. Per hanc rimam tempore maturitatis globuli proveniunt, qui singulari gaudent motu spontaneo. Hi globuli constant ex corpore viridi centrali globuloso et compacto et ex 2 lamellis, ab utraque parte dilatatis, cruciatis et in spiram circa illud corpusculum viride volutis.

Hedwig hos globulos ovaria, lamellas elasticas, stamina putat, sed dubitant, num illo ovario continetur cavitas, seminibus repleta. Agardh, Vauclier et Candollius vero hos globulos aqua imbuvi et intumescere observarunt, sique ita terrae humidae imponerentur, in longum extendebantur, ramulis instruebantur et novam plantulam proferebant (1).

Ex his igitur satis constare videtur, globulum istum viridem esse organon reproductionis. Sed jam vel fructus monospermus esse potest, vel simplex tuberculum, sporis analogum. Quae ultior sententia confirmatur, quod in evolutione sua pars foliacea non per integumentum quoddam exeat, uti hoc in seminibus obtinet, sed quod ipse globulus dilatari videatur (2).

II.

(1) De Candolle. Organographie vegetale.

(2) Praeter auctores citatos, de hoc argumento conferri me-

II.

*Filices.* Prouti filices inter plantas cryptogamicas altiore jam organisationis gradu merito habentur, ita eorum propagationis organa, licet tamquam sporae revera considerandae sint, proprius tamen ad seminum compositionem jam accedunt quam in reliquis hujus classis familiis. Sic ergo non mirum est, quod multi botanici, hac similitudine decepti nomina earum partibus tribuerint, a seminum similitudine derivata.

Scilicet in frondium inferiore pagina occurunt corpuscula, quae, si matura sunt, colorem brunneum referunt, formam rotundatam vel reniformem, nec non pedicellis muniuntur. Dicuntur sporangia, immerito a nonnullis capsulae. Haec annulo elastico sunt circumducta, qui cavitatis dehiscentiam determinat. In quibusdam filicibus animalis hic annulus deficit, quo in casu dehiscunt ruptura transversa. Omnes fere filices sporangium simplex, quod capsulam unilocularem vocant; myrotheca vero in plura loculamenta divisum ostendunt.

remur de Necker, sur la propagation des Filices en général in Act. Acad. Theod. Palat. T. III. p. 275. qui omnem sexum Equiseteis denegat; nec non doct. Bischoff, über die Entwicklung der Equiseteen in Novi Act. Phys.-Med. T. XIV. p. II. p. 781 seqq.

dunt. Tempore déhiscentiae ex his corpusculis pulvis prodit, qui componitur ex sporis. Sunt parva corpuscula vulgo rotundata atque coloris rufi. Haec si terrae humidae mandentur, germinant speciemque producunt.

Ex lateribus sporae filicium oritur corpuseulum viride, primo fere cylindraceum, dein in limbum foliacium extensum, nervis destitutum, quod multo nomine frondem hepaticorum simulat. A nonnullis consideratur tamquam filicum cotyledon. Hic apice quandoque emarginatus est, nonnunquam basin plantae circumdat, ita ut frondes sequentes ex illius centro provenire videantur. Frequenter radiculas emittit, vel ex margine vel ex superiore pagina, tandemque destruitur, uti cotyledones phanerogamarum.

Dantur praeterea filices quae dicuntur viviparae, quia ex marginibus vel ex centro frondium saepe prodeunt nova individua. Hoc phaenomenon non una ratione convenire videtur cum evolutione embryonum Bryophylli. Ad tales filices referuntur *Darea*, *Asplenium bulbiferum*, *Asplenium ramosum* et *Cyathea bulbifera*.

### III.

*Musci frondosi*. Musci a vegetabilibus phanerogamicis multum differunt, cum vasis atque stomatibus carere videantur. Quoad partes fructificatio-

nis vero his quodammodo accedunt, unde factum est, ut melius innotescant, quam in reliquis cryptogamarum ordinibus.

Organa fructificationis muscorum sunt occlusa in gemmarum speciebus, quae vel in apice, vel ad latera vel denique ad basin stolonum collocantur. Hae gemmae (stellulae, capitula) constant ex foliis inordinatim imbricatis. Perichaetium dicitur si organa feminina, perigonium si masculina circumdet. Hae tamen denominations minus accuratae videntur, quia saepe accidit, ut alterutrum utraque organa circumdet. Melior ergo videtur sententia Candolii, perichaetii nomen retinentis.

In his capitulis quicunque etiam sit sexus organorum continentium, filamenta nonnulla simplicia occurunt, quae Hedwig paraphyses vocat. Saepeissime sunt cylindracea, forinae diversae et organis genitalibus longiora. Hae paraphyses vulgo oriuntur proxime ad basin organorum genitalium. Comparatae sunt cum nectariis, bracteolis et rudimentis veri perigonii. Earum actio in fructificationem prorsus est incognita.

Organa masculina his paraphysibus sunt intermixta, componunt capitula masculina specierum monoicarum et dioicarum et organa feminina cingunt in capitulis hermaphroditis. Organum femininum componunt capitula, quae flores feminini sunt dicta atque in centro florum hermaphroditorum occurunt. Fere nunquam fructus ferunt. Haecce orga-

gana integumento membranaceo includuntur, quod calyptra audit quam Hedwig tanquam corollam considerat. Post florescentiam haecce calyptra rumpitur. Theca qua pedicellus terminatur est veruni pericarpium variae formae. Tempore maturitatis aperitur atque ejus pars superior, nunc sublata, dicitur operculum. Post operculi lapsum margo interius thecae munitur una duabusve membranis denticulatis. Hae membranae peristoma efficiunt. In quibusdam uti in *Polytricho* dentes peristomatis adnectuntur membranae cuiusdam transversae, quae epiphragma audit. Centrum thecae occupat axis verticalis, columella dicta. Sporae adsunt numerosissimae, secundum Hedwig parietibus thecae, non vero columellae affixae. Sunt perexiguae rufescentes vel brunneae, tempore maturitatis formae globulosae vel rotundatae. Hedwig illas in multis speciebus germinare vidit. Integumentum rumpitur et plantula prodiens filamentum ostendit, quod pro radicula et cotyledonis specie a quibusdam salutatur. Postea folia quaedam primordialia, cylindracea et ramificata prodeunt, quae in quibusdam speciebus, uti in *Phasco confervoides*, diu persistunt.

Praeter hunc reproductionis modum, musci imprimis aquatici etiam sic dictis stolonibus propagantur, qui ex illorum surculo prodeunt.

## IV.

*Musci hepatici.* Eorum familia quamvis naturalis plantas tamen comprehendit forma adeo distinctas, ut aptius videatur, speciatim in praecipua eorum genera inquirere, quam descriptione generali omnia simul amplecti.

Omnibus fere hisce plantis praeter manifestissima semina, alia quoque competit propagationis organa, quae passim cum veris seminibus sunt commutata, passim quoque ad organa masculina relata.

Primum locum occupet vastum *Jungermanniae* genus, difficile sane atque male a Linnaeo descriptum qui pro anthera fructum salutavit et flores vere masculos et ita dictas gemmulas cum floribus femineis confudit.

Praeter vera semina *Jungermanniae* praeditae sunt corpusculis organicis formae vesiculae, squamulae aut capituli pulverulenti. Gaertner vesiculos, quas Michel in scyphulis haerentes, Schmiedel vero frondibus arcte adnatas et demum marcore contabescentes et prorsus evanescentes statuit, perspirationis organa et abundantis succi diverticula declarat, neque illis antherarum officium adscribit, quemadmodum ex earum situ, vario proventu, plenaria saepe absentia et omnis pollinis virilis constanti defectu, ipsis omne cum feminis sit denegatum commercium. Squamulas e foliorum

rum lateribus provenientes in novas plantulas sae-  
pius procrescere vidit Koelreuter. Quod ad pul-  
verulenta e minutis granulis composita capitula,  
in apice frondium quarundam specierum olim pro-  
femineis, ab Hedwigio pro masculinis parti-  
bus habita, secundum Candolleum nil sunt nisi  
aggregati bulbilli. Koelreuter illas cum squa-  
mulis adeo convenientes invenit, ut nulla ratione  
a se invicem diversas esse putet (1). Varii  
sunt coloris, viridis, lutei, rubri et singulare sane,  
quod vel ante, vel post, vel prorsus sine feminis  
prodeant, quandoque etiam in harum locum sub-  
nascantur, unde manifeste apparet minime valere  
sententiam Hedwigii atque merito Koelreu-  
terum aequem illis ac *Marchantiis* sporas attri-  
buisse.

Ad *Jungermannias* refertur *Blasia*, quae a  
nonnullis pro singulari genere habetur. Cui  
sententiae etiamsi non accedamus, speciatim tamen  
videbimus de propagationis organis *Jungerman-*  
*niae Blasiae* (Hook). Praeter verissimas par-  
tes fructificationis, gaudet duplii gemmarum ap-  
paratu, simpliciore altero, altero magis compo-  
sto, Partes quas Schmiedel tamquam semina  
descripsit, ex Gaertneri sententia merae sunt  
gem-

(1) Vid. synopsin hepaticorum von J. B. G. Linden-  
berg, in Nov. Act. Phys. med. T. XIV. p. II.

gemmae, jure ad propagines referendae (1). Quoad has gemmas autem, simpliciores in inferiore frondium pagina occurunt, neque in nervis sed in ipsa superficie immersae, atque tenui tela cellulari obductae. Apparent tamquam globuli dia-phani, nigro viridescentes, quorum plurimi vulgo sparsim ad apicem frondium occurunt, ulteriore vegetatione epidermidem quodammodo elevantes, qui que si desumuntur massas referunt nigras rotundas, granuloso-pulposas, cellulis, membrana includente atque insertione destitutas.

Gemmarum apparatus magis compositus, illas format partes, quae durante vere et aestate in plurimis individuis occurunt, quaeque immerito a multis pro fructibus habebantur. In apice nervi medii atque huic immersa quaevis harum partium vulgo solitaria, intumescentiam ovalem (ampullam longicollēm Sprengel) format, in qua occurrit apophysis primum acuminata atque clausa, dein cylindracea atque magis obtusa, canali munita. In dicta intumescentia, cavitas quaedam invenitur, granulis rotundis, cellulosis repleta, qui in mucilaginosa materia natare videntur et, ulterius observati brevem pedicellum monstrant, cui ante depletionem affixi videntur. Haecce depletio obtinet, durante tempestate sicca, per canalem apophyseos. Hae gemmulae vulgo in ipsis frondibus evolvuntur,

ad

(1) l. c. p. xx.

ad squamulas foliaceas, ovales emarginatas, sparsas, vel saepius ternas aut quaternas, quae matris plantae singularem habitum conciliant atque dein in matre parasitice viventes, hanc ipsam destruunt atque in nova individua stellulata vel squamosa abeunt (1).

*Muscorum hepaticorum* alterum genus efficit *Marthantia*, quae omnium manifestissime duplice modo propagatur, seminibus scilicet et gemmis. Vera semina inveniuntur in apparatu peltato, qui simul facultate gaudet, ovula generandi atque secernendi liquorem fructificationi aptum. Gemmae reconditae sunt in scyphulis, qui quovis anni tempore e variis plantae locis procrescunt. Systematici omnes has gemmas tanquam semina considerarunt, dum Hallerus et post eum Schmiedel (2) veram horum corpusculorum naturam rite perspexerunt. Hallerus hos scyphulos cum involucris et bracteolas cum novellis foliolis comparavit, Schmiedel illos vivos foetus, Gaertner propagines bracteolatas vocavit.

*Anthoceros*, ultimum, de quo agemus, *muscorum hepaticorum* genus praeter vera semina item granula continet rotunda, quae in ipsam substantiam frondosam quasi impressa observantur. Haec

ce

(1) Vid. Flora oder Botan. Zeit. 7 Jahrg. 1 B. p. 641 sqq.

(2) Syneps. Lindenbergi, p. 100 sqq.

ce granula a Micheli, Dillenio, Linnaeo, aliisque pro seminibus habebantur, a Schreber et Hedwigio pro antheris. Gärtner (1) vero bene demonstravit, haecce granula neque ad antheras, neque ad semina vera esse referenda, dum ex illorum ortu, situ, fabrica, quin ex ipsarum thecarum forma ad similitudinem cum gemmis *Marchantiarum* concludit, illosque ita ad propagines refert. Huic sententiae etiam assentitur Lindenbergh (2); qui generi *Anthocero*, scyphulos gemmiferos adscripsit, qui semper e nervo prodirent.

## V.

*Lichenes.* Omnes fere quoad fructificationem apotheciis gaudent, quae si matura sunt, continent nucleum, qui verum fructum constitueret videtur, in quo inveniuntur corpuscula ovoidea aut globulosa, opaca, nigricantia, quae organa reproductoria esse videntur. Quum vero nullae directae existent observationes de illorum germinatione, per analogiam tantum ad sporas referri possunt.

De horum corpusculorum foecundatione et *Lichenum* organo masculino variae sunt sententiae. Allii efflorescentiam quandam farinaceam, in *Lichenibus* obviam pro polline habebant; alii credebant materiam

(1) l. c. p. xxi.

(2) Nov. act. phys. med. Tom. XIV. P. II.

riam pulverulentam, globoſam, in apice quorundam lobulorum thalli hocce officio fungi; alii denique foecundationem in cavitatibus thalli, in quibus materiam pollini analogam se obſervasse testantur, obtineri putarunt. Quae vero omnes sententiae veritati consentaneae nequaquam videntur. Cassini (1) probavit globulos in apice frondium *Physciae tenellae* novum individuum producere posse, ut ita verosimile sit, illos tamquam propagines esse considerandos.

## VI.

*Confervae.* Sunt plantae quae summae structurae simplicitatem demonstrant. Constant enim sive e cellulâ cylindracâ, multiplici modo ramificata, sive e plurimiſ cellulis cylindraceis basi coadnatis. Hae cellulæ nomine utriculorum occurunt. Quivis utriculus planta est, propria vita gaudens, quæ per se procrescere et fructum ferre potest. In his plantis propagatio simplicissima atque facillima ratione obtinere videtur scilicet et seminibus et gemmis perficitur (2).

In *Confervis* simplicibus, articulatis et ramosis jam vestigia occurunt formationis gemmarum, uti in

(1) Bull, Phil. Mai 1820.

(2) Meyen, in Nov. Act. Phys. Med. T. XIV. p. II. a. 1829.

in *Batrachospermis*, *Polyspermis* et *Conjugatis* (Vauch.). In nullis vero hujus generis plantis adeo manifesta atque formosa ac in *Vaucheris* (Cand.), ita ut praecipue in his gemmarum formationem et per has propagationem paulo accuratius describere conaturi simus.

Sporae scilicet versus apices ramulorum moventur, ita ut hi exinde turgere incipient. Jam in his ramulorum finibus ex mollibus et grumosis sporis formatur gemma rotunda aut ovalis. Subinde infra hanc gemmam secunda et tertia prodit. Plerumque tamen durante gemmae formatione apex ramuli jam rumpitur atque gemma ex illo prodit. Aliquando vero hujus aperturae magnitudo non satis ampla deprehenditur, ita ut prodiens gemma saepe ellipticam formam assumere debeat, quo exire possit. Si vero prodierit statim iterum ad formam rotundam reducitur. Saepius hae gemmae rotundae extra plantam formantur. Tum informis adhuc sporarum massa per factam aperturam viam sibi parat et, si exierit, separantur primum sporae, dein vero statim guttae instar coeunt et facile in omnes directiones se movent. Hae gemmae statim post formationem materia mucosa viridi sunt obductae, quae celeriter in duram cuticulam concrescit.

In *Vaucheris* gemmae non tantum ad apices ramulorum formantur, verum etiam in aliis locis occurunt. Tum vero non ita laete procrescant et in

in ramulorum apicibus exitum quaerunt. *Vau-cher* monet de gallis *Vaucheriarum*, quo nomine intelligit excrescentias laterales, quae insectorum puncturis oriri autumat. *Meyen* vero illas tamquam mortuas gemmulas considerat quae male formato ramulo procrescere non potuerunt.

In harum plantularum propagationis organis prae-cipue elucescit summa Naturae providentia. Si enim gemmae sub aqua procrescunt, individua formantur, fructus nullos proferentia, quae vero gemmis iterum propagantur. Quodsi contra extra aquam proveniunt, nova ex illis orta individua se-mina producere valent (1).

*Oscillatoriae* (*Vau-cher*) illustratae sunt obser-vationibus clar. *Blumenbach*, institutis in *Oscil-latoria limosa*. Scilicet singula fila in apice ad vi-ridem globulum intumescunt, qui cum ad certum evolutionis gradum pervenerunt a trunco communi separantur, loco vicino affiguntur et cacumine in-struuntur quod in novam perfectam *Confervam* procrescit. Ex *Trevirani* sententia hi globuli tamquam merae gemmae considerandi sunt, non vero tamquam semina, uti alii voluerunt.

Hae *Oscillatoriae*, quae quoad habitum et mo-tum

(1) *Meyen*, *Beyträge zur Physiol. u. Systemanik der Algen.* in *Nov. Act. Phis. Med. etc. T. XIV. P. 2. p. 458* et *Robert Brown*, *Verm. Batav. Schriften*, übers. von *Nees v. Esenb. 4 B.*

tum spontaneum maxime cum *zoophytis* convenire videntur colore tamen viridi atque facultate in luce oxygenium exhalandi naturam suam vegetabilēm declarant. Propagationis tamen modo analogae sunt non plantis tantum verum *zoophytis* etiam, ita ut utrumque regnum et vegetable et animale proxime conjugere videantur (1).

## VII.

*Algæ marinæ s. Thalassiophytae.* Hoc nomine veniunt *Fucus*, *Ceramum* et *Ulva*, unde exempla quaedam memorabilia nobis citanda videntur.

*Fucus vesiculosus* ad extrema ramificationi intumescencias habet ovoideas, quae tamquam simplices contextus dilatationes sunt considerandæ. Harum dilatationum superficies poris rotundis, quodammodo regulariter dispositis est praedita. Tempore fructificationis talis pars dilatata in parte interiori continet contextum cellulosum copioso muco aquoso dilatatum. Sub quovis poro massa invenitur rotundata, quae constare videtur ex filamentis diaphanis, vario modo dispersis. Si sectione transversa talis massa aperiatur, in parte interna occurunt plurima corpuscula ovoidea, membranacea, quae a contextu separata videntur et per

(1) Götting. Mag. der Wiss. u. Litter. von Lichtenberg, und Forster. Jahrg. I. St. I. p. 32.

per poros superficie i tempore imaturitatis exēunt. Haecce corpuscula, sub microscopio pūnctata appārent; quod efficitur globulis minutissimis, numerosissimis, contentis, qui sunt sporae. Sporangia in una alterave extremitate aperiuntur, quo mucus viscosus ejicitur, qui sporas has minutissimas circumdat.

Multi putarunt, haec corpuscula (sporas) re vera fecundata fuisse, multaeque hinc prolatæ fuerunt hypotheses, inter quas praecipua est **Correæ**, qui contendit, harum plantarum secundationem perfici muco viscoso, quo circumdauntur. Haec vero sententia demonstrari direcete. nequit. Quidquid est, in omnibus *Fucis*, qui frondem dilatatam offerunt eadem phænomena observantur.

In quibusdam aliis *Fucis* tempore fructificationis tubercula lateralia formantur, quae in apice porum ostendunt, per quem sporangia prodeunt, uti **Candolius** in *Fuco confervoides* se observasse testatur. Haec multo nomine cum sporangiis *Fuci vesiculosi* conveniunt. Deprehenduntur autem omnino vacua, quae observatio inservit ad infingendam hypothesisin **Correæ**.

In *Ceramio* propagatio multum convenire videtur cum fucis tuberculis lateralibus. Secundum **Gaertner** (1) per gongylos carpomorphos propagatur, qui e singulo superficie

punc-

(1) I. c. p. xviii.

puncto emergere possunt sed saepe quoque regularem tenent situm<sup>(1)</sup>.

Quoad *Ulysses marinus*, in eo a *Fucis* differre videntur, quod illarum sporangia ovoidea fasciculatim ex frondium contextu orientur, atque tantum destructo contextu exire valeant cum poris careant.

Ex dictis sequitur, omnes *thalassophytas* sporis instructas esse, in sporangiis membranaceis occlusas, quae liquore viscido obducuntur. Tempore germinationis sporae evolvuntur in formam cyathi, quodammodo regularis, qui tamen dein disparet in plurimis. Plura sporangia conjuncta periuntur vel in frondium contextu immissa, uti in *Ulysses* et quibusdam *Fucis*, vel in tuberculis, lateralibus uti in aliis *Fucis* et *Ceramio*. Exeunt sive destructione contextus (in *Ulysses*) sive per poros regulares (in *Fucis*).

Saepe accidit, ut in his plantis sporae in ipsis sporangiis vel in cavitate sporangia continente germinent, quae *thalassophytae* viviparae ipso oculo nudo distingui possunt ab illarum solitis ramis.

### VIII.

*Fungi*. Omnes *Fungi*, quos inter puras plantas  
gem-  
is distinguuntur.

(1) Conf. D'Orbigny, *Essai sur les plantes marines des côtes du golfe de Gascogne etc.* in *Ann. du Mus. d'Hist. Nat.* Tom. 6.

gemmae agamas numerat Gaertner, tempore maturitatis praediti sunt corpusculis globulosis, coloratis, quae varii auctores nomine sporarum vel gongylorum ad organa reproductionis referunt. Horum situs varius pro variis generibus est. Vel enim in ipso corpore inventiuntur, vel ad superficiem, vel inter lamellas, vel in tubis. Duplici statu occurunt, vel uti in *Agaricis* forma pulveris tenuissimi qui tempore maturitatis separatur a membrana generatrice. Tum spora s. gongyli nudi audiunt. Vel, uti in *Sphaeria* obducta sunt membranaceo involucro globoso plerumque vel fusiformi. In utroque casu vel sicca in cavitibus vel superficiebus adesse possunt, vel muco quodam immersa.

Fuerunt quidem cell. Micheli, Hedwig alii que, qui haec corpuscula tamquam organa masculina considerarunt. Verum haec sententiam refutavit Gaertner, quandoquidem tales observationes ad pauciores species referantur, quam ut exinde conclusio duci possit.

## C A P U T H.

### DE BULBILLIS.

§. 4.

*De bulbillis generatim consideratis.*

**G**emmis simplicissimis adnumeramus bulbillos, quum ortu suo fere spontaneo huc pertineant. Etenim ubicumque in phanerogamicis quibusdam lympha vegetabilis coacervatur, ibi tales prodire possunt bulbilli, novae plantae generandae apti. Quoad formam autem, alii quidem convenientem praecedentibus ostendunt, diversam tamen alii. Sic ergo medium obtinent, uti jam supra dictum est, inter hanc et sequentem classem. Ante vero quam de earum speciali expositione agamus, convenit, ut generatim definiamus, quales sint, quaeve eorum natura.

In multis vegetabilibus praecipue monocotyledonibus in variis locis oriuntur species parvarum gemmarum, quae vel sunt squamatae, vel carnosae solidae. Bulbillorum nomine ea insigniverunt Botanici.

In eo a stricte dictis gemmis differunt quod pro crescere valent si a matre planta fuerint desumti  
et

et loco humoque apto impositi. Stricte dictae gemmae vero non nisi in planta genitrice incrementum suum acquirunt, vel ope insertionis in analogis individuis.

Hi bulbilli universe sunt compositi ex squamis densis, carnosis, arcte sibi impositis et in intimis suis fovent gemmam quae novum individuum procreare debet, si etiam a matre fuerit desumpta. Hunc characterem cum seminibus habent analogum et revera squamae quae eos tegunt deprehenduntur similes seminum integumentis et germen his contentum embryonem simulat. Quamvis igitur vegetatione sua bulbilli cum seminibus magnam offerant similitudinem, essentialis tamen nobis occurrit differentia; scilicet, embryo vegetabilis jam contineat omnes partes, quae postea plantam constitutre debent, nempe rudimenta radicum, caulis, foliorum, quae germinatione modo evolvi atque procrescere possunt. In bulbillis vero formatio obtinet novarum partium v. g. radicis, cuius nullum antea erat vestigium (1).

Superest ut obiter videamus de bulbillorum divisione. Scilicet distinguuntur quoad situm:

1. In *axillares*, si in axillis foliorum occurunt uti in *Lilio bulbifero* et *chalconico*.
2. In *marginales*, in margine foliorum uti in *Malaxi paludosda*.
3. In

(1) Richard, l. c. p. 143.

3. In *superficiales*, si in una alterave foliorum superficie inveniantur, uti in *Cardamine pratensi*; et: *cinchona* etc.

4. In *florales*, si proveniunt in loco florum vel inter flores, uti in *Allio carinato*, *Ornithogalo viviparo*, *Allio schoenopraso*, *oleraceo* (\*).

Plures Botanici, inter quos Mirbel (1) et Nees v. Esenbeck (2), mentionem faciunt de bulbillis solidis, in ovariis s. capsulis loco seminum inventis. Tales bulbilli imprimis observati sunt in variis monocotyledonibus in *Crino*, *Amaryllide*, *Pancratio*, *Agaye* etc. Richard vero (3)

(\*) Schrader, in Göt. Gel. Anz. N°. 62. has accessoria reproductionis partes ad quatuor praecipuas formas redit, quarum nomina germana retinebimus:

1. Das Zwiebelchen in *Allio roseo*, *paniculato* et *oleraceo*.

2. Die Knospen zwiebeln in *Lilio bulbifero*, *tigrino*, *Ornithogalo bulbifero*, *Diasea* all. cui formae accedunt *Srixifraga bulbifera* et *cernua*.

3. Die Knospenartige Zwiebelknollen in *Aspidio bulbifero*, cui accedit *Dentaria bulbifera*.

4. Der Knospenknollen in *Aro-viviparo*, *bulbifero*, *Begonia discolare*, *bulbillifera*, *Dioscorea bulbifera*, *alata*, *pentaphylla*. Propagatio accessoria, quae per feminina organa genitalia non foecundata obtinet, et ita dictos vivos foetus continet, praeter *Polygonum viviparum* et forte quasdam monocotyledoneas occurrit tantum in monocotyledonibus, et praecipue gramineis, rarius in liliaceis.

(1) Physiol. veg. I. p. 138.

(2) Handb. d. Bot. P. I. f. 176.

(3) Observ. sur les prétendus bulilles qui se développent dans

nuperrime demonstravit, haec corpuscula non esse bulbillos sed mera semina. Observavit enim in *Crino asiatico*, erubescente et faitensi, haec corpuscula esse subrotunda, epidermide instructa et cicatrice, qua cum matre cohaerent. Constant ex massa carnosa, compacta cellulosa, albida extus viridescente. Vasa deesse videbantur. A parte cicatricis corpusculum erat inclusum, cuius altera pars puncto attactus respondebat.

Jam ex simplici hac descriptione appareat quae-nam sit horum corpusculorum natura. Praeterea vero in illis tunica propria invenitur sub qua massa ponitur compacta, cellularis, quae est endo-sperma et corpusculum inclusum revera embryo est. Componuntur ex parte externa corticali et interna cellulosa. A parte inferiore invenitur umbo (*mammelon*) obtusus, conicus, qui est radicula coleorrhizata. Germinatione ipsa, si quid dubii superesse possit, hoc evanescere debet, quandoquidem haec germinationi reliquorum seminum prorsus est ana-лога.

Jure ergo ex his omnibus concludit auctor, corpuscula illa, de quibus diximus, vera esse se-mina, quae a reliquis non nisi majore volumine differre videntur.

§. 5.

dans l'interieur des capsules de quelques espèces de *Crinum* in  
*Ann. d. Sc. nat.* T. II. p. 12.

## §. 5.

*De bulbillis speciatim consideratis.*

Postquam consideravimus quae generatim de bulbillis observanda veniunt, sequitur, ut speciatim dicta illustremus exemplis ex plantis quibusdam desumptis.

Primum ergo in censem venit *Lemna*, in qua memorabilis cernitur affinitas, quae inter gemmas et semina deprehenditur. Est planta phanerogamica, formam disci viridis et carnosi referens. Si talis discus ab aliis separetur et in aqua servetur, videmus a parte laterali hujus disci oriri bulbillum, qui horizontaliter procrescit, radicem profert et sic plantam format, matri simillimam, sed huic adnexam. Hic duplicatus nunc discus eodem modo vegetare continuat et tertius denuo formatur discus. Si vero magis incrementum accipiat primum formatus discus, sponte ab aliis separatur et novam plantam format. Ita sine nova foecundatione aut seminum formatione hi disci in infinitum fere procrescere possunt (1).

Altera de qua agemus planta est *Ornithogalum Thrysoides*. Scilicet Turpin observationem communicat de corpusculis in ejus foliis inventis, quae tamquam gemmas accessoriaς (*bourgeons accessoires*)

(1) Mirbel. I. I. p. 138.

*ventifs* C. a. n. d.) considerabat. Per *Ornithogali* folia quae jam ante 20 dies a planta fuerant desumita, erant dispersa tam in marginibus, quam in superficie. Juniores bulbilli sub epidermide adhuc latebant, alii proiectiores jam forma conica epidermidem dilaceraverant, alii denique, qui ad summum incrementum jam pervenisse videbantur, structuram monstrabant, embryonibus monocotyledonibus analogam. Plura eorum post aliquod tempus nova perfecta produxere individua. Quoad originem horum corpusculorum T. ut p. in voluit, quemque hujus plantae bulbillum originem traxisse ex unico grano vesiculoso globulini, quae granula continentur vesiculis decoloribus ex quibus omnis constaret vegetabilium tela cellularis (1).

Observationes exstant de squamis bulbi *Scyllae*, quae, postquam per totam hyemem in scrinio fuerant servatae, sequenti vere in pagina inferiore et etiam in ungue bulbillos monstrabant, qui perfectam plantam reproduxerunt. Repetitum fuit experimentum cum eodem successu (2). Idem phænomenon obtinet in squamis bulbi *Lilii* atque *Hedwig* et Rafn viderunt, in foliis *Eucomis reginae* in herbario pressis, in tota superficie ejusmodi bulbillos oriri.

In omnibus citatis plantis, videmus, folia vices egis.

(1) Ann. d. Sc. Nat. XVI. p. 45.

(2) Mém. de l'Acad. des Sc. de Paris 1754. p. 87.

egisse tuberculi, ratione bulbillorum; scilicet ex binis fontibus suppeditarunt his nutrimentum ad evolutionem necessarium, alimentum nempe in antecessum praeparatum et lympham adscendentem, quae hoc alimentum suscipit et ad germen transfert. Sic etiam videmus, bulbillos praecepue oriri in foliis maxime carnosis.

Omnes igitur bulbilli, de quibus hucusque egimus, vel natura ipsa vel arte a matre planta separari possunt. Dantur vero qui procrescant in ipsa planta genitrice. Hoc in omnibus plantis, ante citatis, quandoque obtineri potest; cuius rei pulcherrimum exemplum praebet *Bryophyllum calycinum*. Ejus enim folia, subcarnosa et crenulata praebent in dentibus parva tubercula. Si folium adultum terrae humidae imponatur, vel si in aere calido et humido versetur optime procrescant haec tubercula primum plumulam, dein radicem proferendo (1). Idem obtinet in foliis *Rocheae falcatae*. *Cardamine pratensis* etiam bulbillos habet, ad basin paginae superioris cujuscunque folioli (2).

Tandem his omnibus addi meretur observatio, quae ulterius probare videtur affinitatem quandam, de qua jam in consideranda *Lemma* verbo dixi-

(1) De Candolle Phys. veg T. II. p. 671 et Organogr. veg. T. II. 22, fig. T. 1, 2.

(2) Ann. de Sc. Nat. T. XVI. p. 47.

diximus, inter semina et bulbillos. Scilicet actio  
vicarians inter illas partes observatur in *Lilio bul-*  
*bifero* aliisque. Ex iis enim, quae scripsit cl.  
Smith, haec planta, quo tempore bulbilos profert infertiles habet flores (1).

(1) Treviranus, *Biology*, B. 3: p. 314 et 563.

classis secundum ordinem etiam a primis  
 pars secundaria  
 ad gemmam rhizomorpham.

**GEMMAE RHIZOMORPHAE.**

§. 6.

*De gemmarum rhizomorpharum definitione ac  
 divistione.*

Ad hanc referimus illas gemmarum species, quae tuberum, turionum, atque bulborum nomine apud botanicos veniunt. Has species rhizomorphas diximus ob similitudinem quam saepe cum ipsis radicibus ostendere solent, atque ob locum subterraneum quem semper occupant, quo in primis charactere universalis praeter reliquos characteres satis a gemmis stricte dictis differre videntur. Quod ad duas priores scilicet tubera et turiones attinet, hae facile conjungi posse atque etiam debere videntur, cum turio proprie sit gemmae species subterranea, plantis perennibus propria, neque, hoc sensu plantas tuberibus praeditas excludat. Turio multo nomine cum bulborum embryone sive gemma propria convenire deprehenditur, ita ut aequa ac haec bulborum, sic illa tuberum partem constituentem efficere videatur, qua de causa non

PARS

non speciatim de turione nobis dicendum esse putavimus, sed illam revera tamquam tuberum partem essentialē esse considerandam.

## C A P U T I.

## DE TUBERIBUS.

## §. 7.

## De tuberum definitione et divisione.

Tubera sive tubercula (Cand Rich.) (Knos, peu-knollen Medicus.) Sunt verae gemmae solidae magis minusve globosae, situ radicem referentes, quae nonnullis plantis perennibus sunt propria (1).

Plures, inter quos Nées von Esenbeck (2) illa immerito ad radices referunt namque cum ex observationibus Richardi, Candolii, Dutrochetti (3), Medicī, Sprengelii all.,

(1) Richard, *Nieuwe Beginselen der kruidkunde en der planten-natuurleer, met aanteekeningen van Claas Mulder.* p. 190.

(2) Tuber est radix solida magis minusve globosa, immedia- te in superficie proferens gemmas, *Handb. der Bot.* Tom. I. p. 140. Sic plurimi generatim confudissè videntur radicem tubera gerentem cum ipsis tuberibus et haec iterum cum gemmis.

(3) Les tubercules du *Solanum tuberosum* sont véritable- ment

tum ex anatomica horum tuberum cognitione satis patere videtur illa preapse ut veras gemmas esse consideranda; unde etiam Richard et Sprengei illa gemmas subterraneas dicunt plantarum perennium quibus natura mandavit curam et conservationem primorum principiorum caulis. Sunt quasi depositoria a natura destinata ad plantae necessarium nutrimentum suppeditandum.

Tubera dividuntur quoad numerum gemmarum quae proferre possunt:

I. In *tubercula unigemmia* (N. v. E.), *tubercula simplicia* (Rich.) quae modo a parte superiore unicam gemmam clausam proferunt, quae est vel pluribus tuberculis communis, vel unicum modo possidet tuberculum quotannis renovandum. Hinc tubercula unigemmia plerumque ad caulis originem binatim aut ternatim sibi sunt juncta et ab hocce punto vel paulo superius varias radices cylindricas et fibrillas sibi habent intermixtas. Illorum pars superior etiam aliquomodo tenuibus fibrillis sparsim est obtecta. Substantia plerumque mollis est et uniformis. Inferiorum monocotyledonearum familiis *Orchideis* characteristica sunt, imperfectiora in dicotyledoneis occurunt.

Prae-  
ment des bourgeons renflés et non pas des racines comme on le croit généralement. Mém. du Mus. d'Hist. Nat. Tom. VIII. p. 43, sur l'accroissement et la reproduction des végétaux.

Praecipuae formae quas tubercula unigemmia assumunt, sequentes sunt: <sup>super longioribus, brevioris</sup> 1°. *Fasciculata*, constans ex uno pluribusve tuberculis fusiformibus vel cylindricis in unam gemmam concurrentibus uti in *Orchide albida* et *Ficaria ranunculoide*.

2°. *Testiculata*, *scrotiformis*, constans ex duobus tuberibus unigemmiis ovatis vel rotundis, quorum alterum senius caulem profert, alterum est junius accrescens e. g. in *Orchide morio*, *mascula* all. Si horum tuberculorum pars inferior divisa deprehenditur, tuberculum palmatum dicitur, uti in *Orchide latifolia*.

In *Orchideis* tuberculo testiculato quotannis simul cum evolutione florum a parte laterali senioris tuberculi formatur novum seniori similem. Durante florum evolutione senius tuberculum tabescit, junius interim radiculas profert, ita ut post florescentiam pristinum tuberculum sit mortuum dum junius radiculis fuerit firmatum. Sic hae plantae fortuita directione quam nova sumunt tubercula vel lineis rectis vel curvis sub terra prorepere possunt.

II. In *tubercula bigemmia* (N. v. E.) *composita* (Rich.) (1). Horum forma plerumque est minus regularis, filamentis saepe radici adhaerent et substantia nunc magis carnosa est et succulenta, nunc magis exsucca atque fibrosa.

Prae-

(1) Richard, I. I. p. 191.

Praecipuae formae ex condensata in magis separatam transeunt atque prorsus gemmarum formae accedunt. Saepius in dicotyledonibus quam in monocotyledonibus occurunt.

Praecipuae formae sunt sequentes:

1°. *Gibbosa* formae irregularis atque superficie foveolatae, in cuius foveis resident prorsus formatae gemmae. Plura tubercula tenuibus radicibus secundariis caulis subterranei uti in *Solano tuberoso*, aut ramulis radicalibus uti in *Heliantho tuberoso* conjunguntur.

2°. *Pendula*. In hac forma tubercula oblonga, plana, plerumque imperfectioribus gemmis praedita simpliciter a longissimis fortioribus fibris radicalibus dependent: exemplum praebet *Spiraea filipendula*.

3°. *Squamosa*. Tubercula dispersa tenuibus ramulis radicalibus pendentia, squamis regularibus distantibus carnosis sunt obducta et saepe unicum modo gemmam proferunt e. g. *Achimenes coccinea*.

Jam in tuberibus nonnullorum graminum tuberculi squamosi rudimentum conspici potest, uti in *Cypero rotundo*, in quo respondeat tuberculo gibboso fibrillis coniuncto atque dein in *Cypero esculento* cuius tubercula a finibus fibrillarum pendent.

## §. 8.

*Tuberum interna structura.*

Structura tuberum certe simplicissima totius regni vegetabilis. Constant ex molli reticulata tela cellulosa, quae extus laxior atque magis exsucca, versus medium vero magis condensata atque pulposa evadit. Superficies obducta est tenui epidermide in unigemmiis plana ac integra, rimosa atque scariosa in bigemmiis sive polygemmais. Si pars radicis cui tuberculum adhaeret insigni pollet crassitie, ex illa per axin tuberculi provenit funiculus fibrosus ex dispersis et sejunctis fasciculis vasorum constans, qui aliquando laterales ramulos in massam carnosam dimittit. Secundum Medicum (1) tuberum interna compositio difficilius est eruenda in prorsus efformatis tuberibus quam in illis quae jam insigne herbam protulerunt. In tali periodo, dissecto tubere, sub epidermide immediate carnosum stratum invenit, in cuius interna parte nucleus occurrit qui constat ex vasis anastomosin ineuntibus, intermixto textu celiuloso simili substantia replete, quae durante herbae vegetacione aliquomodo imminuitur. Sic horum tuberum structura quodammodo eluescit; stratum scilicet car-

(1) *Krit. Bemerk. über Gegenstände aus dem Pflanzenreiche*, I. B.  
2 St.

carnosum aliquomodo conveniat cum corpore coteloniformi et embryoni primum nutrimentum suppeditet, nucleus, loco corporis solidi embryoni originem exhiberet.

Principia chemica tuberculorum sunt: amyrum (1) mucilago et saccharum. In his principiis cum seminibus convenire videntur et tamquam nuda semina primitiva sunt consideranda quae sub forma gemmae embryonem in superficie gerunt.

### §. 9.

#### *Functio tuberum.*

Haec spectat propagationem sub terra. Ex tuberibus provenientes radiculae nutrimentum ex humo hauriunt. Tuberculi massa carnosa format hoc primum nutrimentum atque componit saepe plurima granula amylacea quae in depositoriis quasi accumulantur atque tandem nutritioni prospiciunt. Hinc tubercula tamquam naturalia organa propagationis regni vegetabilis sunt consideranda et non raro multitudine sua florum atque seminum foecunditati obstante praecipue si humus illorum propagationi favet. Hocce phaenomenon tamen minus in tuberculis quam in bulbis observatur.

Plantae quae tuberculis sunt praeditae etiam ex

(1) De C. *Phys. yég.* Tom. I. p. 180 sqq. determinat amyli quantitatem in 100 pp. *Solani tuberosi* ad 20—28. pp.

fibrosis radicis partibus multos stolones emittere possunt, quae gemmas continentes iterum in tuberculata reformant. Hinc *Solanum solis* ramulis radicalibus propagari potest. In infima parte subterranea junioris caulis insuper radices atque tuberculata formari possunt.

Quae vero tuberculorum vegetationem spectant accuratissime Candollius exposuisse videtur in opere suo pretiosissimo (1), ubi exemplum summis *Solani tuberosi*, ita ut ibi exposita nobis perspicua reddere possint ea quae ad omnium tuberculorum vegetationem pertinent.

Singularis *Solani* species illa igitur facultate gaudet tuberculata producendi a caulis sui lateribus (2) nonnumquam in parte aëri exposita, saepius tamen in subterranea parte. Si tuberculata in parte caulis aëri exposita oriuntur, in foliorum axillis occurunt, colorem viridescentem assumunt et parum increscunt. Si vero in parte subterranea proveniunt, quod frequentissime obtinet, tuberculata colore sunt destituta, melius nutrita atque eorum locus organicus minus facile est determinandus, quia in hacce subterranea parte caulis folia deficiunt. In quibusdam vero varietatibus,

uti

(1) *Physiol. vég.* Tom. II. p. 668.

(2) Ante aliquot annos observationes Cl. Dunali et Turpin confirmarunt, tuberculata revera ad caulis latera, non ad radices produci, uti Medicus aliiq. putarunt.

uti in varietate *Ananas* dicta, optime conspici potest locus germinum in axillis parvarum intumescentiarum quae vel pulvinos, vel foliorum bases referunt. In utroque casu haec tubercula quae tenui filamento cauli adhaerent post vegetationem, vel casu quodam, vel morte caulis, vel denique homine ipso a caule solvuntur. Tuberculum ita separatum continet unam pluresve gemmas axillares (1) quae oculi (*yeux*) dicuntur. Hae circumdantur substantia cellulosa quae mucilaginis atque amyli quantitatem continet. Si tale tuberculum in loco sicco atque modice calido teneatur per plures menses in statu inertiae versari potest quamvis succorum continentium lenta elaboratio obtineat, quae saporis mutatione atque chemica analysi detegitur. Post indeterminatum temporis intervallum gemmae procrescere incipiunt quod a loci conditione humida, vel ab aëris temperatura satis elevata pendere videtur. Simulac gemma procrescit, aquam exhaustit tuberculi materia nutritiva repleti. Hujus nutrimenti ope caulis foliaque evolvi incipiunt et dum horum functio viget descensu succi nutritii radices formantur.

Ex his simul videmus quod in tuberculorum vegetatione primum caulis foliaque formantur dein radi-

(1) Hi oculi in tuberculi superficie apparent sub forma pillarum vel in foveis continentur. Hinc non immerito a Candollio bourgeons axillaires dicuntur.

dices, cuius rei contrarium accidit in seminibus quorum primum pars descendens sive radix, dein plumula producitur. Haec praecipua differentia in multis casibus incertis optimum posset praebere characterem, quo tubercula a veris seminibus distinguerentur. Tubercula polygemma in tot frustula dissecta quot gemmas superficiales continent, novas plantas procreare valent; quod citius etiam faciliusque procedit si cuique gemmae sufficiens amyli quantitas concilietur i. e. si ipsins tuberculi frustula satis magna secantur (1). Unigemma tubercula contra integerrima sunt tenenda immo in pluribus familiis uti in *Orchideis* a caule separari nequeunt quin moriantur (2).

Tuberculi duratio sequitur durationem caulis ex illo prodeuntis. A caule quasi exhaustur, tabescit, exsiccatur vel in putredinem vertitur si caulis cum florescentia pereat, uti in *Solanum tuberosum*. Verum per plures annos perstare potest si caulis perennis sit. Hinc tubercula etiam dividi possunt in annua, biennia et perennia.

#### §. 10.

#### *De Turione.*

Ex tuberibus autem quae descriptsimus processunt

(1) De C. *Organogr.* vñz. Tom. II. pag. 114.

(2) Nees v. Esenb. I. I. Tom. I. p. 145.

cunt turiones. Proxima ergo, ut supra dictum est, affinitate cum iis junguntur. Neque tamen in solis tuberculis verum etiam ex radicibus aliarum plantarum perennium immediate procrescere possunt. De iis autem breviter ita agamus, ut praemissis variis auctorum circo illos definitionibus, videamus de eorum ortu et varia forma.

Quoad definitiones turionum; secundum Link (1) turio dicitur illa pars plantae quae ante explicacionem aut divergentiam foliorum elongatur. Secundum Richard (2) aliosque, turio est gemma subterranea plantarum perennium. Ray et Tournefort Asparagos (Turiones) vocant gemmas subterraneas carnosas et annuas plantarum perennium illo stadio quo e terra exsurgunt. Linnaeus per turionem intelligit gemmam plantarum perennium ad colum radicis sitam et ex qua caules annuae originem trahunt, uti in *Helleboro*.

Turiones in radicibus formantur, quando planta marcescere incipit et caudex atque reliquae partes ei adhaerentes vel nullos vel parciores succos ex radice assumunt. Hoc in primis tempore autumnali observatur, quo suffrutes in radice perennes, novas vires ad vegetationem futuri anni colligunt.

Turio, quoad originem squamarum omnes habet  
va-

(1) Elem. Phil. Bot. pag. 210.

(2) l. l. pag. 183.

varietates quas possident gemmae stricte dictae. Sic inter dicotyledoneas plantas (in *Astere*) inventimus turiones foliaceos, petiolaceos (in *Paconiis*), fulcraceos (in *Potentillis*). Turionum vero stipulaceorum exempla non prostant, nisi forte in *Salice herbacea* (1). Si jam evolvatur quem discripsimus turio, surculus appellatur et a planta matre separari potest atque propriis suis viribus vegetare pergit. Hic autem surculus ad argumentum nostrum non pertinet.

---

## C A P U T II.

## DE BULBIS.

## §. II.

*De bulbis gereratim consideratis.*

Plurimi et praestantissimi Botamici jam dudum veram bulborum naturam perspexerunt, illos ad gemmas referentes. Sic A. 1728 Royenius (2) jam dixit: „Bulbus interior non est radix sed nova „planta quae sequenti vere radices suas emittit, „q. s. . . . et tubera quae perperam vulgo pro radicis „par-

(1) Dec. Organogr. vlg.. Tom. II. p. 215.

(2) Disf. de Anat. et Oecon. plant. L. B. in 4to p. 13 seqq.

„ partibus habentur, quum potius gemmarum species  
 „ dicendae sint, novam enim, (ut certis mihi consti-  
 „ tit experimentis) plantam in se continent, q. s.” —  
 Etiam Linnaeus bulbos inter hybernacula adnumerat et revera tamquam gemmas esse considerandas praecipit. Sic dicit: „ Bulbus nihil aliud est  
 „ quam gemma, cum eodem modo ac illa includat  
 „ intra se futuram plantam; sed ejus tunicae eva-  
 „ dunt succulentae a copioso nutrimento quod hau-  
 „ rit e terra cui innascitur quo repletus non po-  
 „ test amplius extendi (1).” — Sic etiam Link(2)  
 Gärtner (3) et De Candolle (4) ad gem-  
 mas illos referunt, qui posterior aliquomodo Lin-  
 naei sententiae assentitur, considerans squamas  
 bulborum *Liliaceorum* tamquam folia simplicia quae  
 a loco suo subterraneo sunt acuminata et carno-  
 sam acquisiverunt structuram, et hinc revera ad  
 gemmas foliaceas referendas putat (5). Recentiori-  
 bus temporibus Cl. Vrolik (6) plenius hocce argu-  
 mentum tractavit, scilicet concludit bulbum nil esse  
 ni-

(1) Amoenit Acad. Vol. II. pag. 193.

(2) Elem. Phil. Bot. pag. 217.

(3) De Seminibus et Fructibus plant. pag. III.

(4) Theor. Elem. de Bot. pag. 361.

(5) Organogr. vég. II. pag. 215.

(6) G. Vrolik, over de veranderingen, welke de bloem-  
 bol, staande deszelfs wasdom bij Tulpen ondergaat; in de  
 Nieuwe Verhand. der 1ste kl. van het Koninkl. Nederl. Insti-  
 tuut. D. II. p. 290.

nisi gemmam, cum scapus non tamquam caulis sed tamquam pedunculus sit considerandus atque si non scapum, sed tantum folia proferat, gemmam esse foliiferam immediate corpori solido inhaerentem. — Porro in bulbo easdem offendimus partes quas in gemma, eandem basin s. corpus solidum cui squamae affiguntur et ex quo vel flores vel folia producent, eundem evolutionis modum atque in utroque simili modo integumenta pereunt, simulac ulterior vegetatio illis non amplius indigeat. Ulteriore comparatione utitur ad similitudinem gemmae atque bulbi probandam, si dicit gemmam esse considerandam tamquam bulbum loco fixo applicatum ex quo a disco suo aequae productiones vasorum emitit ad nutrimentum hauriendum ac ex placenta bulbi ejusmodi vasorum fasciculi nomine radicularum proveniant. Situs igitur unicum efficit descrimen gemmas inter et bulbos, non vero, quoad specificam compositionem differunt. Hoc ita verum est, ut si gemmae procrecent in plantis quae intra anni spatium pereunt, hae tempestive hanc positionem relinquant ut prout reliqui bulbi ex humo ipso nutrimentum haurire queant.

Caeterum quoad dispositionem natura a solita via non aberrasse videtur. Videmus enim in cunctaque folii axilla gemmam posse formari, quod si comparemus cum sobole bulborum, appareat omnes novos bulbos in bulbo seniore *Tulipae* considerandos esse tamquam gemmas axillares. Praeter-

ea

ea si consideremus plurimas gemmas monocotyledonearum degenerare et gemmam terminalē p̄ae reliquis evolvi, etiam in hac re magnam cum sobole bulborum offendimus convenientiam, in qua scilicet unus bulbulus modo et quidem medianus flores ferre potest. Ex his allatis igitur tuto bulbos ad gemmarum tribum referri debere censemus.

## §. 12.

*De bulborum forma et compositione.*

Bulbus igitur est species gemmae, propria quibusdam plantis perennibus et praecipue monocotyledoneis, in primis *Liliaceis*. Figura bulbi ex globosa per appplanationem in placentiformem abit, uti in quibusdam *Gladioli* speciebus. Forma vero maxime communis est ovata, quandoque oblonga ac fusiformis. Superior pars nunc magis, nunc minus est acuminata vel obtusa, nunc truncata atque fimbriata. Inferior pars semper est praemorsa, fibrillis radicalibus barbata et vestigiis pristinarum fibrillarum scrobiculata. Superficies nunc plana est et laevis, uti in *Allio Cepa* nunc fibrosa fibrillis pararellis conspicua uti in *Gladiolo*, nunc reticulata uti in pluribus *Ixiis*.

Bulbi substantia universe mollis est atque succulenta. Corpus solidum est magis exsuccum et fibrosum in bulbis cum majore squamarum numero, magis

gis carnosum in bulbis solidis. Inversa ratione procedunt squamae. Hae in solidis plerumque sunt exsuccae, membranaceae, ochroleucae et brunneae ut folia dejecta. In stricte dictis bulbis solidae, succulentae, albae, flavae (uti in *Lilio Martagon L.*) immo si superior bulbi pars extra terram sit posita viridescentes observantur.

Praecipui bulbi characteres petuntur ex ipsius compositione. Constat enim :

1°. *Ex corpore solido* (*Malpighius*), *Placenta* (*Med.*) *Plateau* (*Cand. et Mirbel*), *Lucus* (*Cand.*) *Zwiebelkuchen* (*N. v. E.*)  
2°. *Ex tunici, squamis.*

3°. *Ex gemma plantam futuram continente.*  
Quae de his partibus apud varios auctores inventiuntur, hic concinne quoad fieri potest colligere conabor.

### §. 13.

#### *De partibus bulbi constituentibus*

##### I. *De corpore solido s. de placenta.*

Est character diagnosticus omnis bulbi. Continet enim a parte inferiore rudimenta radicum, a superiore parte foliorum atque scapi prima vestigia. *Malpighius* (1) jam suo tempore magnam prae-

(1) *Marc. Malpigh. Opp. omnia Eot. med. anat. P. I.*  
pag. 150.

praestantiam placenta adscripsit: „ Ceparum in-  
 „ gens genus, quibus multiplices herbae donantur  
 „ analoga hac possunt structura: harum enim in-  
 „ simam basin, solidum quoddam corpus occu-  
 „ pat, quod trunci vices gerit, hocque in folia  
 „ et caulem attollitur; hinc inde vero appendices  
 „ in varias foliorum formas emitit. ” — Seriori-  
 bus vero temporibus plures botanici hujus corporis  
 solidi veram naturam minus attenderunt atque in  
 squamis bulbi characteristicum quaesivere, sic uti  
 in illis scapus contineretur. Hac in re vero cum  
 omni gemma conveniunt quarum squamae aequae ac  
 illae bulborum tamquam hybernacula praecipuarum  
 partium sunt considerandae.

Differt admodum relatione ad squamas et pla-  
 centae forma et ejus structura anatomica, scili-  
 cet:

1°. Si placenta major est quam squamae (*Tube-  
 ra regularia* Med.), erit rotundata regularis, sae-  
 pe carnosa et sola bulbi formam determinat. Squa-  
 mae vero sunt tenues membranaceae, fibrosae, ex-  
 succae, plerumque tribus vel pluribus seriebus ad  
 circumferentiam placenta dispositae, leviter sibi  
 impositae et saepe etiam a parte sua inferiore for-  
 ma calyptae separantur, praecipue si placenta ulte-  
 riore procrescit, uti in *Gladiolo communi*. Soboles  
 plerumque in superficie ex foveola procrescit quae  
 postea sobole, iterum juniore e loco suo protru-  
 ditur. Istiusmodi placenta ovata in *Colchico* au-

tum-

*tumnali*, placentiformis in *Gladiolo* et in aliis oblonga deprehenditur.

Quoad anatomicam structuram constat ex parte corticali et ligno. Continet praeterea tamquam truncum, axin solidam, densa tela cellulari, cortice coalita et epidermide praedita, circumdatam. Vasa spiralia in fasculis vasorum trunci centralis sunt exigua atque numero pauca. Ex medio placentae quidam fasciculi diffusi decursu horizontali per substantiam cellularem superficiem petunt, et ibi in foveola ad sobolem evolvuntur, postquam prius ex illis sit formata hujus sobolis placentae. Paulo inferius fere ad partem inferiorem placentae truncus subito desinit, vel potius in plurimos fasciculos vasorum horizontaliter decurrentes resolvitur qui postea ulteriore incremento ad radiculas concrescunt (1).

20. Placenta versus inferiora sub forma trunci prolongatur et a parte sua superiore in eminentia spongiolariformi gerit gemmam magis minusve perfectis et erectis squamis obductam. Haecce productio placentae est vel filiformis et ab inferiore parte sobolescens, uti in *Allio senescente* et *Allio obliquo* (*Moenchia*, Med.) vel magis trunciformis

(1) F. C. Medicus, Ueber das Vermögen der Pflanzen sich noch durch andere Wege, als den Samen zu vervielfältigen und fortzupflanzen, in Act. Acad. Theod. Palat. Tom. VI. part. phys. pag 472.

et in eminentiis lateralibus cylindraceis sobolem producens postea sponte separandam, uti in *Aro maculato* (1). Caeterum haec placenta perfectissime structuram trunci radicalis atque in parte superiore corticem atque lignum manifeste separata demonstrat. Medicus has formas bulbi partim ad sua tubera irregularia, partim etiam ad radices cum capitulis bulbiformibus refert.

3<sup>o</sup>. Placenta multo minor quam squamarum compages (bulbi stricte dicti Med.) et gemma futurae plantae in superficie foveola manifeste evoluta squamis est tecta. In hac parva disciformi placenta cortex ex compacta tela cellulari formatus est valde tenuis et circulo quodammodo colorato a ligno separatus. Substantia ligni constat ex plurimis tenuibus, tela cellulosa conjunctis fasciculis vasorum spiralium. Sectione transversa partim in illo ipso, partim in cortice apparent rudimenta fibrarum radicalium rotunda aut ovata. Medicus putat placentam prorsus compendium continere radicis; in eo modo differre, quod radix semper interrupte producatur, placentae vero pars producta separatur. Egregiae de hac re observationes inventiuntur in libro antea citato (2). Invenit in multis resectis laminis has circumdari substantia quadam corticali a qua interna radix (corpus lignem?)

an

(1) Med. l. l. pag. 476.

(2) Med. l:l. pag. 465.

annulo separabatur. Cortex constabat ex parenchymate non bene determinando. Praecipua pars radicis constabat ex innumeris vasis longitudinaliter et in latitudinem decurrentibus, quae variis locis anastomosin patiebantur. Intermedium inter haec vasa substantiam difficulter determinare poterat, initia tamen futurarum radicularum prae se ferebant. Radix itaque atque radiculae in placenta omnis junioris bulbi occultae jacent. Si vero novum vitae principium in bulbis excitetur, hae radiculae producuntur, perforant tegumentum corticale, humum petunt et ex illo nutrimentum adducunt. Nunc novae iterum exoriuntur radiculae quae si sunt plures numero pars herbacea bulbi insigniter crescere incipit et scapus floresque prorumpunt. — Videmus itaque totum compendium futurae plantae in placenta partim occultum, partim cum illa conjunctum teneri, et simul clare patet naturam in his plantis proprię propagationis actionem in radicem posuisse et parce modo propagandi ratione per semina uti. Praeterea hicce scopus naturae multo simpliciori ratione attingitur quam per semina, cum tot tantaeque potentiae nocentes in foecundationem, maturationem, sationem et in ipsas tenellas plantas agere possint quae hoc modo praecaventur. Ut ulterius in hujus placentae praestantiam indagaret, nonnullorum bulborum optime vigentium, in quibus vero radiculae nondum prodierant, insimas laminas subtiliter desecuit atque omnes bul-

bulbos hisce laminis orbatis brevi in putredinem abire vidit.

Difficile sane est determinatu quam diu duret corporis solidi vita. Constat quidem, illud sobolis procreatione non exhaustiri, sed flores multum nutrimenti ei derimunt, ita ut tandem prorsus exhaustum exsiccatur, quae exsiccatio etiam tamquam causa sobolis a matre separationis considerari potest.

## II. De tunicis s. squamis.

Hae partes corpori solido variis seriebus sunt affixae et modo quo componuntur externum bulbi habitum determinare valent. Quo magis bulbi internas partes occupant eo magis sunt firmae, carnosae atque succulentae, dum externae exsuccae sunt atque membranaceae.

Quoad harum tunicarum formam atque dispositionem bulbi distinguuntur:

1°. In *bulbos tunicatos*. In his tunicae constant ex unico fragmento, ac concentrice sibi sunt impositae. Exempla praebent *Allium Cepa* et *Hyacinthus orientalis*.

2°. In *bulbos squamosos*. Squamae sunt minores et ab inferiore tantum parte placenta affixa. Hae minores squamae magis minusve imbricatae occurunt. Talis bulbi exemplar in *Lilio candido* habemus.

3°. In *bulbos solidos*. In talibus tunicae bulbum constituentes adeo firmiter sibi sunt impositae atque

que coalitae ut distingui a se invicem nequeant, ita ut bulbus ex solida ubique uniformi substantia formatus videatur. Hanc formam offendimus in *Crocus sativo*, *Colchico autumnali* (1) et *Gladiolo communis* (2).

Link (3) paucis et accurate has tres species a se invicem distinguit, scilicet si folia fistulosa sunt et viginata bulbum tunicatum dicit, si folia caulem basi non cingunt bulbus squamatus dicitur, et tandem bulbum solidum vocat in quo foliorum bases crassissimae atque conferruminatae massam solidam referunt. Denique adhuc quasdam subdivisiones proponit a situ relativo novorum bulborum ad bulbum parentem petitas, scilicet in bulbos carnosos laterales, centrales et periphericos et in bulbos solidos laterales et centrales.

In omnibus his bulborum formis singularis tam transitus observatur ex perfecto coalitu squamarum cum placenta, ad harum squamarum perfectam separationem sive ex bulbis solidis ad bulbos squamosos. Sic v. c. *Hyacinthi cernui* bulbus cy.

(1) Divisio bulborum in monocarpos et pleiocarpos minoris est momenti. Monocarpi enim dicuntur si tantum unum embryonem continent. Si plures embryones successive evolvere possunt, uti in *Colchico*, pleiocarpi audiunt. Nees v. Esenb. l. l. pag. 180.

(2) Rich. Nieuwe Begins. der kruidk. enz., vert. door Altena, en met aanteek. van C. Mulder. 1ste Ged. p. 184

(3) Elem. Phil. Bot. pag. 217 seqq.

cylindraceus constat ex unica densa prorsus coalita squama sine manifesta placenta quae ab interna parietē trē geminatas sibi superpositas gerit gemmas, quae si evolvantur a parte sua inferiore placentae speciem accipiunt, atque per squamas radiculas emittunt, ita ut hoc loco ubi radiculae prorumpunt jam extus origo trium successive evolvendarū gemmarum conspiciatur. In *Albuca*, *Hemanntha*, *Crino* aliisque placenta insignem habet crassitiem et squamae vaginantes crassae atque carnosae adeo arcte inter se cohaerent ut hinc bulbus prorsus solidus appareat. Hinc Medicus has formas ad tubera irregularia refert, quamvis perfectam bulbi structuram ostendant.

Nees von Esenbeck refert bulbum *Antholyzae aethiopicae* aliquando in radicem repente mutari quod tamen a mala humi conditione pendere videtur (1). Formatio squamarum admodum variat. Eodem tempore quo corpus solidum junioris bulbis oritur, hae squamae simul ad marginis partem superiorem prodeunt. Numerus pro variis bulbis admodum varius. Structura vero omnium ejusdem speciei convenit. Tamdiu adhuc unice a placentā matris plantae nutriuntur, quod plerumque primo anno obtinet, clausae sunt atque in clausum acumen desinunt. Si vero earum radices procrescant atque iis nutrimentum necessarium suppedient versus

(1) *Handb. der Bot.* 1ste B. pag. 177.

sus superiora in folia producuntur, volumine atque consistentia sunt maiores atque exinde perfectam suam formam adipiscuntur.

Constant ex tela cellulosa, fissis fasciculis vasorum perrepta et a tenui et exsucca epidermide obducta. Tela cellulosa ipsa in bulbis stricte dictis plerumque est inanis, regulariter formata atque succis plena. In tuberibus regularibus (Med.) vero tenuis, compacta et saepe in vasorum fasciculos prorsus disparet, unde squamarum et tunicarum forma cancellata atque reticulata originem trahit.

### III. De Gemma s. embryone bulbis contento.

In cavitate placentae squamis superpositis tecta apparet embryo plantae futurae ex bulbo evolventiae. Anatomica structura ita dictae gémmae est ea, quae observatur in herba futura, quae jam forma tenelli embryonis in ea adest.

### §. 14.

#### *De bulborum ortu atque propogatione.*

Duplici modo bulbi propagantur, séminibus scilicet et ita dicta sobole.

Ex semine, quod plerumque ad germinationem usque terra tegitur, prodit ex intumescéntia coleorrhizae parvus bulbus qui ulterius procrescens, superiora versus folia profert; rarissime tamen in hac

ce periodo jam scapum atque flores gerit. Ex semine nunc ortus bulbus magis minusve longam percurrit periodum in qua folia profert, antequam flores ferre possit. Antea vero jam novos bulbos sub terra procreat, qui nomine sobolis veniunt.

Ulterior haecce propagatio, nempe per sobolem, priori est multo frequentior atque saepe ita copiosa ut plerumque nova soboles iterum sobolem ju niorem in intimis suis foveat, atqne sic corpus solidum inumeros saepe novellos in sua peripheria atque etiam inter squamas contineat. Sub tali vehe menti et impetuosa vegetatione semina fere nunquam ad maturationem pervenire possunt; et quamvis, quoad externum habitum, multum cum iis con veniant, tamen certum statui potest, quod nec embryo nec cotyledones suum perfectum statum ac quisivere; neque talia semina, si etiam accuratissime tractentur, germinare possent. Constat igitur proliferationem vel sobolis procreationem seminum maturationi admodum nocere. Arte vero bulbi ad matura semina proferenda sollicitari possunt, si scilicet magnum bulbum, qui verosimiliter jam sum mun incrementum acquisivit, orbem omni so bole immo extimis squamis, unde margo placentae aliquomodo destruitur, tunc, si novae provenere radiculae, scapus omnem vegetationis vigorem pla centae diripit ita ut nullus fere ei restet ad sobolem procreandam. Hinc etiam explicari potest quare bulbi ad ultimum vitae terminum tendentes

sae-

saepe sponte matura proferant semina. Praeterea si abscinditur scapus et ita in aqua efflorescit saepe etiam germina intumescunt et semina proferrunt (1).

Ex dictis itaque patet praecipuum propagationis modum bulborum fieri per sobolem s. extensionem corporis solidi, rariorem per semina. Quae propagatio per sobolem fere in infinitum procedere potest; ita ut, si bulbus in apta regione aptum suum locum occupet, in tali loco deleri fere nequeat.

De hac sobole qua praecipue in bulbis propagatione perficitur paulo accuratius sequenti paragraphe videbimus.

### §. 15.

#### *De Sobole.*

Soboles (2) semper formatur ex productis fasciculis vasorum qui e placenta oriuntur; locus vero in placenta quem occupare solent maxime varius deprehenditur et quidem:

1°. In bulbis cum excessu placentae (Tub. reg., Med.) novi bulbi oriuntur ex fovea placentae et speciatim:

a)

(1) Nees v. Esenb. *Handb. der Bot.* 1ste B. p. 181.

(2) Cayeux (Rich. et Dec.) Adnatum, adnascens (Tournef., Duhamel.) Nucleus (Link.) Proles.

- a) Inferiora versus et aliquomodo lateraliter, uti in *Colchico*.
  - b) Ex superiore parte in medio placentae et sibi impositi, uti in *Croco*.
  - c) Varii concentrice positi in parte superiore, uti in *Gladiolo communi*.
  - d) A parte inferiore in pluribus *Ixiis*.
  - 2°. In bulbis cum placenta tranciformi.
  - a) Versus inferiora ex ipsa producta placenta v. c. in *Allio senescente*.
  - b) Lateraliter in eminentiis strobiliformibus et cylindraceis placentae.
  - 3°. In bulbis cum excessu squamarum (Bulbi stricte dicti, Med.) semper a lateribus placentae originem trahunt, varia ratione tamen sese offerunt:
    - a) In simplici cum placenta coalita squama, uti in *Hyacintho cernuo*.
    - b) In ipsis squamis vel inter illas, in quibus nonnulli vasorum fasciculi procrescent. In *Ornithogalo caudato*, *Antherico exuviatu*.
    - c) Sessiles vel in quibusdam eminentiis positi in marginibus placentae, uti in *Tulipa*.
    - d) Si placenta periit sub squamis circa scapum, in *Allio sativo* (1).
  - Haec ita formata soboles matri plerumque affixa manet per totam vegetationis suae periodum et ab illa nutrimentum accipit. Anno vero secundo e
- pla-

(1) Nees v. Esenb. l. l. p. 179.

placenta sua radices provenire incipiunt, quae hujus totum marginem circumdare solent, et in quarum evolutione etiam causa est quaerenda sobolis separationis a materna planta. In initio hae radices tamquam puncta apparent, postea vero in longitudinem excrescunt et in terram penetrant. Plerumque tamen primo anno intra placentam modo procrescunt. Anno secundo tamquam papillae ad circumferentiam prorumpunt, donec tandem impetuose quasi producuntur et bulbum nutrire incipiunt. Bulbi vegetatio nunc celeriter procedit. Hac vegetationis periodo finita hae omnes radices pereunt, verum in corpore solido novi bulbi iterum nova formantur puncta, quae sequenti vegetationis periodo eadem ratione qua antea in radices procrescunt. Haecce annua mors atque formatio novarum radicum tam diu durat, donec placenta floribus prorsus exhausta in putredinem abeat.

Ex antea enarratis vidimus in bulbo seniore plures simul formari novos bulbos. Non omnes vero ejusdem sunt magnitudinis; alii modo post tres annos flores et fructus gerendi fiunt capaces (1), dum unicus modo folia et flores sequenti vegetatione evolvendos continet. Cl. Vrolik (2) multa nobis refert observationes in genere *Tuli-*  
pa-

(1) Hinc Nees v. Esenb. bulbos dividit in bi tri quadriennies.

(2) L. I. pag. 210 seqq.

*parum* huc spectantes, quas paucis enarrare omnino  
hujus loci esse videtur. Scilicet nonnullos bulbos  
*Tulipae suaveolentis* in ollis collocabat humo bene tec-  
tos. Post quatuordecim dies nullam fere in iis muta-  
tionem inveniebat, nisi quod quaedam puncta fibrarum  
radicalium circa placentam apparerent. Abhinc qua-  
tuor hebdomades radices provenerant et novi bulbi  
numero tres indicabant, vasa sua summopere vigore.  
Hujus sobolis relativa magnitudo ita sese habebat,  
ut ille novus bulbus, qui proxime externae super-  
ficiei accedebat, maximam extensionem haberet,  
sequens minorem et omnium profundissime situs  
minimam. Ex plana atque extensa forma bulbi  
externi concludebat hunc non futurum floriferum.  
Postea duos alios bulbos observabat quorum folia  
atque flores jam prodierant. Crassities squamarum  
jam manifeste erat diminuta praecipue externarum,  
quae etiam minus succulentae erant, quam inci-  
piente vegetatione. Bulbus externus et sequens  
non multum increverant, tertius vero immediate  
ex crescenti scapo applicatus insigne augmentum  
acquisiverat et reliquis duobus, quibus antea mag-  
nitudine cedere debebat, nunc erat major. Ille in-  
ternus bulbus quamvis multum increvisset, futurae  
germinationis signa non ostendebat, in *externo*  
vero germinationis signa erant manifesta. Iterum  
quator hebdomades abhinc duos alios dissecavit bul-  
bos. Flos fere aperiebatur, squamae et crassitie et  
succorum multum perdiderant et omnia ita erant mu-

ta-

tata, ut nunc concludere posset revera hunc bulbum qui minimus, dum alii externi fere totum suum incrementum acquisiverant, magis magisque procrescere, ita ut destructo bulbo satis jam increvisset ut sequenti anno flores gerere posset (1).

Ulteriores observationes docuerunt bulbulum in initio minimum, ad lapsum florum tanta energia atque celeritate procrescere, ut nequaquam magnitudine ac firmitate bulbo destruendo cedere deberet. Squamae interim senioris bulbi magisque succis orbantur et corpus solidum cui erant affixae destruitur. Modo scapus superstes et quedam tunicae exsiccatae corporis organici ultima vestigia demonstrant. Hi bulbi qui, quum formarentur essent omnium maximi, parum interim increvere et brevi vegetare desistunt. Talis novus formatus bulbus nunc etiam jam inter strata sua bulbulos continet sequenti anno prodituros, ita ut bene custoditus in unius anni spatio permultos novos bulbos procreare valeat, inter quos tamen unus tantum flores atque fructus gerendi erit capax.

Ex omnibus nunc quae de sobolis procreatione dic-

(1) Rich. I. I. p. 189. aliquomodo explicare tentat quare primitivus minimus bulbus ad lapsum florum praे reliquis adeo celeriter tantum incrementum acquisiverat. Probabile enim putat materiem nutritivam a scapo immediate ad illum missam et in foliis paratam hoc incrementum efficere, dum reliqui bulbi a scapo remoti sunt vel potius huic non immediate connectuntur.

dicta sunt fere sponte explicari potest, quare bulbis singulo novo vegetationis actu locum suum mutet, ita ut in quibusdam plantis bulbosis (in *Alliis*) superiora versus tendat, in aliis (*Tulipa*) magis magisque inferiora petat. Modum vero quo bulbi reproductio et hinc loci mutatio procedit paucis, duce *Trevirano*, notare omnino maximi momenti videtur, cum nemo sane hunc Naturae processum adeo indagaverit quam hicce acutus observator (1).

Vegetatio dicotyledonearum perennium radicum eodem modo procedit quo in perennibus harum truncis. Singulo enim vegetationis actu nova strata extus apponuntur et supra extremitates extenduntur; non ita in bulbis. Hi semel modo folia atque flores proferunt, et hinc singulo perfecto vegetationis actu reproduci debent. Haecce transformatio durante vegetazione nunc ita procedit ut novus bulbus tantum procrescat, quantum senior depereat.

In singulo bulbo duplex occurrit substantia, altera firma, centralis, pro maxima parte ex vasis constans et novas partes proferens, altera priorem circumdans substantia cellularis in cuius cellulis suc-

(1) *Über das Vermögen der Zwiebeln und Zwiebelknollen sich zu jedem Vegetations-akte zu reproduciren*, in *Verm. Schrift. Anat. und Physiol. Inhalts von G. L. et R. C. Treviranus*, I. E. pag. 193 seqq.

succulentis amyli magna pars est secreta. Prior nutritur a cellulari quacum arctissime conjungitur et simulac haec nutritio incipit, radices, folia, scapum atque sobolem producendi apta evadit. Variae harum substantiarum formae atque varius conjunctionis modus discriminem efficiunt inter diversos bulbos. Distinctiones assumsimus inter bulbos tunicatos, squamosos et solidos; de singulis hisce videamns.

In superiore parte et margine placentae bulbi tunicati, tunicae interpositis membranis a se invicem separantur, verum non sunt, nisi incrassatae bases foliorum. In medio in prominentia placentae invenitur embryo, colore viridi conspicuus, atque constans ex rudimentis foliorum florumque futurae vegetationis. Durante vegetatione ita radiculae proveniunt, ex peripheria corporis disciformis, embryo evolvitur, membranae carnosae vero, quae multum hac evolutione patiuntur, totum exsiccantur; atque dum omnia haec fiunt, reproductio bulbi locum habet. Simulac nempe folia atque flores vegetare desistunt in superiore parte placentae, inter membranas et a lateribus scapi formatur rudimentum novi embryonis; simul omnes succi, omnis materies organica ex superioribus foliorum partibus versus inferiores tendunt, quo hae multum incrassantur, superiores vero exsiccantur atque depereunt. Posthaec mutata est actio atque functio istius partis placentae, quae seniori bulbo fun.

fundamento erat. Abundantia materiae organicae membranarum carnosarum non amplius nutrita brunnea fit atque moritur. Simul hujus partis radiculae ex peripheria sua provenientes exsiccantur atque ita mutata et huius actioni exposita plerumque anno secundo destruitur. Quandoque, si texturae est tenacis diutius persistit uti in *Allio anguloso*, *senescente*, *albido* et *victoriali*. In *Allio porro* et *carinato* celerius destruitur atque forma bulbii cum illo *Narcisci* atque *Hyacinthi* convenit. Hinc itaque facile sequitur bulbum sensim paulatimque altiore petere debere locum quod quotidie fere observari potest. Eodem modo procedit cum membranis emortuis, quae vel cito in putridinem vertentur, vel diutius persistunt uti in *Allio victoriali*.

In genere *Tuliparum* quodammodo aliter sese res habet. Totus bulbus reproducitur gemma foliifera atque parva tantum portione corporis solidi, dum omnes aliae partes durante vegetatione destruuntur. Hinc placenta *Tuliparum* extensionem versus inferiora patitur. Sic vidit *Tréviranus* bulbum *Tulipae biflorae* cuius emortui quatuor bulbii, dimidium digitum a se invicem distantes ab infimo bulbo vigente inveniebantur. In pluribus insuper aliis bulbis *Liliaceorum* talis descensus placenta duranta vegetatione observatur. Bulbus itaque qui flores gessit probabiliter reproducitur. Si folia habuerit, tunc vegetatio tantum bulbi in-

cras-

crassationi inservit; in hoc casu extima strata nimurum sunt antiquissima, cum horum materies nutritiva in vegetatione foliorum non ita fuerit exhausita, ut locum habuerit si flores produxisset. Si vero haec bulbi incrassatio ad certum gradum pervenit, flores formantur et ita totus bulbis reproducitur dum omnes lejas tunicae exhauriuntur.

Reproductionis processus in bulbis squamosis parum a tunicatis differt.

Bulbi solidi, quamvis universe cum tunicatis atque squamosis quoad reproductionem convenienter, quasdam tamen differentias offerunt.

Signum characteristicum bulbi solidi in eo consistit quod carnosae foliorum bases quae in tunicatis et squamosis sunt separatae, in solidis prorsus sunt coalitae et hinc indivisam [massam] solidam efficere solent (1). In solido bulbo *Gladioli communis* placenta sub forma cylindri per medium substantiam carnosam transit, a parte sua inferiore radiculas, a superiore embryonem proferens. In

hoc

(1) Hanc ob causam plures auctores illos inter bulbos adnumerare noluerunt, sed tuberibus adjunixerunt, uti Medicus qui *Gladiolo, Colchico et Croco* tubera adscripsit, quia haec prorsus ex corpore solido constare autumat. Manifesta vero diversitas inter substantiam firmam centralem et carnosam periphericam, forma regularis et praecipue transitus bulbi solidi in tunicatum et squamosum, cuius exempla prostant, summo jure hos ad bulbos referri jubent. Cf. *Treviranus*, I.I. pag. 201.

hoc igitur reproductio versus superiora obtinet et durante vegetatione novus jam formatur bulbus unde durante inflorescentia duo bulbi, unus alteri superpositus observantur, ad tempus hyemale unus tantum conspicitur, dum inferior sensim sensimque periit.

Bulbus *Ornithogali lutei* si reproducitur, inferiora versus tendit et quodammodo lateraliter, quae vero reproductio lateralis multo manifestior in *Colchico autumnali* observari potest. In *Gladiolo communi*, *Ornithogalo luteo* atque etiam in *Croco* embryonis protrusio per medium bulbi substantiam iocum habet; in *Colchico* vero lateraliter extra bulbi substantiam obtinet.

In *Gladiolo* et *Colchico* novus bulbus solum formatur ex materia nutritiva quam partim senior bulbus suppeditat, partim folia. Contra in *Croco* radix crassa, perpendicularis, fusiformis quae initio Novembris bulbo accedit, suum confert quae materiam nutritivam senioris bulbi recipere videtur antequam ad formationem novi bulbi adhibetur. Ex his omnibus nunc tamquam regula statui debet, bulbum in singulo perfecto vegetationis actu, cuius praecipuas partes agit florescentia reproduciri, in qua actione magis minusve manifeste sex momenta comprehenduntur. Primum nempe pars carnosa bulbi, sive sit tunicatus, sive squamosus, sive solidus materiem nutritivam principio vitali exaltatam placentae suppeditat. Hinc in illo gemma radicans atque flores

res producuntur. Ulteriore vegetationis actu corpus solidum sollicitatur ad radiculas emittendas, quae nunc etiam crudam materiem nutritivam ex humo hauriunt. Hujus effectus est ut nova evolvantur folia, quae, quo magis sunt evoluta eo majori rem copiam materiae nutritivae in intimis suis colligunt. Quum itaque incrassatione et in nonnullis basium foliorum metamorphosi, novus bulbus sit formatus, atque radiculae non amplius exhauriendi officio funguntur, in corpore solido eminentia quaedam formatur, quo simul sequitur formatio gemmae.

### §. 16.

#### *De bulborum functione.*

Functio bulbi in eo versatur ut nutritioni propiciat, qui scopus depliciratione attingitur: 1<sup>o</sup>. per placentam et squamas, 2<sup>o</sup>. per fibrillas radicales placenta productas.

Bulbus itaque sub forma radicis in se functiones suscipit totius plantae futurae, foliorum scilicet, radicis atque scapi. In bulbis stricte dictis embryo in placenta quiescens primum nutrimentum atque vitam accipere videtur a squamis. In bulbis vero cum placentae superpondio (Tub. reg.) prima nutritio atque vivificatio ab ipsa placenta perfici videntur, cum ita tantum fibræ radicales proiectae,

nu-

nutritionis functionem more solito in se recipiant; ita tamen ut quodvis primitivum nutritionis organon, uti seminum cotyledones diu adhuc nutritioni plantae excrescdae suum conferat, immo in bulbis in aqua vel sine humo procrescentibus continuo solum nutritionis functionem perficiant.

## §. 17

*Comparatio bulborum cum seminibus.*

Quaedam adhuc monenda supersunt de analogia bulborum cum seminibus. Haec quoad formam et functiones saepe manifeste observatur, quoad originem vero multum a seminibus differunt, cum hi extensione vasorum nutrientium, illa vero vera foecundatione proveniant. Placenta a parte inferiore continet rudimenta fibrarum radicalium, a parte superiori initia foliorum et scapi. Squamae praeditae sunt nutrimento ad ipsi placentae necessariam humiditatem suppeditandam atque praecipue ad illi exhibendum eo tempore quo radices agere incipiit, quod tamdiu durat donec radiculae ipsae nutrimentum idoneum ex humo assimilare queant. Medicus hinc acute placentam cum embryone, squamas densas cum cotyledonibus ac tenues cum tunicis propriis seminum comparare studet. Non solum vero quoad formam atque functiones multo nomine cum seminibus convenire deprehenduntur bul.

bulbi, sed praeterea multa principia chemica communia habent uti amyrum, mucilaginem, gluten. Quibusdam insuper bulbis materies acres, olea aetherea atque resinae insunt. Praeterea in eo etiam quaedam cum seminibus convenientia observatur quod, si bulbi frigori intenso expositi sunt, diutius principium vitale in se sustinere possunt, quam plantae ex illis proiectae.

Quemadmodum bulbi multo nomine saepe cum seminibus convenire videantur, sic etiam retrograda quaedam metamorphosis semen in bulbi analogum observatnr. In quibusdam scilicet plantis, in *Araolo hypogaea*, *Glycine monoica*, *Lathyrus amphicarpo*, *Vicia amphicarpa* et *Trifolio subterraneo* flores brevibus pedunculis sustenti postquam effluerint, iterum terram petunt atque ibi fructus procreant qui, quoad magnitudinem et facultatem celeriter germinandi similitudinem cum bulbis ostendunt, quod praecipue in *Glycine monoica* observatur. Sic etiam femininae spiculae *Mili amphi carpi* vel ad humum vel sub illo, si maturescunt bulborum formam assumere solent. In pluribus graminibus *Agrosti vulgari* et *alba*, *Poa alpina*, *vivipara*, *bulbosa* aliisque germina culmi in foliola mutantur et structuram bulborum simulant.

---

## P A R S T E R T I A.

### GEMMAE STRICTE DICTAE.

---

§. 18.

#### *De gemmis in genere spectatis.*

Non majorem sane in aliqua botanices parte offendemus opinionum diversitatem, quam quidem in hac parte, quae de gemmis stricte dictis agit. Quisque pro suo ingenio gemmae definitionem exhibere tentat, ita ut difficile perquam foret duas gemmae definitiones sibi similes invenire. De hac sententiarum diversitate jam in initio hujus commentationis sumus locuti; hic igitur sufficiat proferre, quod apud plurimos et antiquissimos Botanicos de his tantum gemmis stricte dictis mentionem factam inveniamus.

Marc. Malpighius (1) primus fuit, qui et clare et pulchre simul pro suo tempore plurimas

gem-

(1) Opp. omnia, L. B. 1687.

gemmarum species descriptis atque delineavit. Grew (1) dein his et sua addidit. Ex his fontibus plurimi Botanici hauserunt quae iterum tamquam nova detecta aliis venditarunt. Dum serioribus temporibus viri in scientia praestantissimi Linnaeus, Du Hamel, Gärtner, Medicus, Gmelin, Aubert Du Petit Thouars, Sprengel, Nees v. Esenbeck, Mirbel, De Candolle aliique plenius in gemmarum naturam penetrare cooperunt. Quae igitur illi praestitere h. l. in unum redigere conabor.

Plurimi in primis Gallo-Francici confundunt vocabula gemmam (*bourgeon*) alabastrum (*bouton*) (2), et oculum (*oeil*). Haecce inter determinate adhibent ad designanda corpuscula quae ramulum inter et petiolum formantur. Majore tamen incrementi gradu a se invicem differre videntur. Tria enim stadia in evolutione oculi ad gemmam observari possunt, scilicet vere et sub initio aestatis formatur oculus. Hic increscit et versus medium aestatem in alabastrum mutatur. Magis magisque progrescit dum autumnali tempore nutritur, quo jam rudimenta foliorum et florum distingui possunt. Tandem

(1) *Anat. des Plantes.*

(2) Botanici nomine alabastri (*boutons*) intelligent plerumque florem nondum evolutum. Mirbel vero *bouton* vocat quod Candollio *bourgeon* dicitur.

dem versus hyemis finem, quando calor vernalis omnia novo quasi animo imbuit, alabasterum grandescit, et gemma dicitur. — Plinio (1) gemma vocabatur medulla juxta nodos erumpens, cum ibi cespitem facit, ante vero quam faciat in concavo *oculus* et in cacumine ipso *germen*. — Haecce distinctio tamen in scientia botanica nullius momenti esse videtur cum potius ad forum oeconomicae pertineat.

Botanico sensu gemmarum stricte dictae (Bourgeons, De C.) sunt corpuscula variae formae (2), naturae et diversi habitus, plerumque composita ex squamis imbricatis quae intimis suis principia caulis, ramorum, foliorum atque organorum fructificationis continent. Hinc perspicue etiam Malpighius: „gemmae itaque sunt veluti infans „seu foetus ita custoditus, ut suo tempore auc- „tus in surculum excrescens, tandem ova pro- „mittat” (3) Gemma est rudimentum ramuli nondum evolutum in planta evoluta (4).

Haec

(1) Hist. Nat. L. XVII. Sect. 35.

(2) Dantur scilicet gemmae quae sunt angulosae, breves et rotundae, ut in apice ramulorum *Faglandis*. Aliae sunt longae et acuminatae in *Carpino*. In *Viburno* sunt pilosae, planae in *Ceraso*, resinosae in *Tacamahaca*. In *Quercu* et *Catalpa* admodum parvae sunt, dum maximae in *Aescule Hippocastaneo* deprehenduntur.

(3) Opp. omnia, pag. 39.

(4) Nees v. Esenb. I. I. P. I. p. 161.

Haecce itaque germina reproductionis foliorum, ligni atque fructuum a Natura sunt destinata ad individuum continuandum, cum semina speciem propagent (1). Earum functio est adeo notabilis ut ab antiquis gemmarum nomen iis fuerit impostum, quandoquidem has partes tamquam pretiosissimas considerabant. Non minus quam semina admirationem movere debent apparatus et cura quam Natura impendit, in dispositione omnium partium quae gemmas constituunt. Nil fuit neglectum, omnia potius largius sunt distributa, squamae, folia, lanugo, gummi, succi viscosi, ad germen quod in media gemma vivit involvendum et defendendum ab intemperie aliisque potentissimis nocentibus. Folia, flores immo stamina et pistilla summo ordine in gemmis disposita oculo armato in conspectum veniunt. Ante vero quam in haecce naturae arcana penetrare conemur, videamus de earum descriptione.

## §. 19.

*De situ gemmarum.*

Situs gemmarum est ad caulem vel rhizoma tamquam caulem. — Gemma rhizomatis quae plerumque in illo, ut rudimentum novorum annuorum

cau-

(1) Link, Phil. Bot. pag. 208.

caulium in plantis perennibus monocarpiis quiescit, et saepe cum illo sub terra est recondita, dicitur turio; de quo vero jam antea diximus. — Gemmae caulis, trunci, rami, ramuli gemmae caulinae, rameae strictiori sensu gemmae dicuntur.

I. Si gemmae cum parte caulis in qua occurrunt, immediate sunt conjunctae dicuntur:

1°. Gemmae immersae, internae (Mirb.). Si gemmae cortici sunt immersae, uti in *Robinia Pseudacacia*.

2°. Gemmae emersae, impositae, sessiles externae (Mirb.) si in superficie apparent.

3°. Gemmae pedicellatae si insident pedicillo; rariores sunt; in *Alno glutinosa* occurunt.

Gemmarum dispositio relativa similis est dispositioni ramorum. Bonnet et post illum Du Hamel (1), Rosier (2) hanc gemmarum dispositionem ad quinque classes retulerunt, scilicet:

1°. Classis continet *gemmas alternas*. Bonnet novem arborum species enumerat, quae gemmas suas tali ratione habent dispositas.

2°. Classis comprehendit *gemmas oppositas*. In 17 arborum speciebus haecce dispositio a Bonneto fuit observata.

3°. Classis *gemmas verticillatas* continet. Atta-  
men

(1) Du Hamel du Monceau, *Phys. des Arb.*, P. I.  
pag. 100.

(2) *Cours Compl. d'Agricult.*, Tom. II. pag. 431, seqq.

men in plerisque junioribus ramulis gemmae saepe oppositae simul cum gemmis verticillatis occur- runt. In quatuor tantum fruticum speciebus tales ver- ticillatae gemmae a Bonneto fuerunt observatae.

4<sup>a</sup>. Classe continentur gemmae quincunciales. Tales in omnibus fere arboribus frugiferis obser- vantur. Bonnet has in 33 speciebus invenit.

5<sup>a</sup>. Classe denique gemmae rencensentur arbo- rum quarum folia circum ramos duplicatam spiram efficiunt, uti in *Pino*. Gemmae vero in *Pino* non in axillis foliorum inveniuntur, verum in apice ra- mulorum. Hinc quinta haecce classis admitti ne- quit, potius vero ad gemmas terminales reduci possent. Harum omnium gemmarum dispositio- num optimae delineationes inveniuntur in Du Hamelii et Rosieri opp. cit.

II. Duplex est gemmarum dispositio in caule vel ramulo.

Vel enim occurunt: 1<sup>o</sup>. Ad eorum latera gemmae laterales

vel 2<sup>o</sup>. In apice caulis vel ramu- li et gemmae terminales audiunt. Sunt solitariae in arboribus ramis alter- nis, geminae et ternae in arboribus oppositis ra- mis (1).

In

(1) N. v. Esenb. I. d. T. I. p. 466.

In utraque specie igitur occurunt haec gemmae terminales. In arboribus foliis oppositis tres gemmae in apice ramuli proveniunt. Rarum tamen haec omnes simul evolvuntur, nunc duae laterales pereunt, et terminalis sola ramum continuat uti videmus in *Aesculo*, *Pavia*, aliisque. Nunc terminalis deperit et laterales evolvuntur unde bifurcatio oritur quod in *Syringa* conspicitur. Easdem differentias etiam in arboribus foliis alternis offendimus (1).

III. Positio gemmarum ratione foliorum etiam duplex deprehenditur, scilicet:

1°. Gemma sub puncto attactus petioli in ejus cavitate recondita jacet, ita ut modo post foliorum lapsum in conspectum veniat; istiusmodi gemma dicitur *gemma tecta* uti in genere *Rhoë* et in *Platano*.

2°. *Gemma axillaris* vocatur si in axillis foliorum clare conspici possit. A foliorum expansione saepe prorsus tegitur.

Haecce ultima positio est frequentissima, quod patet ex Linnaei sententia qui paucas modo excipit; dicit enim: „Situs gemmarum plerumque in axillis, foliorum reperitur, excepta *Mimosa*, *Gleditschia*, „paucisque aliis” (2). Plerumque tantum unica gemma in axilla folii occurrit, *gemma solitaria*. Nonnumquam etiam duae vel tres in eadem axilla inveniuntur *gemmae geminae*, *ternae*, quarum vero

con-

(1) De C. Organ. Vieg. T. II. p. 218.

(2) Amoen. Acad. Vol. II. pag. 191.

contenta differre observantur ita ut media trium flores, laterales folia proferant, et contra (1).

IV. Gemmarum positio determinata angulo quem faciunt cum trunko aut ramulo, fere cum positione ramorum vel foliorum congruit, ita in *Syringa* gemmae fere perpendiculariter ramo insistunt (2). In aliis contra v. g. in *Corno* admodum canli sunt adpressae. In *Euonymo* duplex haec positio simul observatur scilicet in ramorum parte inferiore gemmae longe a ramis distant, dum superiora versus admodum adpressae inventiantur.

### §. 20.

#### *De gemmarum divisione.*

Gemmae arborum dicotyledonarum inter se diffent quoad naturam innovationum continentium. Hae includunt ramulos solis foliis praeditos *gemmae foliiferae* (*bourgeons à feuilles ou à bois* De C.); illae flores continent, *gemmae floriferae* (*bourgeons à fleurs ou à fruit* De C.); aliae denique et folia et flores simul continent, *gemmae folii-floriferae* Linn. (*bourgeons mixtes* De C.) (3). Gemmae folii-

fe-

(1) N. v. Esenb. I, I. T. I. pag. 466.

(2) Du Hamel, I. I.

(3) Organ. Vig. T. II. pag. 220.

ferae praecipue forma sua oblonga et acuminata dignoscuntur, cum floriferae magis formam rotundam demonstrent. Folii-floriferae intermedium harum ostendunt formam. Insuper in diversis arborum speciebus in *Pyro* e. g. duae occurunt species gemmarum foliiferarum quarum alterae minores maiores alterae deprehenduntur. Ex his minoribus unicum modo foliorum sertulum provenit, haec parvae vero gemmae saepe anno sequente floriferae evadunt. Majores foliiferae ramulos proferunt (1).

Quae de gemmis floriferis (2) dicta sunt, tantum spectant arbores quae flores gerunt completos i. e. quorum singulus flos continet organa fructificationis, uti *Pyrus*, *Amygdalus persica* aliaeque. In arboribus enim quae flores masculinos et flores foeminos in variis vel in iisdem individuis, sed in locis diversis proferunt, duae species gemmarum floriferarum sunt distinguendae, quia in multis speciebus gemmae e quibus amenta proveniunt maxime differunt ab illis e quibus fructus oriuntur, sic v. c. ex magna gemma in apice ramulorum *Juglandis* oritur innovatio i. e. ramulus novellus, fructus proveniunt ex gemmis minoribus ad latera ramulorum po-

(1) Du Hamel, l. l. pag. 102.

(2) Gemmae floriferae a nonnullis distinguuntur in masculinas, foemineas et hermaphroditas ex diverso genere florum cententorum.

positis atque amenta oriuntur ex minimis gemmis ad latera illarum, quae fructus protulerunt, positis (1). Si gemma completa est, aut semper in extremitate rami emergit, uti in *Pyro Malo* et *communi*, aut nunquam, uti in *Amygdalo persica* in qua ultima, gemma foliifera semper in extremitate occurrit. Rami fructiferi semper crassiores sunt mere foliiferis uti in *Pyro Malo* et *communi*; (2) in *Coniferis* flores masculini cum foliis ex eadem gemma proveniunt, foeminei separati sunt et nudi.

Rarius gemmac aggregatae inveniuntur, tum non omnes floriferae esse solent sed aut inferior modo aut exteriores, non autem interior. In multis *Malvaceis* ramulum florentem ex eadem axilla cum foliifero provenire videmus. Gemmae in arboribus acerosis compositae sunt. In finibus ramulorum emergunt, et constant ex plurimis gemmis separatis, quae sub communi involucro membranaceo circa gemmam centralem jacent.

## A.

(1) A. Willdenovio sequenti ratione distinguntur gemmae :

1º. Foliiferae.

2º. Foliiferae et floriferae distinctae.

3º. —————— foemineae.

4º. —————— masculinae.

5º. —————— hermaphroditae.

6º. Foliifero-floriferae.

(2) Link, Phil. Bot. pag. 215.

A Linkio ramificatio s. gemmificatio simplex vocatur, si folia rami e gemma hujus anni enata alias gemmas in axillis gerunt nondum explicatas. Composita vero si folia e gemma hujus anni enata alios ramos ex axillis proferunt, quorum folia gemmas non explicatas in axillis gerunt. Eodem modo ramificatio decomposita, supradecomposita et repetito composita esse potest. Ramus florens ex axillis enatus, ubi alias gemmae positae reperiuntur, ramificationem compositam efficit. In arboribus nostratis ramificatis minus composita esse solet quam in herbis. (1)

## §. 21.

*De gemmarum compositione.*

Gemma magis minusve completam plantam in rudimento constituit, non metamorphosi verum explicatione et expansione partium suarum oriundam.

Componitur ex seqq. partibus praecipuis:

1°. Ex parte essentiali interna i. e. ex rudimento ramuli in gemma, quae nunquam deficere potest.

2°. Ex parte externa s. involucro gemmae (Gärtner), Perula (Mirb.), squamis (Linn.) — Hae squamae qua tales ad gemmae formationem pertinent, hinc durante evolutione decidunt.

Gem-

(1) Link, l. l. pag. 216.

Gemmae quibus squamae desciunt, et quae ita ex parte essentiali tantum constant, dicuntur *gemmae nudae*. Nees v. Esenbeck (1) etiam ad has gemmas nudas refert tales, quae singularibus foliorum partibus obteguntur, quod in multis plantis observare licet. Si enim petioli basi sua in vaginam sunt dilatati, aliquando gemmas prorsus obtegere solent, ita ut in cavitate petioli retineantur et conspici fere nequeant; hoc in *Smilacis aspera* optime conspici potest. In *Platano* simile quid observatur scilicet autumno *Platanus* defoliare incipit, ita ut gemma nonnisi primo suo evolutionis tempore a folio defendatur. Margines vaginae petiolaris prorsus sunt coaliti, ita ut gemma includatur. Si vero ad hunc apparatum attendamus tempore quo foliorum lapsus praecedit, videbimus basin petioli superius in longitudinem fissam et quidem eo loco quo theoria marginum vaginae coitum indicaverat (2). Hiscé analoga phænoīmena in *Philadelphia*, *Robinia* et in quibusdam *Rhois* speciebus observantur. Istiusmodi gemmae a Mirbelio et Candollio ad tectas referuntur, quibus assentitur Link (3), ubi dicit: „Illas gemmas quae „intra basini petioli latent uti *Pteleae trifoliatae* etiam ad gemmas tectas esse referendas.” Gemmae

(1) *Handb. der Bot.* T. I. p. 468.

(2) *De C. Organ. vég.* T. II. pag. 220.

(3) *Phil. Bot.* p. 210.

mae clausae, completae, perulatae, squamatae audiunt si propriis squamis sunt obductae.

§. 22.

*De forma et substantia gemmarum.*

Forma gemmarum tantum in squamosis determinari potest, cum nudae jam novellos sistant ramulos. Squamosae igitur nunc magis minusve ovatae sunt, ellipticae, coniformes, teretes vel applanatae, immo globosae; earum pars est acuminata vel obtusa vel rotundata.

Summi sane momenti esse videtur determinatio formae exterioris, non tantum ad distinguendas gemmas foliiferas a floriferis et mixtis, sed praeterea ad determinandum et genera et species multarum arborum. Eadem species enim semper easdem profert gemmas. Ex hac forma constanti Medicus (1) itaque conatus est determinare species *Aceris* sic *Acer Pseudoplatanus* et *Acer platanoides* gemmas habent rotundatas. Gemmae attenuatae in *Acere striato*, *campestri*, *saccharino*, *cretico*, *rubro* atque *tatarico* deprehenduntur. Sic etiam forma sua externa distinguuntur gemmae foliiferae floriferae et mixtae: foliiferae plerumque sunt acuminatae et elongatae, floriferae sunt

(1) *Beyträge zur Pflanz. Anat.* St. I.

sunt obtusae et in parte superiore saepe crassiores quandoque etiam acuminatae, sed hoc casu sola crassitie a foliiferis distinguendae; gemmae denique mixtae formam his intermediate habent. Attamen haecce distinctio oculis exercitis indiget cum saepe difficillime evadat minimam distinguere differentiam, uti in *Vite vinifera*.

Saepe gemmae a parte truncum spectante aliquando sunt intropressae, concavae et hinc ab utroque latere marginatae. Caeterum earum peripheria plerumque rotundata est ac plana. Forma superficie a natura squamarum dependet, est scilicet plana, levis, nitida, viscosa, vel resinosa quandoque pulverulenta, pilosa, lanata, villosa vel sericea.

Inter characteres quibus arbores post foliorum lapsum dignoscuntur, praeter gemmarum positionem, directionem, situm, integumenta et formam, etiam primarium locum occupat earum color. Singulare enim coloris discrimin observatur in gemmis *Fraxinorum Americanarum et Germanicarum*. Hae rubris, illae nigris gemmis sunt praeditae (1). *Fraxinus Ornus* quae petalorum praesentia jam dignoscitur prae reliquis, gemmis pulverulentis gaudet.

Substantia gemmarum semper mollis est atque herbacea. Sectio transversa squamosas separatio-  
nes

(1) N. v. Esenb I. I. Tom. I. p. 479.

nes demonstrat, longitudinalis embryonem quasi in cunabulis nobis offert.

### §. 23.

#### *De singulis partibus gemmas constituantibus.*

##### *I. Basis gemmae.*

Ex tumida et incrassata parte nodosa caulis exteriora versus eminentiae foliiformes imbricatae prodeunt. Haec incrassata pars nodosa vocatur *Basis gemmae*, *Placenta gemmae*, *Nodus*, *Crepis*; si vero lateraliter prodit *Pulvinus* a Linkio nuncupatur.

Plerumque extus tamquam eminentia recta obtusa ac mollis appareat quae a parte sua externa inferiore folium, vel si illud jam decidit ejus vestigia, cauli vero proxime magis minusve evolutam gemmam gerit. Hicce pulvinus varias assumit formas; incrassatus est a cortice incrassato, interdum globosus cylindraceus deprehenditur. Cellulae in pulvini superficie aliam habent formam quam supra et infra istum insertionis locum (1).

##### *II. Columna, Axis gemmae.*

Ex basi gemmae nunc brevior nunc longior prodit eminentia coniformis quae dicitur *columna s. axis gemmae*; Gärtnero carina dicitur, quae sistit compactum rudimentum ramuli cui impli-

(1) Link. l. l. pag. 192.

plicata et obtecta adhaerent foliorum primordia et quidem eodem ordine quem post ramuli evolutionem acquirent. Haecce gemmae columna satis notabili crassitie gaudet ratione longitudinis atque in habitu suo coniformi typum trunci monstrat qui postea in formam cylindraceam mutatur. Pleniusque est coloris albicantis in viridem transeuntis, et angulosam habet circumferentiam. Ejus substantia mollis est atque pulposa.

### III. Columnae partes periphericae.

Hae sunt: 1°. Folia. (Gemmae foliiferae).

2°. Folia atque flores. (Gemmae mixtae s. foliifero - floriferae).

3°. Flores. (Gemmae floriferae).

Folia aequa ac flores gemmae quoad insertio-  
nem, positionem, numerum, compositionem, or-  
ganisationem atque figuram prorsus cum illis adul-  
tae plantae convenient. Sunt tamen multo mino-  
res, cum characteristica directione suarum partium  
atque superficierum minore volumine contineantur.  
Substantiae sunt mollis atque tenerae.

Foliorum intra gemmam complicatio vocatur fo-  
liatio; haec vero deinceps speciatim considerari  
meretur.

### IV. Squamae (Linn.) Perula (Mirb.) Invo- lucrum gemmae (Gärtner).

Partes quae in gemmis statim in conspectum  
veniunt et quae externum habitum gemmarum effi-  
cient sunt ita dictae squamae.

Sunt

Sunt partes tenues, coriaceae plerumque exsuccae, variae formae plerumque rotundatae, ovatae, obtusae vel acuminatae; Basi sese amplectuntur superficie sua excavata. Hinc Mirbel (1) illas cochleariformes vocat. Interiores harum squamarum plerumque sunt molliores teneriores atque succulentiores, plerumque colore viridescente insignes qua in re foliis jam magis accedere videntur. Exteriores contra sunt siccae, rudes et coloris profunde rubri, brunnei vel flavescentis. Margines squamarum saepe sunt divisi hincque fimbriati. Earum superficies nunc est nuda vel pilis sericeis obducta uti in *Aristolochia Siphone*; quandoque pilosa est vel setacea; in *Populo balsamifera* aliisque inaterie resino-gummosa squamarum superficies obducta est, quo eo firmius sibi invicem cohaerent. Squamarum magnitudo imminuitur quo profundius ad centrum gemmae reperiuntur, hinc eo firmius cohaerere ac magis exacte involucrum efficere queunt.

Non tantum margines squamarum, verum etiam earum pars interna et in quibusdam speciebus externa praeditae sunt pilis qui gossypii speciem referunt. Hi pili tenerae adeo sunt substantiae ut oculo armato pellucidi appareant. Bene distinguuntur interim hi pili squamis adhaerentes ab illa pilo-

(1) *Elém. de Bot.* T. I. pag. 139.

pilorum congerie quae nonnunquam in intimis gemmarum nonnullarum arborum invenitur.

Singularis squamarum consistentia debetur positioni gemmarum stricte dictarum. Hae squamae aëris atque luminis actioni expositae multum exhalant et ita quasi ad contextum fibrosum reducuntur. Haec exhalatio, uti vidimus, eo minor evadit, quo profundius squamae sitae sint, quae interiores igitur minore exhalatione plures succos retinere possunt. Praeter squamas et pilos quibus gemmae sunt munitae insuper in illis inveniuntur filamenta tenuia formae diversae, quae in quibusdam arboribus sunt vera foliola temporaria, quae cum cotyledonibus vel foliis seminalibus quodammodo comparari possent, quaeque enim aequa ac illi inservirent ad depurandam materiem nutritivam quam germen gemma contentum a caule accipit. Moriuntur et decidunt aequa ac folia seminalia si gemmae illorum officio carere possunt. In aliis arboribus sunt fasciculi filamentorum qui germen immediate circumdant. Haecc foliola bene a veris foliis sunt distinguenda, cum durante evolutione gemmae pereant. Malpighius (1) illa *folia caduca* vocat, dum vera *folia stabilia* dicit. Forma horum foliorum caducorum admodum variat; aliquando vero folio inserta deprehenduntur quandoque supra hoc posita.

§. 24.

(1) Opp. omnia, pag. 40.

## §. 24.

*De Foliatione.*

Praecedenti § diximus de singulis gemmae partibus quatenus simul sumtae hanc ipsam efficiant. Sequitur ut, quae de illis speciatim momenda supersunt, dictis subjungamus. Duplex autem tum maxime argumentum spectant. Alterum sistit partes periphericas, squamas alterum. Itaque apto ordine uti nobis videmur, si jam foliationem consideremus, nec non squamarum speciale examen instituamus. Ab illa initium fiat.

Quemadmodum in omni fere hujus commentationis parte opinionum diversitas fuit notabilis, sic non minus sane in foliatione. Dolendum sane quod adeo omnes Botanici discrepant, quod tot diversa nomina iisdem rebus imponant, ita ut non tantum in scientia tironi, verum exercitatissimo Botanico tandem talis idearum confusio molestias creare debeat. — Videamus quid praecipui Botanici de hac re praestitere.

Folia in gemma praesentia omnibus suis partibus uti nervis, ramificationibus caet. sunt munita, non vero sunt evoluta. Ita in gemma sunt posita ut quam minimum occupent spatium. Haec dispositio variat pro diversis vegetabilibus. Linnaeus hanc complicationem foliorum intra gemmas *foliationem* vocat, cum dicat: „Foliatio est „com-

„ complicatio ea, quam servant folia dum intra  
„ gemmam aut asparagos plantarum latent.” (1)

Decem modos distinquit quibus folia in gemma  
disposita deprehenduntur scil.

1°. *Involuta* quorum margines laterales utrimque introrsum spiraliter involvuntur.

2°. *Revoluta* quorum margines laterales utrimque retrorsum spiraliter convolvuntur.

3°. *Obyoluta* quum margines alterni comprehendent oppositi folii marginem rectum.

4°. *Convoluta* cum unius lateris margo circumambit, alterum ejusdem folii marginem instar cusculli.

5°. *Imbricata* quando parallele, superficie recta sibi invicem incumbunt.

6°. *Equitantia* quum folii latera parallele convergent, ut interiora ab exterioribus includantur; quod non in conduplicatis obtinet.

7°. *Conduplicata*, cum folii latera parallele sibi invicem approximantur.

8°. *Plicata* cum plicatim longitudinaliter complicantur uti folia plicata.

9°. *Reclinata* quum folia versus petiolum deorsum reflexa sunt.

10°. *Circinalia* quum folia deorsum spiraliter involvuntur (2). Accuratius tamē *Lamarck* et

De-

(1) Linn. Phil. Bot. pag. 174.

(2) Linn., Phil. Bot., pag. 174, cura Sprengelii. In

De Candolle istam foliorum complicationem intra gemmas considerant; ita ut de horum divisione adhuc quaedam videre nobis animo est. Scil. tres modo classes assumunt quae continent:

- I. Folia adpressa.
- II. Folia plicata.
- III. Folia voluta.

quas classes iterum in varios ordines divisorunt.  
Igitur

I. Folia *adpressa* (1), quorum limbi plani recti pagina sua supera sibi sunt impositi; quod in multis monocotyledonibus observare licet.

II. Folia *plicata*. Hae plicae vero variis modis occurunt. Sic dicuntur: 1°. *plicatiya* De C. (*plicata*, Linn.). Si folia nervis sunt praedita qui plicas longitudinaliter complicatas (*en forme d'éventail fermé*) referunt, uti in *Vite*, *Betula* aliisque.

2°. *Replicatiya* De C. (*inflexa*, Mirb.). Si folii pars superior in inferiorem inclinet, nti in *Aconito*, *Liriodendro*. (2)

3°. *Equitatiya*. Si duo latera nervo longitudinali

Amoen. Academ. Vol. II. pag. 190. enumerat modos sequentes: folia conduplicata, involuta, revoluta et secundum venas plicata.

(1) Nees v. Esenb., I. I. pag. 474. hanc dispositionem non ad foliationem refert.

(2) Nees v. Esenb., I. I. T. I. p. 473.

nali separata in se invicem inclinant. In hac complicatione quatuor distinguuntur casus :

a) *Equitativa sensu strictiori* De C. (*folia imbricata* Linn.). *Se invicem spectantia* (Mirb.). Si duo folia sibi sunt opposita, quae leviter secundum nervum longitudinalem sunt plicata, ita ut margines sui coïncident. Exemplo sit *Syringa*.

b) *Semiamplexa* De C. (*Obyoluta* Linn.) (*Mutuellement equitantes*, (Mirb.). Si folia non prorsus sunt opposita, ita tamen ut margines alterni comprehendant marginem rectum folii oppositi. Haec dispositio in *Saponaria*, in *Lychnite* observatur.

c) *Amplexa* De C. *Equitantia* Linn. Si folii latera parallele connivent, ita ut interiora ab exterioribus includantur.

d) *Conduplicativa* De C. *Conduplicata* Linn. Si folii latera parallelae sibi approximantur, ita ut se invicem non includant, uti in *Tilia*, *Rosa*, *Hedera* aliisque foliis plicativis sparsis.

4°. *Imbricativa* De C. (*Duplicato-imbricata* Nees v. Esenb.). Si foliorum rudimenta sibi sunt imposita atque plures series formant. Exemplum praebet *Larix*.

### III. Folia voluta ad apicem vel ad margines.

1°. Veniunt quae ad apicem sunt voluta. Haec *circinalia* audiunt quae secundum nervum longitudinalem spiraliter involvuntur. Hoc in *Filicibus*, in *Droseraceis* obtinet. Secundum Nees v. Esenb.

haec

haec dispositio non in perfectis gemmis observatur, tantum in simplicibus turionibus nudis *Drosoracearum* (1). Linnæus (2) talem dispositionem in *Filicibus* et *Palmis* nonnullis adesse dicit quod etiam Link (3) affirmat, si dicit folium circinale characterem sicut *Filicum* et *Cycadearum*. (4)

2º. Quae ad margines sunt voluta. His adnumerantur.

a) *Convolutiva* D e C. *Convoluta* Mirb. Si totum folium circa alterum marginem tamquam axim volvit uti in *Musa*. Nees v. Esenb. (5) hanc foliorum dispositionem ad foliationem referendam esse non putat ob verarum gemmarum defectum.

b) *Supervolutiva* D e C. *Convoluta* Linn. Si alter margo folii in se ipsum involvatur, atque alter margo illum contraria ratione includat. In *Pruno armeniaca*.

c) *Involutiva* D e C. *Involuta* Linn. Si uterque margo folii introrsum involvatur. In *Pyro Malo*.

d) Re-

(1) Nees v. Esenb., l. l.

(2) Phil. Bot., pag. 177.

(3) Phil. Bot., pag. 213.

(4) Inter dicotyledoneas in *Drosoraceis* haec dispositio observatur. Inter monocotyledoneas in *Cycadeis* et summo gradu inter monocotyl. cryptogam. in familia *Filicum*. D e C. Organ. vég.; T. I. pag. 353.

(5) Nees v. Esenb., l. l. pag. 474.

d) *Revoluta* De C. Si uterque folii margo extrorsum convolvatur ubi in *Roré marino*, *Polygonum Persicaria*. Haec dispositio aliquando observatur in foliis evolutis atque ita dicuntur folia *revoluta* De C.

e) *Curyata*, *Curyatiya* De C. Si ex minore folii latitudine convolutio non est conspicua et non completa. (1)

Link (2) praeterea distinguit inter complicationem folii per se, et complicationem cum aliis foliis adjacentibus. Ad priorem classem referuntur folia involuta, revoluta, convoluta et quidem dextrorum et sinistrorum, conduplicata, plicata, circinalia.

In complicatione cum aliis foliis adjacentibus quodammodo alia ratione procedit: folia apposita illa dicit quae sese non amplectuntur nec marginibus sibi accumbunt. Haec dispositio aequa in gemmis apertis ac clausis et tectis invenitur. Separata dicuntur, ubi folia variis modis convoluta intra tegmenta stipulasque posita, harum ope segregata sunt, uti in *Corylo*. In dicotyledoneis folia sese marginibus contingunt et folia *accumbentia* dicta sunt. Folia *valvacea* si sese amplectuntur ita ut alterum ab altero utrimque margine com-

(1) De Lamark et De C., *Flore Franc.*, T. I. pag. 106. seqq. et De C., *Thér. Elém. de la Botan.*, pag. 370. seqq.

(2) I. l. pag. 213.

complectatur. Denique folia *imbricata*, si sese ita amplectuntur ut alter margo tegatur, alter tegat, excepto extimo et intimo in orbe folii. In monocotyledoneis aut convoluta sunt aut equitania et sicuti Linnaeus distinguit inter equitania, ancipitia et equitantia triquetra uti in *Gramineis* et *Cyperaceis* videtur. — Ex hisce foliationis divisionibus illa Lamarckii et Candollii praeferri nimirum meretur, tam ob accuratam distributionem quam ob facilem applicationem ad terminos reliquorum auctorum, cum nullus fere inventiatur terminus foliationis qui ad unam alteramve harum classium referri non possit.

Haecce divisio, ex relativa positione foliorum tenellorum in gemma petita summae nimirum utilitatis esse posset tam in determinando ordines naturales quam genera et species, ita ut cum Linnaeo in votis habeamus hanc botanices partem quondam de industria tractatum iri (1). Ad cuius rei praestantiam demonstrandam exempla quaedam profert summus Botanicus, Scil. ait: „Folia in *Canna*, *Alpinea*, *Kämpferio*, *Curcuma*, *Amomo*, *Marcantia*, et toto hoc ordine naturali, cum erumpunt, „instar cuculli papyracei prodeunt, margine s. latere „altero obvolvente latus interius. Idem observatur in speciebus *Ari*, *Callae*, *Dracontii*, ut „ne minimum quidem intersit discriminis, at ve-

„ 10

(1) Amoen. Acad., Vol. II. pag. 190.

„ ro in his convolutio fit ad solis quod ajunt  
 „ motum, in illis vero contra. In *Gramineis*  
 „ diversus plane obtinet modus: horum enim con-  
 „ volutiones alternatim sunt contrariae, adeo ut  
 „ si priores ad dextram, proximae necessario ad  
 „ sinistram vergant.”

In ejus philosoph. Bot. fere ducentae recensem-  
 tur plantae quae sub 10 foliationis modis a Lin-  
 naeo ordinantur. (1)

### §. 25.

#### *De squamarum divisione.*

Superest in examine nostro de partibus gemmam  
 constituentibus ut **squam**as paullo fusius indage-  
 mus. Quum enim haec organa summi momenti  
 sint, simulque egregia documenta providentiae Na-  
 turae exhibeant, duximus operae pretii esse ut  
 primum quidem varias earum species exponere-  
 mus, dein vero earundem functiones, ex quibus  
 quantum poterit rationes teleologicas eruere cona-  
 bimur.

Gemmamarum *tegmen*a (*squamae*) dividuntur:

1°. In *spuria* i. e. talia quae formantur ex po-  
 sitione et obductione nonnullarum partium essen-  
 tialium gemmarum nudarum.

2°. In

(1) Linn., Phil. Bot. cura Spreng., pag. 175. seqq.

12°. In *vora*, gemmis exclusive propria, quae cum evolutione gemmarum decidunt, atque apereunt. Hae propriæ squamae dicuntur.

*Quoad primum.* Plerumque gemmae nudæ sine ullo integumento partium essentialium stricto sensu nudæ dicuntur, quod in plurimis plantis herbaceis obtinet, in *Hippophaë rhamnoïde* aliisque. Si vero gemmae perula spuria sunt obductæ haec est vel *perula integra* (Mirb.) (vagina foliacea) uti in *Polygono Persicaria*; vel stipulae (1) ipsae magnitudine vera folia superant, uti in *Liriodendro Tulipifera* (2), *Magnolia*; vel cum petiolo in foveam sunt coalitæ ita ut serius provenientes partes ramulorum obtegant. Huc referri debent folia gemmacea *Linkii* (3) atque folio pileolaria (Dutrochet) (4). Folia gemmacea dixit folia gemmae sive rami quae inferiora versus tegmenta posita in haec sensim transeunt. Basis petioli dilatatur, petiolus ipse praesertim vero lamina oblitterantur, vagina imprimis supera excrescit, stipulae aut aliae stipulaceæ magis explicatae sunt

(1) Dutrochet, considerat perulas *Liriodendri* et *Magnoliae* tamquam pileolos (*pileoles*) qui dividuntur in duo folia pileolaria quae male a Botanicis nonnullis stipulae vocantur. *Mém. du Mus. d'Hist. Nat.* Tom. VIII. p. 35.

(2) Sprengel, *vom Bau und der Natur der Gewächse*. Halle 1812. p. 481.

(3) l. l. p. 212.

(4) l. l. p. 24.

sunt quam reliquae partes, in genere hujusmodi folia basin habent explicatam, partem medianam et anticam obliteratam.

Dutrochet folia pileolaria (*feuilles pileolaires*) vocat ista folia fulcidentia quae in geminis ad caulis basin aut in stolonibus et in caulis subterraneis enascuntur, quaeque revera tegmentorum indolem demonstrant, uti videre est in *Sparganio erecto*, *Typha latifolia*, *Fragaria vesca* aliisque.

Quoad secundum. Essentialia gemmarum tegimenta (*Perula vera*) vocantur *squamæ*, et gemma tali perula munita *squamosa* dicitur. Si squamae exteriores viridescunt et foliaceæ evadunt *Perula foliacea* audit. Turpin putans, positionem relativam primæ vel externæ squamae gemmarum (*embryon fixe*) semper esse eandem, multas observationes maximi momenti de hac re instituit. Primus fuit qui tres seqq. dispositiones hujus externæ squamae constituit; scilicet.

1<sup>a</sup>. Dispositione squama externa posita est gemmam inter quae illam gerit et caulem plantæ cui est apposita.

2<sup>a</sup>. Dispositione squamae externæ laterales sunt; et quidem esse possunt vel alternae vel oppositæ quandoque basi coalitæ.

3<sup>a</sup>. Dispositione squama externa spectat petiolum folii in ejus axilla; gemma formata fuit.

Prima haecce dispositio solis monocotyledoneis propria est. Putabat igitur squamas externas latera-

rales plurimarum dicotyledonearum characteres sufficientes praebere quibus hae ab omnibus aliis distingui possent. Tertiam vero invenit dispositionem in multis plantis familiae *Amentacearum* in quibus squama externa (1) positione gaudet e diametro opposita illi *monocotyledonearum* (2).

Ex his et ulteriore indagatione in dicotyledoneas bonos characteres forsan peti posse putat.

Squamae externum habitum gemmarum efficiunt non vero omnes sunt ejusdem naturae atque originis. In hac re tamen convenient quod semper partes sint degeneratae atque imperfectae; sic nunc sunt folia vel petioli, nunc stipulae quae necessarium suum incrementi gradum non attigerunt, quae vero sub quibusdam conditionibus procrescere atque evolvi possunt et ita veram suam demonstrare naturam (3).

Gemmae squamosae quoad organa e quibus squamae sunt formatae, varia accepere nomina et quidem dicuntur:

#### I<sup>o</sup>. Gem-

(1) In *Salicibus* haec squama externa totam gemmam includit et colore suo brunneo ab interioribus sericeis longe differt.

(2) Turpin, *Mém. sur l'inflorescence des Graminées et des Cyperacées* in *Mém. dn Mus. d'Hist. Nat.* Tom. V. pag. 438 seqq.

(3) Constant gemmae rudimentis foliorum, dum sub foliorum nomine non modo folium propriè dictum sed et petiolas et stipulas simul comprehendimus. Linn. Am. Ac. T. II. p. 189. Malpigh. Degenerationum squamarum pulcherrimas exhibuit delineationes in opp. omn. tab. 10 seqq.

1°. Gemmae foliaceae. Si foliorum sessilium limbi in formam squamarum reducuntur; vel secundum Richard dicuntur tales quae ex degeneratis foliis constant, atque saepe etiam in folia evolvuntur quod in *Daphne Mezereo* videre licet (1).

2°. Gemmae petiolaceae (De C., Rich.) *petiolares* (Linn.) *Perula petiolanea* (Mirb.). Si squamae ex petiolorum basibus relictis sunt conformatae e. g. in *Juglans regia* (2).

3°. Gemmae Stipulaceae (De C., Linn. et Rich.) *Perula stipulanea* (Mirb.). Si stipulae conjunctae innovationes circumdant uti in *Liriodendro Tulipifera*, *Carpino sylvestri* et praecipue in *Ficus elastica* (3). — De Candolle duas distinguit species istiusmodi gemmarum stipulacea- rum. Alterae componuntur ex superpositis multis stipulis quae totam innovationem continent. Hae in tota fere familia *Amentacearum* observantur, uti in *Salice*. Alterarum stipulae liberae vel co- litae margine externo formant singulo folio involu- crum proprium et cum ipso ramulo procrescant. Hoc in *Ficis* et *Magnoliaceis* observatur. Tales gem-

(1) Foliaceae si squamae interiores sensim in folia simplicia abeunt. Linn. I. I. pag. 189.

(2) Petiolares; in his squamae sunt petiolorum rudimenta et sensim spicæ foliiferae evadunt. Linn. I. I.

(3) Stipulaceae in quibus squamae mere stipulae existunt, quarum singula paria plerumque conjuncta magisque vicina sunt. Linn. I. I.

gemmae monophyllae statim forma sua conica, quam terminant, dignosci possunt (1).

4°. Gemmae fulcraceae (*Perula fulcracea*, *squamæ fulcraceæ*). De C. *stipulaceo-petiolares*, (Linn.) vocantur si stipulae petiolo adhaerent, ita ut unum quasi corpus efficiant. Hae in plurimis *Rosaceis* observantur. Istiusmodi squamae plerumque sunt trilobae vel trifidae, unde earum origo ex petiolo et duabus stipulis coalitis liquet (2).

Arbores monocotyledoneae vel *Palmae* gemmis sunt praeditae quoad originem praecedentibus prorsus similibus. Pertinent ad gemmas petiolaceas. Sic etiam summitates *Dracaenæ* aliarumve hujus generis arborum gemmis foliaceis sunt praeditæ; in monocotyledonibus vero hae duæ tantum gemmarum species deprehenduntur cum stipulis careant, atque hinc stipulaceæ et fulcraceæ adesse nequeunt. Sic etiam in ipsis monocotyledonibus squamae bulborum *Liliorum* optime ad gemmas foliaceas referri possunt, dum gemmae radicæles dilatatione petiolorum *Hemerocallis* productæ exempla offerunt gemmarum petiolacearum.

Ite.

(1) De C. *Organ. Veg.* Tom. II. p. 213. Squamae universales et partiales arborum acerosarum sunt stipulae vaginantes inferioris ordinis Nees v. Esenb. I. I. p. 477.

(2) Stipulaceo-petiolares in quibus squamae interiores apice bifidae vel trifidae sunt: lacinis lateralibus demum adsurgentibus in stipulas, media proferente folium rude. Linn. *Amoen. Acad.*

Iterum in monocotyledonibus punctum comparationis offendimus. Si enim comparemus bulbum cum *Palma*, videmus nullum fere dari discrimen, nisi quod *Palma* stipitem suum habeat elongatum atque ita gemmam alte gerat, dum bulbi stipes (placenta) perquam brevis est et gemmam sub terra evolvit; omnes intermediae species in eadem classe inveniuntur, sic v. c. stipitem magis magisque elongari videmus in quibusdam *Allii* speciebus, in *Crino*, in *Tucca*, in *Dracaena* et sic sensim a stipite bulborum fere non percipiendo pervenimus ad longum stipitem *Tuccae*, a *Liliaceorum* gemmis subteraneis ad gemmas aëreas *Palmarum* (1).

Gemmarum species turiones, quoad squamarum originem omnes offerunt varietates gemmarum aërearum arborum. Sic inter dicotyledoneas turiones foliaceae in *Astere*, turiones petiolaceae in *Paeoniis* et fulcraceae in *Potentillis*. Turionum vere stipulacearum exempla non occurunt. De his vero jam antea vidiimus.

(1) *De C. Org. Vig. Tom. II. p. 224.*

## §. 26.

*De squamarum functionibus earumque partium finibus.*

Squamaram officium duplex videtur scilicet defendendi tenellos ramulos ab humiditate et a frigore (1).

Quod ad primum attinet squamae plerumque sunt satis multae numero, atque satis accurate sibi impositae, ne aqua pluvialis ante evolutionem earum interstitia penetraret. Praeterea multae gemmae hoc habent singulare quod earum squamae obductae sunt materie viscosa - resinosa aqua insolubili quae gemmas quam maxime ab humiditate defendit (2). In *Aesculo Hippocastano* hoc phaenomenon summo gradu observari potest; in *Alno glutinosa* atque in *Populo nigra* etiam istiusmodi materia resinosa invenitur, minore tamen copia quam in *Aesculo*.

Quoad squamarum defensionem a frigore; ipsarum superpositio jam insigne exhibit adminiculum

con-

(1) Hinc summo jure a Linnaeo gemmae hybernacula dicuntur.

(2) Senebier refert se per quinque menses variarum arborum gemmas, quas a parte absissa materie resinosa obduxerat, immunes siccasque sub aqua servasse. Aqua earum squamas penetrare non poterat. *Phys. Vég.* Tom. II p. 388.

contra intensae hyemis frigus, quia singulae aëris quantitatem continent. Insuper multae gemmae extus pilis confertissimis sunt munitae; aliae in intimis gossypii speciem continent densam, mollem, quae illas aequa frigore quam ab humiditate defendit. Exemplo iterum sint gemmae *Aesculi Hippocastani*. In multis fruticibus et suffruticibus in quibus squamae deficiunt gossypii species harum locum occupat, quo gemmae defenduntur; quod in *Viburno* et in *Ptelea* observari potest (1).

Hoc gravissimo gemmarum munere ducti et comparatione illarum praesentiae in diversis vegetabilibus plures Botanici concluserunt, arbores quarum gemmae squamis sunt destitutae in frigidis regionibus persistere non posse et illas tantum regionum calidarum indigenas, quae his sunt praeditae in frigido climate vivere posse. Hae duae regulae quamvis universe verae quasdam tamen excipit. Sic *Viburnum Lantana* et *Rhamnus frangula* (2)

quam-

(1) G. L. Köler, *Lettre à M. Ventonat, sur les boutons et ramifications de ces organes et les rapports organiques existans entre le tronc et les branches*, pag. 9. Haec litterae observationibus praestantissimis ditissimae insertae sunt diario: *Journal de Phys., de Chim., d'Hist. Nat. et des Arts*, par J. C. De Laméthérie, Tom. 40. Par.

(2) *Rhamnus frangula* est unica arbor indigena Sueciae quae gemnis caret, sed habitat illa sub arboribus in nemoribus paludosis cum aliis plantis a saevitia hyemis defensa, Linn. Amoen. Acad. I. l. p. 188.

quamvis origine frigidarum regionum incolae gemmis squamosis sunt destitutae; et *Palmae* quamvis gemmis petiolaribus munitae frigus perferre nequeunt. L ö f l i n g i u s in dissertatione *de gemmis arborum* catalogum exhibit plantarum tam regionum calidarum quam frigidarum quibus gemmae vel squamae denegatae sunt. Ex quibus simul patet nonnullorum in primis *R a j i* et *P o n t e d e r a e* divisionem plantarum in herbas et arbores ex praesentia vel absentia gemmarum petitam experientiae omnino esse contrariam, cum ex hoc principio non solum excelsae saepe arbores ad herbas et iterum minimae plantulae ad arbores essent referendae.

Senebier refert se ineunte vere plures gemmas a squamis suis orbasse, quae tamen perfecte fuere evolutae aequa ac illae quae his erant praeditae. Addit tamen hoc nil probare, nisi quod gemmae tunc temporis squamis carere possint (1).

Quod autem attinet ad fines quibus squamae et ratio qua cum gemmis cohaerent satisfaciunt, summam Naturae sapientiam admirari cogemur. Si enim embryo immediate squamis erat tectus facile explicari non posset, resistantibus squamis arcte materie resinosa cohaerentibus; si embryo grandescit necessario impediretur hisce squamis, quae eo duriores redduntur quo magis aestas appropinquat; in

(1) *Physiol. Vtg.* Tom. I. p. 390.

in longum excrescere non posset, quin acutis extremitis squamarum laederetur. Ut his incommodis occurret alia Natura spatium squamas inter et embryonem implevit foliolis herbaceis; molibus vel filamentis et pilis quae comprimi et cedere possent continuis conatibus embryonis qui evolvitur illa magis magisque comprimendo. Durante embryonis evolutione foliola et pili simul procrescunt, donec necessarium incrementum acquisivit ut et illis et squamis carere possit.

Senebier tamen his opponit, quod haecce foliola, hi pili tanta gaudent mollitie ut nullae ferre pressioni internae resistere possent et squamarum secessione et aperiendi facultati multo praestantiorum causam adscribit. De hac re multas protulit observationes praecipue in *Pyro Malo* factas quarum sumnum hic proponam: scilicet, singulae squamae sub cortice baseos gemmae in eminentia quadam sunt positae. Incipiente hyeme hae eminentiae quae squamas gerunt sibi sunt valde approximatae et ita dispositae ut medium baseos squamae superioris sit positum supra illum locum ubi squamae seriei inferioris conveniunt. Secessio serierum squamarum multum augetur incipiente vere, quando basis gemmae grandescere incipit. Squamae itaque a contentis separantur incremento baseos gemmae in longitudinem ac latitudinem. Hoc duplex incrementum nunc effectum edit multo tutiorem facilioremque quam ederet, si incre-

mentum modo in longitudinem vel in latitudinem solum obtineret. Squamae itaque quae crescere desinunt, non amplius extendi possunt, ita ut earum dilaceratio proportionalis obtineat incremento baseos gemmae, quae laceratio ulteriore vegetatione augetur ita ut tandem prorsus decidant. Squamae exteriores quamvis tandem decidant diutius tamen basi adhaerent, quia fortiores sunt. Squamae gemmarum foliiferarum diutius persistunt et non ita celeriter dilacerantur, quia incrementum baseos gemmae foliiferae non ita impetuose procedit.

Porro explicare tentat Senebier, quare squamae in apicibus suis aperiuntur ut exitum praebere valeant foliis atque floribus. Squamae quae basi sua solvuntur non amplius eadem gaudent consistentia. Basis gemmae increscens necessario squamas a se invicem separat et quamvis ille motus ad basin squamarum fere percipi nequeat satis insignis tamen ad apices observatur. Haec separatio durante dilatatione gemmae perficitur et proportionalis est incremento foliorum et florum. Squamae basi sua dilaceratae minore vi resistunt conatibus baseos gemmae, quae illas iterum dilacerare tentat, et florum foliorumque qui illas dimovere conantur, ita ut resistentia semper sit minor quam causa quae illam vincere debet (1).

Gemmarum tegmenta ipsa saepius immerito nonnulla

(1) Senebier, *Physiol. Vig.* Tom. IV. p. 206 seqq.

nulli uti Senebier et Meyer cum cotyledonibus compararunt (1). Plantula germinans enim cotyledonibus nequaquam carere potest, cum illis necessario nutriti debet. Non ita cum squamis gemmarum obtinet quae, testante Köler (2), nullo modo gemmam nutriunt. Praeterea squamae desumi possunt neque gemma deperit; solummodo illam formam magis elongatam assumere vidit Senebier, si omnes squamas exteriores brunneas *Aesculi* desumserat (3); si gemmae adeo indigent squamis quam plantae cotyledonibus tunc certe non plurimae arbores uti omnes tropicae et inter Europaeas *Viburnum*, *Rhamnus frangula* aliaeque illis prorsus destitutae deprehenderentur. Hinc nulli alio scopo inservire videntur quam defendendi a frigore et humiditate (4).

### §. 27.

#### *De origine gemmarum.*

De gemmarum origine non omnes Botanici eandem fovent sententiam. Nonnulli putant gemmas ori-

(1) Idem l. l. p. 193. *Les boutons n'ont pas à la vérité des cotyledons, mais les feuilles, les écailles les remplacent.*

(2) *Lettre à M. Ventenat*, l. l.

(3) Senebier, l. l. p. 201 seqq.

(4) Sprengel, *Ueber den Bau und der Natur*, caet. p.

originem trahere ex medulla quae per lignum et corticem penetraret, uti Linnaeus: „ Medulla „ ubique intra substantiam ligni ramulum exserit, „ versus quamlibet gemmam. Medulla autem ubi- „ que tegitur propria substantia lignea, haec ve- „ ro cortice. Cortex vero non exserat gemmam „ nisi protrudatur e medulla sive filamento me- „ dullari, hinc ortum gemmarum ex substantia „ medullari merito statuimus (1).” Sic etiam Plinius (2) jam suo tempore ex medulla gemmam protrudi putat quando dicit: „ Medulla sive illa „ vitalis anima est, ante se tendit longitudinem „ impellens, quamdiu nodi pervia patet fistula, „ cum vero repercussa erumpit juxta nodos, hoc „ vocatur in Vite (3) gemma.”

Praeterea plures alii hanc eandem opinionem amplectuntur. Alii inter quos Pontedera nihil medullae tribunt, sed e ligno tenello (alburno) ori- ri credunt. Alii cum Du Hamel et medullam et lignum et corticem suum conferre in gemmarum generatione asserunt (4). Sic squamae e. g. ori- rentur ex parte interiore corticis ramuli, cortex

no-

(1) Linn. Amoen. Acad. Vol. II. p. 192.

(2) Hist. Nat. Lib. XVII. Sect. 35.

(3) Ab antiquioribus soli *Viti* vocabulum gemma applicatum videtur quod ex Cretino, Etienne, Virgilio aliisque patet. Vid. A. Aubert du Petit Thouars, *Essais sur la Vég.* Par. 1809. p. 138.

(4) Du Hamel, *Phys. des Arbres*, Tom. I. p. 120. seqq.

novelli ramuli ex stratis interioribus vel inter lignum et corticem rami senioris; lignum novelli ramuli ex fibris lignosis, tandem medullam ex qua maximam partem hae productiones consistunt, tamquam continuationem medullae rami senioris considerant. Hi vero gemmarum formationem cum earum origine commutare videntur. Hill carnem vegetabilem tamquam unicum fontem omnis vitae in vegetabilibus assumit, ex qua omnes gemmæ omnesque embryones orinentur; neque assumit immediatum transitum medullae ex trunco in ramulos, sed truncum et ramos intervallo quodam a se invicem separari et vasa atque medullam de novo ex nodo procreari. Gärtner (1) Hillio consentit, nempe in eo, quod omnes gemmae ex substantia molli, ex vasis spiralibus et succulento parenchymate excita, quae in omni planta sub cortice interno haeret, orinentur et cum eadem continuum corpus efficerent. Perinde est sive illa substantia caro, sive lignum tenellum, sive medulla recens vocetur. Sed id axiomatis loco habet quod ea sola substantia omnibus gemmis prima largiatur initia et quod ex ipsa primum cujuscunque germinis procedat stamen vivum. Gärtner ideo praecipue Linnaei sententiam reprobat, quia vera medulla texturam habet cellulosam, inertem, atque ad producendum corpus organicum plane ineptam.

Hed-

(1) De fructibus et seminibus Plantar. Introd. p. v.

Hedwig ad basin gemmarum vasa spiralia observavit, atque ex illis gemmarum originem explicat (1).

Medicus (2) observationibus suis probare studet omnes gemmas oriri ex illa substantia, quae ipsa dissepimenta et tubos medullares produxit. Partes ex quibus haec substantia constat illi solidae atque uniformes videntur, scilicet in multis arboribus dissepimenta in tubo medullari observavit, quae illi docuerunt nullam gemmam immedia- te ex medulla oriri sed ex illa substantia quae dissepimenta (3) procreat, et tubum medullarem semper ibi claudi, ubi novi prodeunt ramuli. In plantis perennibus, in arboribus et suffruticibus manifestum est quod gemma nullum habeat commercium cum vera medulla. In solis plantis herbaeis uti in *Brassica alba* nonnulli observarunt embryones, quae vere in axillis foliorum caulis anti- qui

(1) Senebier, *Phys. Vég.* Tom. I. p. 394.

(2) *Ueber das Vermögen der Pflanz.* caet. in actis Th. Pal. Acad. Tom. VI. p. 451 et 455.

(3) Haec dissepimenta telae cellulosa de quibus Medicus loquitur constant ex textu celluloso, cuius cellulae directionem habent transversam, quae vero in reliquo trunco longitudinaliter diriguntur. Revera his dissepimentis ramus a trunco separatur non vero, uti Medicus credebat, illa medullam descent, neque medullam ramum intrare sinunt; quod vero non ita, cum haec tela etiam tamquam medulla est consideranda. H. F. Link, *Crit. Bemerk. und Zusätze, zu Sprengel, Ueber den Bau und Nat. der Gew.* p. 49.

qui prodeunt, originem trahere ex substantia interna succulenta carnosa quae ad axillas corticem perforat.

Du Petit-Thouars (1) gemmarum originem ex nodis vitalibus (2) explicat, scilicet ex puncto vitali plures oriuntur fibrae primordiales et ex his aggregatis oritur gemma.

Tandem in literis a Költero ad Ventenatum missis invenimus observationes de gemmarum origine praestantissimas. Paucis igitur Költeri theoriam h̄c exponere sane summi momenti esse videtur.

Költer scilicet putat Linnaeum non longe a veritate abesse, statuendo in medulla originem gemmarum, neque ejus errorem adeo esse insig- nem, cum facile pro medulla haberri possit organon reproductivum de quo in his litteris mo- net.

Observationibus suis praemittit definitionem gemmarum plantarum phanerogamicarum, scilicet gemmas vocat: omnia organa harum plantarum quae continent rudimenta vel germina caulis, ramulorum, vel foliorum, florum immo radicum.

Fere omnes Botanici credebant, quod folia, in  
quo-

(1) l. l. p. 156.

(2) Turpin, ingeniose hos nodos vitales cum gangliis nervorum animalium simplicium comparat. *Mém. du Mus. d'Hist. Nat.* Tom. V. p. 434.

quorum axillis gemmae corticem perforant, ad terminum vitae ad statum ligneum accedere, actione radiorum solis atque aëris quodque ita lympham adscendentem non amplius admittunt. Putant fluidam manere et accumulari ad basin foliorum et exinde formari cambium quod ibi nodositatem (*le bracelet*) format. Praeterea asserunt hocce cambium producere nova vasa, quae, quum obtemperant impulsioni quam quotidie a lympha adscendente accipiunt, versus corticis superficiem elongantur illunque, perforare conantur atque ita gemmae originem exhibent. Contra hanc hypothesin monet, revera dari gemmas quae corticem non perforant in axillis foliorum, et oculum sive gemmam jam prodire cum folia adhuc optime vigent. Audiamus ipsius observationes. — In plantis dicotyledonibus videamus quod corpus fere semper molle, herbaceum et viride ex ligno prodiens intret gemmam vel floriferam vel foliiferam et quod hoc corpus revera centrum gemmae efficiat. Idem observamus quando lignum rami qui gemmam gerit jam ex diversis stratis est compositum. Hocce corpus herbaceum raro est solitarium, saepius unum vel duo alia ei adjacent ejusdem substantiae. Haecce corpora herbacea lateralia priori sunt minora, nec unquam gemmam floriferam verum foliiferam intrant. Quandoque ad basin et corpori herbaceo maximo proxime simile corpus occurrit, quod una cum maximo eandem gemmam intrat. Omnia haecce cor-

corpora herbacea separatim nascuntur in tubo medullari (*étui medullaire*) et nunquam in cortice, libro, vel alburno neque in stratis ligneis. Sunt revera productiones fasciculorum vasorum tubi medullaris. Haecce vasa sunt punctata (*vaisseaux poreux*, Mirb.) vasa simplicia, vasa spiralia, et vasa lineata. (*Fausses-trachées* Mirb.). Haecce corpora herbacea cum lignum transeunt, non semper directionem horizontalem tenent neque in omnibus plantis angulum rectum cum tubo medullari efficiunt.

Forma differt quoad speciem plantarum, aetatem rami, locum quem occupant et angulum quem cum tubo medullari faciunt ita ut a forma linearis in rotundam abeant. Loco quo haecce corpora herbacea lignum transeunt, fibrae ligneae a se invicem separantur illisque transitum concedunt, quamvis aliquomodo illa premant. Haec secessio tuborum et fibrarum lignearum manifestior est in stratis tubo medullari adjacentibus quam in illis quae cortici magis approximata sunt.

Horum corporum crassities diversa est, pro diversis plantarum speciebus, minora sunt atque minus cylindrica in ligno compacto et duro. Non semper viridea manent, cum, si in lignum vertantur hunc colorem amittunt. Easdem productiones invenimus in plantis herbaceis cum caule ramoso uti in caule adulto *Brassicace*. Ex his concludendum videtur organon reproductivum gemmarum plantarum

rum dicotyledonearum revera esse solum *tubum*, *qui medullam continet*. Idem est in monocotyledoneis herbaceis quarum internodia tubos vacuos formant. Natura ad ramos producendos his plantis genicula concessit, quorum structura fere convenit cum structura caulinum plantarum, quarum canalis medullam continet.

Sententiam, quod tubus medullaris sit unicum organon ex quo gemmae et rami oriuntur, confirmatam invenit observationibus quas instituit de insertione ramorum adulorum in truncis prorsus exsiccati. In ramis adultis productiones non amplius sunt herbaceae, sed lignosae redditae, uti etiam laterales quae exsiccate sunt. Sectio perpendicularis trunci ramosi docet tubum medullarem rami semper oriri ex tubo medullari trunci; ramum nunquam in trunco conum inversum formare, uti nonnulli putant (1), atque ramum arboris nunquam comparari posse cum planta, cuius radices sunt in solo ligneo. Incrementum in longitudinem gemmarum et ramorum adscensui tuborum libri adscripserunt. Si vero ramulus cortice suo orbetur v. c. in *Populo* videmus alburnum nunquam hucusque produci. Pars superior rami et gemmae formata est medulla, tubo medullari et cortice. Ex hac observatione concludit incrementum truncorum et ramificationum unice dependentem.

(1) Du Hamel, I. l. T. I. p. 94.

pendere ab elongatione vasorum canalis medullaris. Alburnum, cuius tubi directionem rectam habent in parte superiore rami, se ostendit sub forma fibrarum separatarum quae per superficiem canalis medullaris disperguntur.

Haec observatio explicat, quare strata partis superioris rami numero minora sunt quam strata baseos et quare haec ultima etiam minore numero occurunt quam strata trunci (1). Denique confirmat quae de origine gemmarum sunt dicta; si enim gemmam rami cujuscunque arboris observemus manifestum erit, canalem medullarem unice hujus organi intima componere.

Variae exstant hypotheses de nutritione gemmarum durante hyeme, de qua h. l. verbo monere nobis non inepte videmur. — Praecipua ex his opinionibus est sequens: scil. compararunt intima gemmae cum seminum embryone atque dixerunt gemmam aequa squamis quam semina cotyledonibus nutriri. Hanc nutritionem per squamas saepe valde aridas plurimi negant, inter quos Köler qui gemmam nutriri statuit succo productionibus canalis medullaris ei exhibito; nam lymphae motus in arbore non prius cessat, quam frigus sit valde intensem, atque tum gemmae nutrimento non indigent. Forsan ideo productiones canalis me-

(1) Du Hamel, I. I. T. II. pag. 53 et N. v. Esenb., Handb., T. I. pag. 480.

medullaris per plura strata lignea transeunt, ut hinc certus redderetur lymphae aditus ad gemmas.

Tandem monet Köller bene distinguendum esse inter productiones medullares (*prolongemens medullaires*, Daubenton), atque productiones canalis medullaris (*prolongemens de l'étui*, Köller) (1).

Secundum Nees v. Esenbeck (2), gemmae fundamentum est *nodus* qui in veris plantis gemmiferis oritur ex mixtione formationum elementarium corporis vegetabilis s. cellularum et vasorum. Vera gemma oritur ex linea terminali libri atque corticis (alburno) et tubis medullaris non uti putat Mirbel (3) in gemma producitur, verum gemmam novum sibi format tubum medullare. Link e. ligno solo nullibi gemmam oriri dicit, sed in gemmarum generatione praecipuam tam medullae quam corticis functionem positam videri (4).

Denique Clar. Sprengel (5), etiam accuratissime gemmarum originem descriptsse videtur. Sequentia notatu dignissima addamus. — Ubi novae gemmae oriuntur, conspicitur intima coagmentatio

(1) I. l. pag. 476. et J. A. Uilkens, Redey.

(2) N. v. Esenb. I. l. p. 479. et J. A. Uilkens, Redey. 4de D. p. 247.

(3) *Physiol. Vég.*, T. I. pag. 125.

(4) Link, Phil. Bot. pag. 172.

(5) I. l. pag. 476.

fibrarum alburni et cellularum medullarium atque corticalium quam septorum medullarium nomine insignivit Medicus. Vasa alburni spiralia et scalaria iterum abeunt in corpuscula vermiformia; intertexta granulis et globulis, rudimentis cellularum.

Ex his tuberculis oriuntur gemmae. Hinc diversi modo non tantum fibrae ligneae flectuntur, verum etiam cellulæ textus cellulosi, quae semper lateraliter diriguntur ad illum locum ubi gemma prodit (1). Hinc etiam explicatur quare monocotyledoneae plerumque gemmis sunt destitutae, cum enim in illis fasciculi vasorum spiralium et scalarium parallele adscendant atque uniformi tela cellulari sint separati.

Non vero illis gemmarum formatio prorsus est denegata, cum multae inveniantur Gramineae quae ramis gaudent, uti *Panicum clandestinum*, *Agrostis mexicana* aliaque, ex quibus Turpin (2), concludit Gramineas, esse plantas a natura destinatas ad ramulos emittendos et affirmat, in climate vegetationi aptissima, uti in regionibus humidis et calidis Gramineae plurimae ramulos emittere et aliquando in plantas excelsas procrescere, uti *Panicum clandestinum*. Quod etiam annotavit Du Pe-

(1) Link, *Krit. Bemerk.*, I. I. pag. 49.

(2) *Sur l'Infloresc. des Graminées et Cyperac.*, I. I. T. V. p. 444.

Petit Thouars, qui praeterea in axillis foliorum monocotyledonearum, uti in *Dracaena* gemmas statuit latentes quae faventibus conditionibus evolvi possunt. (1)

§. 28.

*De Formatione gemmarum.*

Jam pertractata est gemmarum origo. Pergimus ad earundem formationem proponendam, qua tamen in causa succincte item quaedam monebimus de formatione gemmarum inferarum, quandoquidem haec optime inserviant ad ulteriorem argumenti nostri explicationem.

Omnis apex plantae est gemma activa (*ein lebendes, treibendes Aug, Gmelin*), qua axis plantae producitur atque partes periphericae formantur, quae in omnibus plantis foliis praeditis initio sistunt folia, in illis quae foliis carent sunt organa foliis analoga. Folium ipsum elongatione sua nil novi producit et cum induratione tandem evolvi, atque vegetari non amplius possit, ita succorum motus sensim in illo minuitur donec tandem prorsus desinat. Folium non amplius nutriri potest, tabescit et ut organon mortuum decidit. Si haec

om-

(1) Du Petit Thouars, *Essais sur la Végét.*, pag. 145. et De C. Organogr. *Vég.* T. I. pag. 220 et 235.

omnia nunc eodem tempore accidunt, quo succorum motus atque vegetatio cessant, tum cum lapsu et morte foliorum vita plantae, quae est annua simul finitur. Si vero, quum folia procererē desinunt, succorum motus pergit, hi succi aliam viam sibi parare debent. Horum succorum pars formationi florū et fructuum inservit, sed hi partim omnes succos recipere nequeunt, partim in multis plantis simul cum foliorum morte fructuum formatio jam est peracta; decidunt et hoc loco etiam vegetatio cessat. Ex his succis nunc oriuntur gemmae.

In plantis annuis uti in *Leucoio* sequentia observantur. Postquam plantae et praecipue earum folia certum incrementum acquisivere, in foliorum axillis nova oritur columnā, quae mediae simillima est. Oris hujus columnae praecipue actioni lucis atque parciori nutrimento debetur, quibus citius indurescunt folia, neque succos ita facile admittunt. Si nunc hi apices (gemmae) orti sunt, saepe quatales manent, quod in annuis plantis saepius observatur. Si vero post eorum ortum abundant succi, tunc producuntur atque folia proferunt. Hinc ramificatio plantarum annuarum. Causa cur hi rami in foliorum axillis formantur, partim in eo est quaerenda, quod folium ipsum jam aperturam latralem produxerit, tum, in his induratis locis succi corticem penetrare, non amplius valerent, si prius apertura non facta fuisset. Partim etiam vitalitas

folii ipsius adhuc morum formationem suum con-  
ferre videtur. Ex aere enim et ab aqua multum nutrimentum  
suscepit, siquid non solum i sui ipsius nutritioni  
verum etiam i totius plantae adhibetur. Folium  
hoc susceptum nutrimentum motu succorum des-  
cendente per totam plantam distribuere debet, et  
ille motus succorum descendens in formatis foliis  
valde insignis videtur eo tempore, quo humus mi-  
nus est humidus. Itaque ille motus descendens  
cum adscendente motu in axilla folii convenire  
videtur, atque haec causa sit cur ibi stagnatio ori-  
tur quarumi formantur. In plantis perennibus gémmarum forma-  
tio revera iisdem fundamentis inititur, verum harum evolutio-  
lutionis modus plures praecipuas modificationes  
admittit.

In plantis perennibus, quarum herba quotannis  
moritur, nonnunquam in foliorum axillis gemmae  
formantur, quae eodem anno item moriuntur, sed  
praecipua tamen formatio caule perficitur ita ut  
ad ejus basin una pluresve gemmae fermentur,  
quae nomine turionum, bulborum et tuberum ve-  
niunt.

In turionibus atque bulbis gémma formatur, quae  
organis foliis analogia est praedita, quae apicem  
gemmae circumdant, ita tamen ut in turionibus haec  
organia serius supra terram evolvantur, in bul-  
bis vero maxima pars horum pars sub terra remaneat,  
illorū

dummodo interiora supra terram procrescant atque ibi imperfecta folia evolvuntur.

In tuberibus contra gemma substantia tuberis obtegitur, atque tantum durante germinatione folia format.

Turiones, bulbi atque tubera sunt gemmae cryptobiotae, cum per longum tempus sub terra remaneant, antequam vegetatio in illis obtineat. Si illa vero procedat, apex vegetans supra terram protruditur atque fit gemma activa. Hac quiete aliquomodo cum seminibus conveniunt. Ut in plantis annuis abscissione gemmae terminalis evolutione lateralium promovetur, sic etiam in perennibus observatur, ita ut hinc saepe gemmae oriantur, quae secundum vegetationis leges sequenti anno prodiissent. Plantae vero vis vegetativa hac laesione atque inde proveniente evolutione gemmarum lateralium valde debilitatur, partim quia planta certo temporis intervalllo certum tantum numerum ramorum producere potest, partim quia illi rami serius provenientes bene formatas gemmas pro anno sequente producere nequeunt. Haec phaenomena praecipue in *Asparago* observari possunt.

In plantis vero perennibus, quarum herba etiam perennis est, formatio gemmarum vulgo in foliorum axillis obtinet, ex quibus vero excipi debent *Palmae*, *Bromelia*, *Tucca*, *Aloe*, *Stapelia*. In *Palmis* modo adest gemma terminalis, quae tam diu nova folia profert, donec florum formatio suc-

cedat. In aliis laterales quidem rami producuntur, sed hi partim tantum ad trunci latera, partim ad ejus basin oriuntur, non vero gemmae verae formantur. Sic etiam in omnibus plantis, quae foliis sunt destitutae, gemmae deficiunt, uti in *Cacto*, atque ita dicti rami laterales sunt tantum puncta vegetationis. Tandem in arboribus acerosis aequem minus in axillis foliorum inveniuntur gemmae.

In reliquis vero plantis perennibus semper in axillis foliorum formatur gemma. Harum gemmarum tamdiu nullum vestigium invenitur, donec folium tertiam sui incrementi partem acquisiverit. Tum vero se produnt forma noduli conici in quo cito formationem ex squamis imbricatis observare licet. Plenaria vero formatio tantum succedit, si folii vegetatio omnino destiterit. Videlicet harum gemmarum formationem a foliis pendere ex eo, quod, si intempestive folium abscinditur, nulla gemmarum formatio obtineat. Si vero folium serius abscinditur oritur bene formata gemma.

In nonnullis plantis perennibus harum gemmarum pars eodem anno evolvitur, quo formari coepit, uti in annuis plantis, atque hinc ramificatio adhuc eodem anno procedit. Hoc vero non cum omnibus gemmis obtinet, tantum cum primum provenientibus atque in junioribus plantis, in quibus succorum motus validus observatur. In plurimis tamen plantis perennibus hae gemmae tan-

tum sequenti anno ramos proferunt. Copiosiore vero nutrimento aliisque causis accidentalibus, insectis, gelo aliisque, horum ramorum proventus eodem anno nonnunquam observatur, uti saepe in cultis arboribus frugiferis. Gemmae itaque quae eodem anno non evolvuntur, atque ita gemmae *cryptobiotae* vocari possunt, plantam sequentis anni referunt, uti embryones turionum, bulborum atque tuberum. Quo melius folia efformata sunt eo quoque melius gemmae; et tum demum earum formatio absoluta consideranda est, si folium deperire incipit.

In plantis perennibus semperfurentibus uti *Lau-ro*, *Citro* aliisque, quoad gemmarum formationem, aliud discriminem non percipitur, nisi quod, quo diutius folium perstet, eo longius quoque requiratur temporis intervallum ad gemmam formandam.

Gemmae plantarum perennium non tamen iisdem qualitatibus gaudent, verum praeter efformationis atque perfectionis gradum, quaedam praecipua discrimina in illis observantur. In nonnullis plantis parum differunt, magis minusve efformatae sunt, neque durante statu somnolento, neque vere sequenti insigne discriminem in illis observari potest, uti in *Vite*. Hae vero omnes in gemmas activas transformari possunt, ita tamen ut illae, quae omnium minus sunt efformatae, etiam anno sequenti *cryptobiotae* maneant et tunc modo activae reddi possunt, si aliae gemmae insectis, frigore aliis-

ve causis nocentibus in evolutione sua cohiben-  
tur.

Taliū gemmarum cryptobiotarū numerus pen-  
det a gradu vegetationis anni elapsi, quae quidem  
multas gemmas producere potest, si vero nō  
vegetatio minus viget frigore, siccitate aliisque  
causis, tunc multæ gemmae cryptobiotaæ etiam  
manent, atque sub inversis conditionib⁹ plurimæ  
etiam evolvuntur. Ad basin vero omnis ramuli  
plurimæ occurunt imperfectissimæ gemmae, quæ  
foliis imperfectioribus sunt formatae atque etiam  
sub solitis conditionib⁹ cryptobiotaæ manent.

Valde singulare phaenomenon est quod gemmae  
cryptobiotaæ per plures annos se evolvendi facul-  
tatem non amittunt. Si modo copiosius accedit  
nutrimentum, plantæ facile gemmas cryptobiotas in  
activas mutare possunt. Ubiunque tales gemmae  
cryptobiotaæ adsunt, vegetationi alia via patet, qua  
utitur si succorum motus solitam viam relinquere  
cogatur. Pro diversis tamen vegetabilibus differt  
hoc phaenomenon. In *Vite* e. g. gemma crypto-  
biota facillime in activam mutatur, in arboribus  
frugiferis difficilius procedit, in aliis rarissime.  
Universe, quo seniores gemmae cryptobiotaæ éva-  
dunt eo difficilius in activas mutantur (1).

(1) Cf. F. G. Gmelin, *Ueber Metamorph. der Gewächse in Naturwissensch. Abb.*, 1er Band.

## §. 29.

*De abortu gemmarum.*

**Arbor**, vel planta herbacea constat ex innumeris organis vivis, insertis trunko qui accipit certam quandam quantitatem lymphae nondum elaboratae. Quodvis horum organorum hujus lymphae partem absorbere conatur actione vitali. Illa autem organa, quae positione sua luminis atque caloris actione magis efficiuntur, magis activa redundunt et sibi majorem conciliant partem lymphae in trunko congestae. Hac majore activitate vicina organa lympha privantur, ita ut haec debilia maneant, immo quandoque pereant. Tali modo *abortus accidentalis* oritur; Illa organorum activorum, quae positione sua in matre planta, quoad directionem naturalem succorum, aptiorem occupant locum, majus attingere possunt incrementum, atque ita in aliis *abortum praedispositum* efficere valent. Haec duae species *abortus* frequenter occurunt, atque exempla habemus manifestissima in gemmis arborum.

Quodvis folium rami in axilla sua ab origine inde gemmac rudimentum continet. Quandiu folium bene viget, sibi lympham conciliat, neque gemma ullius fere incrementi capax est. Si folium vero deperire incipit, quod plerumque mense Augusti

ac-

accidit, minore energia lymphan absorbet, atque tum gemma manifeste increscere incipit. Illa vero causa esse videtur cur incrementum impediatur. Si enim mense Maji vel Junii arbores foliis suis priventur, insectis, grandine aliisve, immediate gemmae latentes in axillis suis evolvuntur, quod saepe in arboribus obtinere videmus, praecipue si superaccedat tempestas humida atque calida. Ita videmus folii activitatem vulgo gemmarum evolutionem impedire, sic earum plurimae, vulgo inferiores evolvi nequeunt, atque abortum patiuntur. Analoga phaenomena in gemmis superioribus observamus, quae semper majus acquirunt incrementum sive positione sua in ligno magis herbaceo, sive continua tensione lymphae adscendentis versus superiora ramorum. Nunc *vel* gemma terminalis major fit, lympham attrahit vicinasque gemmas debilitat, quod in plurimis coniferis videre licet, *vel* gemmae vicinae, oppositae si folia sunt opposita, et solitariae si folia alternant, majus incrementum adipiscuntur et tum gemma terminalis aboritur atque decidit, ramusque continuatur vel bifurcatione, si duae gemmae oppositae evolvuntur *vel* simpliciter, si gemma lateralis procrescit. Ille abortus tamen non semper ita regulariter procedit, sed aliis nocivis opportunitatibus plurimae saepe valde irregulari modo aboriuntur, unde explicatur quare arbores fere semper ramos habent

ad-

admodum sparsos, quamvis primitive ordine regulari dispositi fuissent (1).

Istiusmodi abortum nunc ipsi procurare possumus, ita ut, deprimendo gemmas axillares, terminalium evolutionem sollicitemus, atque gemmarum floriferarum suppressione, foliiferarum proventus promoveatur et contra. Ars arbores secandi (*la taille, der Schnitt,*) huic theoriae prorsus innititur (2).

### §. 30.

#### *De vegetatione gemmarum.*

Incipit cum earum prima formatione quae plerumque simul cum formatione folii obtinet. Non uno momento nascitur gemma verum alma Natura jam dudum illi nutrimentum suppeditat et continuo suum confert ad incrementum hujus germinis pretiosi. A formatione inde quietis periodum percurrit in qua, quoad externum habitum, parum mutatur. Hocce otium in plantis herbaceis atque in illis regionum calidiarum breve deprehenditur, immo in ultimis evolutio continuo progredi videtur. Contra, gemmae verorum truncorum sine discrimine hacce quiete fruuntur, quae in illis cum

per-

(1) *De C. Organ. Vig.* Tom. II. p. 218.

(2) *Idem Theor. Elém.* p. 93.

perfectis gemmis tectis, cum phaenomenis formatio-  
nis foliorum vicariat. Si gemmae nempe vegeta-  
tio latens durante vere et aestate terminum suum  
attigerit, autumno magis magisque intumescere in-  
cipit nodus, ex quo originem traxit, ipsa aliquo-  
modo procrescit et hinc causa sit agens in foliorum  
lapsum (1). Ab hac periodo ad ver usque etiam  
gemmae vegetatio extensiva lento gradu procedit,  
sed post aliquot menses jam manifestissima redditur  
et vere, sive lente sive citius accedat, gemmae  
plerarumque arborum ad effoliationem sunt dispo-  
sitae. In hac tamen re processus vitalis agere ni-  
mirum videtur, cum calorem vernalē valde di-  
versis temporibus gemmas in folia explanare videa-  
mus.

Hucusqne vita gemmae qua talis extenditur. In  
nostris regionibus annua deprehenditur, quod tem-  
poris spatium tamquam norma est considerandum  
secundum quam gemmarum evolutiones tardiores  
vel celeriores determinari possunt. Si itaque an-  
num curriculum ad terminum fuerit perductum,  
gemma procrescit atque explicatur. Quae gem-  
marum manifesta apertio dicitur *frondescentia*, *effo-*  
*liatio* (*bourgeonnement*, Mirb. et De C.). Haec  
gemmae apertio efficitur elongatione columnae,

(1) Non unica nec praecipua causa est, cum ante aliquot annos Cl. G. Vrolik, in diss. *de Defoliatione arb.*, optime monstraverit, causam defoliationis haegere in vi vitali exhausta.

qua squamæ, si adsunt, a se invicem divelluntur, basi solvuntur atque decidunt. Similis productis internodiis, nodi columnæ a se invicem dimoventur, foliola lucis actione explicantur, flores proveniunt, atque gemma in ramulum mutatur.

Caeterum, quoad vegetationem, evolutio gemmæ est vel progressiva vel regressiva.  
Progressiva dicitur evolutio, si gemma, sine manifesta elongatione statim in flores evolvitur. Hac pertinent gemmae foliiferae quae cum vel sine foliis flores proferunt. Plerumque jam in antecessum ex minore incremento ramuli gemmiferi florum atque fructuum formatio determinari potest. Tales ramuli, qui ab hortulanis bursæ (*bourses*) (1) vocantur anno primo vel secundo fasciculum foliorum proferunt coarctatum. Parum elongantur, versus apicem quodammodo incrassantur (2) atque nodosi et rugosi evadunt, tandemque cum perfectum incrementum acquisivere, copiosis floribus basin exhibent. Ars arbores secandi atque ars insertionis vel inoculationis, ex horum ramulorum cognitione, multa utilia acquirere potest (3). Contra tales ramuli qui forma gemmarum aliisque characteribus

(1) A. du Hamel tamquam synonima adhibentur *bouton*, *bourse*, *oeil*, *oculus*, *gemma*.

(2) Ex hac forma nomen bursarum illis fuit impositum. Vid. Rosier, *Cours compl. d'Agric.* Tom. II. p. 422.

(3) Idem, I. I.

se folia continere declarant, sicque typum continent trunci, dicuntur ramuli foliiferi (*branches à bois*) et tamquam fundamenta futurarum bursarum considerari atque hunc in finem secari solent.

Deinde saepe ex trunco antiquo vel ex ramulis annosioribus prodeunt novae gemmae, quae in ramulos procrescunt. Hi ramuli vero tantum temporis spatium requirunt, antequam flores et fructus proferre possunt, ut ob trunci vel ramuli senectutem nunquam perfectum incrementum acquirant, vel saltem imperfectos flores atque fructus proferant. Hi ramuli a Gallo - Francis *branches gourmandes, chiffonnes*, a nostratis *Waterloten* dicuntur. Arbores exhausti atque enervant hinc ab hortulanis absinduntur.

Cum ramis ita dictis (*branches gourmandes*) gemma ad regressivam metamorphosin accedit. Hic autem producitur gemma quae non in folia evolvitur, quae scilicet spina dicitur, vel quae ad maximum, uti in *Ononi*, *Ulice* aliisve, solummodo versus basin folia vel flores profert, versus apicem tamen columnam suam nudam subulatam pungentem in lucem profert (1). Spina est mucro durus ex ligno protrusus (2); etiam secundum R i-

c h a r -

(1) Spina in eo a gemma differt, quod gemma ex intimo ligno medullae proximo oriatur, spina vero ex strato extero ligneo minus fertili. Spina tamquam gemmae mola est consideranda. *Grew, Anat. des Plant.* p. 33.

(2) *Linn. Phil. Bot.* p. 90.

chard (1) spinae sunt partes fortes, acutae, quae ex intimo plantae textu oriuntur, dum aculei solum ab externis partibus i. e. ex epidermide plantae prodirent. Sicque universe ab omnibus fere auctoribus discrimen spinam inter et aculeum ponitur in eo, quod spina ex ligno, aculeus vero ex cortice oriatur.

De Candolle vero has definitiones multis premi difficultatibus statuit, cum haec distinctio nullius sit pretii in plantis monocotyledoneis in quibus corticem inter et lignum minime distingui potest (2).

Quamvis plurimi auctores spinas tamquam degenerationes considerent aliarum partium plantarum (3), inveniuntur tamen, inter quos Mirbel, qui illas pro organis distinctis habuerunt; et revera hae degenerationes causas valde obscuras agnoscunt. Experientia docet ramos quarundam arborum si in humo sterili procrescant in spinas mutari et contra si ex hoc sterili humo in fertiliorem transferantur, illa iterum in ramos converti. Facile quidem intelligitur, quod si maximus numerus gemmarum positarum in axillis arborum in loco sterili crescentium, patiatur primam evolu-

tio-

(1) I. I. Part. I. p. 255.

(2) De C. Organog. Vieg. Tom. II. p 177.

(3) Bonnet, Medicus et Sprengel, spinam plerumque tamquam degeneratum ramulum considerant.

tionem, lymphae quantitas non aderit sufficiens omnium harum gemmarum nutritioni; illae tantum quae optimum occupant locum i. e. quae sunt vel superiores, vel illae quae in parte maxime herbacea caulis inveniuntur, in veros ramos procrescere valent, dum aliae cito procrescere desinunt atque breves manent. Undenam vero illae simul duriores sunt? Unde provenit nutrimentum quod corpus ligneum indurescit, dum alias corpus ligneum indurescere videtur nutrimento quod folia elaborant? Harum quaestionum solutio adhuc in votis habetur (1).

Quidquid sit, omnes plantarum partes, petioli, folia, stipulae, pedunculi, petala, sepala alias, solis exceptis radicibus atque seminibus, in spinas mutari possunt, quod phaenomenon ex Cандолли sententia confirmat identitatem originis horum organorum (2). Spinae ex veris gemmis ortae *Spinae rameae*, *spinae caulinae*, *caulinares* vel ad truncum, vel ad ramos inveniuntur. *Spinae terminales* dicuntur si in apice ramulorum occurunt, uti in *Pruno spinosa*. Spinae laterales plerumque ex axillis foliorum proveniunt et *Spinae axillares* audiunt e. g. in *Citro medica*. Si supra folia proveniant, *supraaxillares* uti in *Gleditschia*; *infraaxillares* si infra folia vel ramos apparent, uti in *Ribe*.

(1) De C. Phys. Vég. T. II. p. 774.

(2) Idem Org. Vég. T. II. p. 185.

*Solitariae* sunt in *Gleditschia*; *fasciculatae* in multis *Cacti* speciebus. *Simplices* occurruunt in *Pruno*, in *Cacto*, al. *Ramosae* in *Gleditschia triacantho*.

Si ad originem dividuntur tunc numerus in sensum venit, et bi - tri - multipartiae audiunt, sed haec formae uti omnes quae sunt infra folia atque flores vel in foliis, petiolis, calice, fructibus aliis - ve alias sunt originis neque gemmam ut fundamentum habere possunt.

Quoad formam spinae sunt aciculates, uncinatae et sic porro. Superficies spinarum vulgo laevis est, colorata atque splendens.

In simili denique metamorphoseos speciem gemmarum offendimus in multis speciebus *Malpighiae* atque *Erythroxyli* in quarum foliorum axillis simplex superest squamula ut gemmae vestigium.

### §. 31.

#### *De insertione.*

Ultimo loco in exponendo quod ad gemmati-  
nem pertinet, pauca quaedam de insertione sumus  
prolaturi. Forte quis animadvertisat haec ad nos-  
trum argumentum minime pertinere. Et sane pri-  
mo quidem intuitu a se invicem ea aliena viden-  
tur, verum non ita si res interius perspiciatur.  
Etenim et insertione illud arte peragitur, quod per

gem-

gemma natura obtinet, ut novus in truncō ramus procrescat, et vero etiam est insertionis species, quae per gemmas proficitur. Itaque non immerito putamus vix argumentum dari, quod pulcherrimum illum ac prorsus naturalem Oeconomiam ruralem inter et Botanicen nexus clarius demonstrat.

Missis autem quae de talea, maleolo aut circumpositione in medium proferri possent, videamus paullo plenius de ipsa inoculatione.

Nomine coalitionis, adhaerentiae (*Soudure*, D e C.) intelligitur ille processus, quo quaecunque pars cellularis plantae vicinae parti jungitur, ita ut unum efficiant corpus, communi vinculo vigens. Omnia fere organa vegetabilium hacce facultate aliquomodo gaudere videntur, quae essentialiter consistit in unione textus cellulosi. Speciatim Insertio, Inoculatio dicitur illa coalitio, in qua liber et praecipue alburnum duorum vegetabilium sibi invicem junguntur, ita ut alterum horum quod vocatur *Insertio* (*la greffe*) recipere possit lympham alterius, quod vocatur subjectum (*le Sujet*) et ita procrescere in alterum vegetable transplantatum (1).

Ab antiquissimis inde temporibus hocce phænomenon jam observarunt agri cultores, ita ut a Phoeniciis atque Romanis jam cognita fuerit inser-

(1) Mirb. *Elem. de Phys. Vég.* Tom. I. p. 132.

tio. Recentioribus vero temporibus huic utilissimae operationi maximam operam impendere coeperunt, ita ut haec oeconomiae pars ad summum gradum fere pervenisse videatur imprimis operibus praestantissimis Thouini et Tschudii.

Prima conditio essentialis coalitionis est, ut coincidat stratum externum alburni subjecti vel ejus cambii cum strato externo vel cum cambio insertionis, vel coitus extremi radii medullaris cum basi gemmae.

Quaenam etiam sit sententiarum diversitas de organo quod coalitioni inserviat, tamen omnes in eo convenire videntur, quod omnis contextus inter se coalescere nequeat, verum quod requiratur analogia anatomica atque physiologica. Ita experientia docuit, plantas ejusdem familiae naturalis, quaeque itaque analoga organisatione gaudent, unicas esse, quae sibi inseri possunt. Neque omnes plantae ejusdem familiae hac facultate gaudent, quia non semper observatur in illis analogia physiologica, sed nunquam in diversis familiis insertio procedit, nisi forte excipi debeat singulare *Viscum*, quod si ita, tum sane insertio prorsus sui generis in hoc casu obtineret. Non tantem sufficit plantas esse ejusdem familiae, sed praeterea analogia quaedam physiologica adesse oportet. Haecce analogia imprimis valet, quoad vegetationis periodum, magnitudinem atque consistentiam variarum arborum. — Natura succorum etiam quodammodo

in insertionem agere videtur, scilicet unquam plantae succo lactescente praeditae in se invicem insertae observatae sunt. Melius, quamvis etiam satis difficile, insertio procedere videtur in arboribus resinosis. Numerus methodorum quibus insertionis fit, sane ingens deprehenditur. Thouin centum et quod excurrit descripts. Haec tamen enumeratio, quamvis in praxi utilissime possit, sensu tamen physiologico minoris momenti videtur, ita ut in nostro casu tantum praecipuas hujus auctoris divisiones adnotasse sufficiantur. Venit igitur:

**1º. Insertio per approximationem** (greffe par approche; Thouin). Haec insertion obtinet, si duos rami vel duas arbores junguntur, ita tamen ut utriusque radices terram teneant. Ita jungantur ut ad punctum attactus utrique corticis frustulum desinatur. Brevi alburnum et liber ope cambii intime coëunt, ita ut alter ramoru vel arborum sub junctura abscindi possit. Haecce insertionis species unica est quae quandoque sponte in natura occurrit.

**2º. Insertio per surcicum ligneum** (greffe par scions ligneux, Thouin). Haec fit si primo vere vel autumno summitas junioris ramuli gemmis muniti summitati truncatae subjecti imponatur, ita ut utriusque alburnum et liber perfecte coincident.

**3º. Insertio per gemmas** (greffe par bourgeons, Thou-

**T**houin).<sup>scd</sup> Sumitur frustulum corticis una pluribusve gemmis praeditum atque accurate imponitur eo loco subjecti ubi simile frustulum demum fuerit. ~~mutatim~~ ~~et~~ ~~ad~~ ~~hunc~~ ~~modum~~

**T**houin has tres insertionis species comparat cum vulgaribus multiplicationis modis, scilicet sequentia comparationis puncta profert: insertio per approximationem analogi est circumpositionibus, quia ramulus non prius sibi relinquitur quam cum subjecto sit unitus; insertio per surculum convenit cum taleis. **A**bscinditur enim ramulus et apta positione collocatur, ita ut cum subjecto unitus, sibi radices parare possit. Insertio denique per gemmas analogiam cum seminatione demonstrat. Separatur germen a planta genitrice et ita ponitur ut sibi ipsi nutrimentum parare atque incrementum accipere possit. Hae tres insertionis species in omnibus dicotyledoneis lignosis (*exogènes ligneux* De C.) locum habere possunt.

4°. *Insertio partium herbacearum* (*greffe des parties herbacées*). In prioribus tribus insertionis speciebus gemmae nondum apertae sumuntur. In hac vero specie contrarium fit ex methodo Tschudi, qui auctor vegetabilium gemmarum jam evolutarn vel aliarum partium foliacearn insertiōnem multo praestantiorem putat. Hac methodo plantae annuae facillime in se invicem inseruntur. Universe insertio maxime agere potest in naturam vegetabilium, quae huic operationi submittuntur.

Sic

Sic arbores majores vel minores, robustiores vel debiliores insertione reddi queunt. Facultas flores atque fructus proferendi saepe etiam valde eo mutatur (1), ut etiam duratio multarum arborum. Agere etiam videtur in foliationem et florescientiam nonnullarum arborum. Insertione itaque nil fit nisi, ut transferatur in alium ramulum gemma vel surculus, qui in suo ramulo etiam evolutus esset. Haec gemma, loco suo natali forsan inutilis fuisset, ob magnam gemmarum quantitatem praesentem vel aliarum evolutioni nocuisse, vel denique per ipsas debilitata et deperdita fuisset. Insertione nunc in apta positione collocaatur. Ita insertionis utilitas manifestissima, non tantum quia nobis exhibet modum facillimum et saepe unicum augendi numerum specierum vel varietatum utilium, sed praeterea quia offert applicationem maximi momenti ad theoriam classificationum botanicarum (2).

*Warum ich zuletzt am liebsten mit der Natur verkehre, ist, weil sie immer Recht hat, und der Irrthum blosz auf meiner Seite seyn kann.*

von Göthe.

(1) Du Petit Thouars *Essais* etc, p. 40.

(2) Thouin *Monographie des greffes* in *Annal. du Mus. d'Hist. Nat.* Tom. I. aliis.

# I N D E X.

---

INTRODUCTIO. . . . . pag. 3

## P A R S P R I M A.

### DE GEMMIS SIMPLICISSIMIS.

§. 1. *De gemmis simplicissimis generatim consideratis earumque divisione.* . . . pag. 11

## C A P U T P R I M U M.

### DE SPORIS.

§. 2. *De sporis in genere.* . . . . pag. 13

§. 3. *De sporis, in specie consideratis.* — 16

I.	<i>in Equisetaceis.</i>	. . . . .	—	—
II.	— <i>Filicibus.</i>	. . . . .	—	18
III.	— <i>Muscis frondosis.</i>	. . . . .	—	19
IV.	— — <i>hepaticis.</i>	. . . . .	—	22
V.	— <i>Lichenibus.</i>	. . . . .	—	26
VI.	— <i>Confervis</i>	. . . . .	—	27
VII.	— <i>Thalassiophytis.</i>	. . . . .	—	30
VIII.	— <i>Fungis.</i>	. . . . .	—	32

CA-

## C A P U T S E C U N D U M.

## D E B U L B I L L I S.

- §. 4. *De bulbillis generatim consideratis.* pag. 34  
 §. 5. — — — *speciatim spectatis.* . — 48

## P A R S S E C U N D A.

## D E G E M M I S R H I Z O M O R P H I S.

- §. 6. *De gemmarum rhizomorpharum definitione ac divisione.* . . . . . pag. 42

## C A P U T P R I M U M.

## D E T U B E R I B U S.

- §. 7. *De tuberum definitione et divisione.* — 43  
 — 8. *Tuberum interna structura.* . . . . — 47  
 — 9. *Functio tuberum.* . . . . . — 48  
 — 10. *De turione.* . . . . . — 51

## C A P U T S E C U N D U M.

## D E B U L B I S.

- 11. *De bulbis generatim consideratis.* — 53  
 — 12. *De bulborum forma et compositione.* — 56  
 — 13. *De partibus bulbus constituentibus.* — 57  
 I. *De corpore solido et de placenta.* — — —  
 II. *De tunicis s. squamis.* . . . . — 62  
 III. *De gemma s. embryone bulbis contento.* . . . . . — 65  
 §. 14.

§. 14. <i>De bulborum ortu ac propagatione.</i>	pag. 65
— 15. <i>De sobole.</i>	— 67
— 16. <i>De bulborum functione.</i>	— 77
— 17. <i>Comparatio bulborum cum seminibus.</i>	— 78

## P A R S T E R T I A.

## DE GEMMIS STRICTE SIC DICTIS.

§. 18. <i>De gemmis in genere spectatis.</i>	pag. 80
— 19. <i>De situ gemmarum.</i>	— 83
— 20. <i>De gemmarum divisione.</i>	— 87
— 21. <i>De gemmarum compositione.</i>	— 90
— 22. <i>De forma et substantia gemmarum.</i>	— 92
— 23. <i>De singulis partibus gemmas constituentibus.</i>	— 94
I. <i>De Basi gemmae.</i>	— — —
II. <i>De Columna, Axi gemmae.</i>	— — —
III. <i>De Columnae partibus periphericis.</i>	— 95
IV. <i>De squamis.</i>	— — —
— 24. <i>De foliatione.</i>	— 98
— 25. <i>De squamarum divisione.</i>	— 105
— 26. <i>Desquamarum functionibus earumque partium finibus.</i>	— 112
— 27. <i>De origine gemmarum.</i>	— 117
— 28. <i>De formatione gemmarum.</i>	— 128
— 29. <i>De abortu gemmarum.</i>	— 135
— 30. <i>De vegetatione gemmarum.</i>	— 137
— 31. <i>De insertione.</i>	— 143

१६ — विद्युत्तरां विद्युत्तरां विद्युत्तरां १७  
१८ — . . . विद्युत्तरां विद्युत्तरां १९  
१९ — ? विद्युत्तरां विद्युत्तरां २०  
२० — विद्युत्तरां विद्युत्तरां २१

八下第十一章

JANI MATTHIAE LEENDERTZ,

AMSTELODAMENSIS,

MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIOSI

R E S P O N S I O

A D

Q U A E S T I O N E M B O T A N I C A M

A B O R D I N E N O B . M A T H . E T P H I L . N A T .

A C A D E M I A E R H E N O - T R A J E C T I N A E

A°. M D C C C X X X I I .

P R O P O S I T A M :

„Quaeritur: quid Botanici de variis plantarum  
„gemmis atque de gemmatione universa observa-  
„rint, et quid complures eorum, rationibus te-  
„leologicis innixi, hac de re docuerint.”

Q U A E , P A R I T E R A C G E O R G I I B R O E R S , A D  
E A N D E M Q U A E S T I O N E M R E S P O N S I O , P R A E-  
M I O D I G N A J U D I C A T A E S T .

ST. PETERSBURG SANITARY DEPARTMENT  
1890-1891

012510月23日

14

卷之三

## I N T R O D U C T I O.

---

Unum quemque, qui rerum naturam, quantum quidem pro ingenii humani mediocritate et limitibus licet, rite cognoscere desiderat, ad ea, quae suis perlustrare oculis suisque sensibus percipere potest, sedulo attendere oportet, ut non tantum externam rerum speciem compleatur, et usum, cui illae inservire, utilitatisque fructum, quem ferre possint, observet; sed inquirat etiam in fines, quibus singulae res destinatae sint, et indagare conetur, quo modo universe earum indoles, structura et functiones comparatae sint ad certos fines, eosdemque bonos ac utiles obtinendos.

In hisce diligenter tractandis si quis versetur, et in campo hoc latissime patente per partes eundo, phaenomena in regno animali sibi obvia accuratius cognoscere studeat, in omnibus elucescere deprehendet consilium sapientissimum. Si corporis humani v. c. structuram universam specte-

mus, si singula ejus membra eorumque usum consideremus, si ad vivendi, audiendi, loquendi et corpus nutriendi organa, eorumque situm attendamus, si indagemus, qua ratione et quem in finem per omne corpus humanum vehatur sanguis, agnoscendum erit, in fines optimos omnia sapientissime esse composita. Idem dicendum de reliquis in hoc terrarum orbe animalibus, quae quidem homine, egregiis corporis et mentis facultatibus praedito, longe sunt inferiora, sed in quorum forma, instinctu, membris et organis perspicue patet, ad certos fines obtinendos non aliam aptiorem rationem aut modum excogitari posse.

Miram illam sapientiam optimosque fines, qui se produnt in operibus naturae, omnium vero maxime in membris animalium, jam laudarunt Plato in *Timaeo*, Aristoteles in libro *de partibus animalium*. Eadem fuit sententia Stoicorum aliorumque e veteribus Philosophis, quodsi vero hi ita statuebant, quo tempore Anatomia et Physiologia admodum erant imperfectae, quanto magis ita nos sentire et loqui decet, postquam disciplinae illae longe melius fuerint exultae, multaque experimentis, dissectionibus et microscopii ope detecta sint, quae omnem Veterum diligentiam atque industriam fugerant.

Neque in regno tantum animali sed in vegetabili quoque idem consilium, quo ad certos eosdemque optimos fines attingendos omnia sunt disponi-

si-

sita, sese manifesto prodit unicuique, qui in hoc studio operam posuerit et industriam.

Quanta plantarum est multitudo et quanta diversitas! Attamen omnes una alit terra, e qua mirabili artificio omnes alimentum trahunt sibi opportunum. Nemo profecto, qui earum formatiōnem, nutritionēm, incrementū a radīces, truncos, ramos, frondes, flores, fructus paulo attentius consideraverit, negare sustineat, omnia eo loco esse collocata, easque tempore opportuno peragere functiones, quibus fines attingi possint maxime utiles.

Quod universe valet de omni arborum et plantarum genere et de singulis earum partibus, idem quoque dicendum de earum *gemmais*, quae primordia ramorum, foliorum vel florum continent, ea investiunt et ab injuriis externis tuta praestant.

Quum a Nobilissima Facultate disciplinarum Mathematicarum et Physicarum in Academia Rhenotrajectina, Anno ccccxxxii proposita fuit quaestio: „quid Botanici de variis plantarum gemmis, mis atque de gemmatione universa observarint, et quid complures eorum, rationibus teleologis, cis innixi, hac de re docuerint.” Vires licet teneras intendimus, ad responsionem qualemcumque conscribendam.

Divisionem seuti sumus, quam quaestio ipsa quasi indicat, in prima nimurum commentationis parte gemmas et gemmationem universam descripsi-

simus, in secunda, rationes teleologicas in iis observandas demonstravimus. Praeter nonnulla universa de causarum finalium doctrina, quid sit, et quomodo sit utenda, non multa de ea diximus, quia explicatio hujus doctrinae in quaestione non desideratur. Egregie hanc doctrinam illustrarunt J. van der Hoeven, in disputatione, *de causarum finalium doctrina, ejusque in Zoologia usu*, ex sententia Societatis artium et doctrinarum Rheno-Trajectinae, argenteo praemio ornata A°. cīcīccccxxii; nec non C. G. Montyn, Responsio ad quaestionem ab ordine Theologico in Acad. Rheno-Trajectina propositam, quae præmium reportavit A°. cīcīccccxxiii.

Quantum illae rationes ad gemmas sunt applicandæ, atque ab auctoribus sunt demonstratae, tantum etiam in hac disputatione eas enumeravimus.

En igitur, Viri Clarissimi! hanc responsonem, vestris judiciis submissam. — Ut vero quodammodo vobis placeat, neque ulla laude plane indignam judicetis, magis optandum quam sperandum existimamus.

---

CON-

# CONSPECTUS SCRIPTIONIS.

## PARS PRIMA.

SENTENTIAE BOTANICORUM DE VARIIS PLANTARUM GEMMIS ET DE GEMMATIONE UNIVERSA.

### C A P U T . I.

#### DE GEMMIS IN GENERE.

- §. 1. *De gemmis atque diversa earum specie.*
- §. 2. *De differentia gemmas inter et semina.*

### C A P U T . II.

SENTENTIAE BOTANICORUM DE GEMMIS STRICTE DICTIS ET DE GEMMATIONE.

- §. 1. *De gemmis stricte dictis.*
- §. 2. *De ortu et evolutione gemmarum.*
- §. 3. *De gemmarum situ.*
- §. 4. *De gemmarum structura.*
- §. 5. *De complicatione partium intra gemmas.*

C A-

## C A P U T III.

### SENTENTIAE BOTANICORUM DE BULBIS.

- §. 1. *De bulbis in genere.*
- §. 2. *De bulborum structura.*
- §. 3. *Formae variae bulborum.*
- §. 4. *De ortu bulborum.*

## C A P U T IV.

### SENTENTIAE BOTANICORUM DE TUBERIBUS.

- §. 1. *De ortu et structura tuberum.*
- §. 2. *Formae variae tuberum.*

## C A P U T V.

### OBSERVATIONES BOTANICORUM DE BULBILLIS ET TURIONIBUS.

- §. 1. *De bulbillis.*
- §. 2. *De turionibus.*

## P A R S   S E C U N D A.

### RATIONES TELEOLOGICAE IN PLANTARUM GEMMIS OBSERVANDAE.

P A R S

P A R S P R I M A.

SENTENTIAE BOTANICORUM DE VARIIS PLANTARUM GEMMIS ET DE GEMMATIONE UNIVERSA.

C A P U T I.

DE GEMMIS IN GENERE.

---

§. I.

*De gemmis atque diversa earum specie.*

Quemadmodum haec fere est omnium disciplinarum conditio, ut earum cultores nunc ad hanc, nunc ad illam studii partem praecipue attendant, sic etiam cuique facile patebit, ante Caroli Linnaei tempora paucissimos Botanicos fuisse, qui opera sua praestiterunt in gemmis describendis. Quamquam autem Malpighius, Grewius, Rayus aliique fuerint, qui, illius temporis ratione habita, egregie Botanicen tractarunt, tamen speciale quid de gemmis non tradiderunt.

„ Gem.

„ Gemma (haec Malpighii sunt) est velut  
 „ infans custoditus, qui tandem adolescit in ra-  
 „ mum, a quo, quasi ab aperto utero, ova pro-  
 „ ducuntur.” (1) — Fuit sequenti tempore L i n-  
 nae u s qui dixit: „ Gemma est hybernaculum  
 „ caudici adscendentis insidens;” (2) ex qua defi-  
 nitione luculenter apparet, Clar. virum, voce *gem-  
 ma*, eam solummodo plantae partem intellexisse,  
 quae per hyemem, futurae plantae embryonem  
 occultat, priusquam explicetur. Cum hacce sen-  
 tentia, illa Doct. L o e f l i n g ii, summi Lin-  
 nae i discipuli convenit, credit nempe, gemmam  
 illam partem esse plantae, quae radici insidet, et  
 squamis vel foliorum rudimentis, futurae herbae  
 embryonem occultat. In duas species gemmas di-  
 vidi, in gemmas stricte dictas et bulbos; quae  
 nomine gemmae propriæ veniunt, supra terram ra-  
 dici ad surgenti incident, ubi autem carnosae fue-  
 rint atque magnae sub terra latentes, bulbos eas  
 vocat (3). — Posteriori autem tempore fere  
 omnes Botanici, uno eodemque modo gemmas de-  
 scripserunt; gemmae, secundum eos, dicuntur il-  
 lae plantarum partes, quae rudimentum futuri cau-  
 lis ramive continent, in quibus compressione ru-  
 di-

(1) Marc. Malpighii, Anat. Plantarum idea p. 6, opera  
 omnia Edit. Lond A. 1686.

(2) L i n n a e i, Philosophia Botanica. A. 1824, p. 91.

(3) L i n n a e i, Amoenit. Academ., Vol II. p. 185.

dimentorum proclivitas ad evolutionem et propagationem adest, et per quas planta absque praevia foecundatione multiplicatur.

Non autem ab omni tempore, omnes plantarum partes, quae hodie ad gemmarum classem referuntur, inter eas enumerabantur, neque eodem modo Botanici gemmas inter se distinxerunt.

Summus Malpighius nimirum, nec non caeteri Botanici illius temporis, gemmas solummodo radici (mediate aut immediate) adscripserunt. Linnaeus bulbos inter gemmas retulit, Sprengelius tubera, alii turiones et bulbillos gemmis junxerunt. Quidquid autem hac de re sit, simplicissima divisio mihi videtur, quae a Clar. Sprengelio proponitur; singulis igitur capitibus de gemmis stricte dictis, de bulbis et de tuberibus, nobis agendum erit dum turiones atque bulbillos postremo capite prioris hujus commentationis partis pertractabimus.

Priusquam autem ad haec transeamus, liceat nobis quodammodo explicare, quo modo gemmae atque semina inter se differant.

## §. 2.

### *De differentia gemmas inter et semina.*

Quamquam ab antiquioribus distinctio inter semina ac gemmas neglecta, saltem non satis observa-

vata videatur, tamen constabit, ea magnopere inter se differre, quod Linnaeus in suis scriptis egregie observavit. „Gemma,” dicit, „fines, semen initia plantae a climatis duritie defendit. Gemma intra squamas, semen intra tunicas conservat embryones. Gemma est hybernaculum herbae, semen ejus capsula” (1).

Doct. Löfling etiam de hac differentia sequenti fere modo agit: gemmae aequae ac semina rudimentum plantae in se continent, ea autem differentia, quod illud rudimentum in semine intra vesiculam integrum conservatur, quod in gemma non locum habet. Gemmam nihil aliud esse judicat, nisi herbam a defectu vis vegetantis coarctatam, cuius folia exteriora sunt indurata et demum cadunt, quia non explicari possunt. Interiora tamen propriis succis nutriuntur et calore veris evolvuntur. Semina autem considerat veluti plantulas distinctas, proprio humore irrigatas. Gemma igitur est planta continuata, semen omnino nova. Comparat tandem Doct. auctor propagationem plantarum per gemmas cum illa *Polyporum*, per semina autem cum ea animalium, quae ex ovis excluduntur (2).

Doct. Ferber ejusdem est sententiae, gemmam scilicet nihil aliud esse nisi plantam defectu vis ve-

(1) Linnaei, Phil. Bot. p. 407.

(2) Linnaei, Amoen. Acad., Vol. II. p. 185.

vegetantis coäctatam; sententiam Löflingii eo affirmat, quod gemmae non eodem, quo erumpunt, anno evolvantur, sed per totam aestatem et hysmem eodem fere statu remaneant, quia succus nutritius non sufficiat ad eas simulac gemmas, quae praeterito anno emergebant, extendendas. Hoc probat exemplo arborum, quarum frons insectis sit corrosa, atque dein folia proferant e gemmis eodem anno protrusis, quia succus nutritius tunc majori copia ad eas adfluit (1).

Cl. Sprengel accurata comparatione gemmas inter et semina, hanc differentiam nobis magis conspicuam reddit. Secundum hunc Botanicum, gemmae oriuntur actu vegetationis, quae hoc in casu ita augetur, ut limites suos consuetos superet. Semina contra tamquam corpora respicit, quae, saltem in plantis magis perfectis, formantur communi actione partium foecundantium, et quae demonstrant, a se ipsa pendere, quia quam citissime a corpore materno secedant (2).

Maximam autem differentiam gemmas et semina inter esse eo patet, quod gemmae, initio saltem, substantia quadam homogenea consistent, quae partem plantae maternae efficit. In omnibus autem seminibus germen proprium aliis variis partibus circumdatur; in nonnullis albumine, in aliis vitel.

(1) Linnaei. Amoenit. Acad. Vol. VI. p. 382.

(2) Sprengel, Ueber den Bau etc. p. 472.

tello, in omnibus tamen cotyledonibus, et haec partes pariter ac germen ipsum, a planta materna valde differunt. In gemmis contra modo distingue-re possumus, foliorum squamas, quae rudimentum futurae plantae circumdant, et tamquam continua-tiones vel elongationes plantae maternae habendae sunt.

Nonnulli auctores denegarunt, gemmas aequem ac semina primordium radicis continere. Immortalis poëta Germanicus, sagacissimus naturae per-scrutator, von Göthe (1) contrariae fuit senten-tiae, nec non Cel. du Petit Thouars, cuius theoria, de influentia gemmarum in incremento dia-metrico trunci dicotyledonearum, omnino hisce gemmarum radicibus nititur. — Eo quoque diffe-runt, quod semina, quando germinant, plerumque unum vel duo emittunt folia, quae cotyledones dicuntur, et per vegetationis actum in folia semi-nalia mutantur. Cotyledones in gemmis non ad-sunt, neque opus est iis, quia gemmae immediate cum planta materna sunt conjunctae, et tamdiu, quamdiu cum illa cohaereant, satis ea nutriuntur; vel quando ab ea separantur, statim in planta aut terra, cui imponuntur, ope radicum, quas tunc emittunt, sufficientem nutrimenti quantitatem inve-niunt (2).

Sa-

(1) Göthe. *Ueber die Metamorphose der Pflanzen*, p. 70.

(2) Göthe, l. l. p. 70.

Satis demum cognitum est, omnes plantas, quae gemmis, aut bulbis, insertione, inoculatione, etc. gignuntur, perfecte similes esse plantae maternae, et earum proprietates fortuitas, uti colorem florum, gustum fructuum, etc. non mutari, quia novae plantae tamquam continuationes plantae maternae sunt considerandae. Notandum etiam est in propagatione ope gemmarum, plantas hoc modo productas, morbis plantae maternae etiam esse affectas. Semina contra saepissime formas varias producunt, proprietates fortuitae etiam quam maxime differunt, neque iisdem variationibus, virtutibus vel vitiis gaudent plantae (1).

Has differentias tamen solummodo in plantis magis perfectis observare possumus, in plantis enim minus perfectis sese indagationibus vel exactissimis subducunt. Gemmae indubitatae aequae ac semina indubitata inveniuntur, sed terminum, ubi semina, actione duorum sexuum fructificata et a planta materna separata, atque gemmae, e planta protrusae et sine causa perceptibili emissae, sese offerunt, possumus quidem dijudicare sed non demonstrare (2). — In nonnullis plantis quoque vi-

den-

(1) Sprengel, *Anleitung zur Kenntniß der Gewächse*, Vol. I. p. 257. Link, *Elementa Phil. Bot.*, p. 207. De Candolle und Sprengel, *grundzüge der Wissenschaftlichen Pflanzenkunde*, 1820. p. 244.

(2) Göthe, l. l. p. 70.

dentur gemmae in semina et contra , semina in gemmas transire , quod jam Linnaeus et post eum Jacquin , Sprengel , aliique in *Nymphaea Nelumbo* , *Zostera oceanica* , *Coice Lacrima* , *Acere Negundo* , *Rhizophora Mangle* , aliisque plantis observarunt (1).

---

## C A P U T II.

## SENTENTIAE BOTANICORUM DE GEMMIS STRICTE DICTIS ET DE GEMMATIONE.

## §. I.

*De gemmis stricte dictis.*

Quum jam constiterit , quid per gemmas sit intelligendum , et quomodo sint divisae , nunc transcendendum est ad gemmas stricte dictas , quarum ortum , situm , aliaque , ea , qua fieri potest , brevitate et perspicuitate explicare conabimur .

Ray , Pontedera , aliique veterum Botanicorum crediderunt , arbores dividi posse secundum gemmas , in eas nempe , quae gemmis erant praeditae , in

(1) Linnaei , Amoen. Acad. T. VI. p. 381 , Ejusdem Phil. Bot. , p. 350 , et Sprengel , Ueber den Bau , etc p. 475.

in casque, quae illis erant destitutae. Summus Linnaeus etiam putavit, omnes plantas e regionibus tropicis gemmis carere, quia finis gemmarum, futuram plantam adversus frigoris obnoxiam defendere in illis plantis non desideratur. Haec sententia minime accipienda videtur, si consideremus, permultas arbores e regionibus calidioribus gemmas habere, quae tamdiu sub cortice latent, quamdiu folia pristina nondum ceciderint. Accurata contemplatio multorum fruticum, qui in caldariis nostris inveniuntur, quotidie hoc probare potest.

Gemmae propriae in plantis plerisque dicotyledoneis inveniuntur; in monocotyledoneis, familia *Graminearum* excepta, plerumque desunt (1).

Linnaeus septem varias gemmarum species enumerat:

*Deciduas*, quae caulis annuis innascuntur et decidunt, ut radices agant et novam plantam propagent; uti in *Dentaria*, *Ornithogalo*, *Lilio*, *Saxifrago*, *Allio*, *Rumice*, *Bistorta*, *Dioscorea*.

*Foliiferas non floriferas*, quae in caule perenni nascuntur et folia, non flores continent; uti *Alnus*.

*Foliiferas et floriferas distinctas.*

Ex

(1) Du Petit Thouars, *Essais sur la végétation des plantes, considérés dans le développement des borégiens. Ess. IX.*

Ex aliis geminis foliis, ex aliis vero flores masculinos et femineos primumunt. *Populus*, nonnullae *Salicis* species, *Fraxinus*.

*Foliiferas et floriferas feminineas*, quae folia et flores femineos e gemma proferunt; flores vero masculinos numquam intra geminam includunt, quemadmodum in *Corylo*, *Carpino*, *Betula*.

*Foliiferas et floriferas masculinas*. Contraria ratione e gemmis flores masculos cum foliis emittunt; flores autem femineos in cono nudo et gemma destituto ostendunt; ut *Pinus*, *Abies*.

*Foliiferas et floriferas hermaphroditas*, quae folia et flores intra eandem geminam recondunt. Huc plerique arbores pertinent (1).

Cel. du Hamel etiam ad differentiam inter gemmarum species attendit, et nobis duas species in gemmis foliiferis *Pyri*, *Mali*, *Coryli* etc. ostendit. Alterae harum parvae sunt et fasciculum foliorum emittunt, quae saepissime autem, prius quam evolvuntur, in gemmas floriferas mutantur. Alterae vero, quae majores sunt, ramos producunt. Ut exemplum differentiae, quae inter gemmas floriferas est, affert *nucem*, quae ramos emittit e gemma magna, ad rami extremitatem posita, fructus autem e gemmis minoribus, et amena- ta e gemmis vix perceptibilibus. Plantis annuis

gem-

(1) Linnæi, Phil. Bot. p. 85. — Ejusdem Amoen. Acad. T. II. p. 187.

gemmas denegat. Plantae autem, quae radicibus modo sunt perennes, non gemmas in ramis, sed ad radices habent; nullas porro plantas, nisi illae, quae caule et ramis praeditae sunt perennibus, in hisce partibus gemmas habere, contendit Clar. auctor (1).

§. 2.

*De ortu et evolutione gemmarum.*

Aestivo tempore sensim sensimque in foliorum axillis, corpora minutissima formantur, gemmae dicta. Per hyemem observantur in ramulis junioribus, nonnumquam in majoribus, raro autem in arborum truncis: Varia earum forma est secundum varias, quibus insident, arbores. Pedunculo brevissimo hæ gemmae conjunctae sunt cùdā rami tumescentiae, cui praecedenti aestate folium, in cuius axilla gemma erat formata, affixum erat (2).

De modo autem, quo gemmae oriuntur, valde Botanicorum sententiae inter se differunt. Ponteder a nimirum credit, earum rudimenta in ipso signo esse quaerenda, et contextum cellulosum ad ea-

(1) Du Hamel, *Physiol. des arbres*, Livr. II. Chap. I. p. 102—104.

(2) Du Hamel, I. I. T. I. Liv. II. Chap. I. p. 99.

earum formationem nihil conferre. Linnaeus gemmarum ortum medullae adscripsit, cuius sententia hisce fundamentis nititur, quod rami per medium horizontaliter dissecti, repleti sint medulla, quae medulla continuatio est ejusdem trunci, dum ramus ipse quondam ex gemma ortus esset (1).

Doct. du Hamel omnes rami partes ad formationem gemmae contribuere contendit. Alii monent, gemmas e parenchymate, alii e vasis spiralibus provenire. Gemmarum germina posita esse in fibris corticalibus prope parenchyma, ubi vasa et fluida earum evolutioni propria conjunguntur, contendit Doct. Sennebier (2).

Clar. Sprengel hanc scientiae partem difficultiam quoque tractavit; atque docet, nullam gemmam oriri sine compressione telae cellulosa tam corticis, quam medullae, qua causa vasa spiralia et succosa partim a se invicem removentur, partim magis comprimuntur, et nova vasa formantur. Multae flexiones et connexus fibrarum lignearum propterea oriuntur, quae trunco eo in loco majorem praebent soliditatem; tumescens nodosa tunc ad trunci superficiem observatur, qua opus est, ubi gemmae provenire debent; novus canalis medullaris, vasis ligneis et cortice

cir-

(1) Linnaei, Amoen. Acad. Vol. II. p. 192.

(2) Sennebier, Phys. veg. Tom. I. p. 393.

circumdatus ex illo nodo procedit, non immediate conjunctus cum medulla et vasis ligneis truncis. In superiore parte in squamas mutatur, sese invicem tegentes, succo resinoso tectas, interiora versus magis tenues, lana vel pilis praeditas; in media parte invenitur locus futuri incrementi vel foliorum vel florum (1).

Clar. Sennebier huncce nodum veluti conceptaculum et organon, liquorem evolutioni gemmae inservientem secernens, spectat. Variis exemplis probat suam sententiam, eo praesertim, quod illud tuberculum (*bourrelet*, uti Galli dicunt,) humidum est quando abscinditur, dum parenchyma et cortex valde sint sicci, ita ut illum liquorem, qui in nodo invenitur, eo non praebere possint. Hicce liquor nonnumquam tanta copia a tuberculo secernitur, v. gr. in *Fico*, ut, tuberculo absciso, guttatum ex vulnere stillet (2). — Folia ad gemmas producendas necessaria esse, contendit illustris ille philosophus; gemmae enim semper post folia proveniunt, basi petiolorum apponuntur, pereunt, quando folia prima sua aetate auferantur, et quia satis est cognitum, folia magnam copiam succorum haurire et elaborare, videntur gemmis nutrimentum praebere, quo etiam eorum incrementum determinatur. — Probabile quoque est,

squa-

(1) Sprengel, *Über den Bau* etc. p. 474—476.

(2) Sennebier, l. l. T. I. p. 393, T. IV. p. 205.

squamis exteriores et interiores simili modo nutrimentum tribuere foliis floribusque, praesertim durante hyeme et vere, quando illae suis nutritiibus carent. Haec sententia eo praesertim confirmatur, folio in media aestate sublato, gemmam sua axilla positam, saepissime novum proferre folium, quod sine hoc casu non apparuisset nisi sequenter vere, unde patet, gemmam tunc succorum copiam, nutrimento folii sublati destinatam, sibi attribuisse et ad evolutionem novi folii elaboravisse (1).

Novissimam autem hypothesin de ortu gemmarum protulit Doct. Dutrochet in dissertatione sua, aureo praemio ornata a prima classe Academiae scientiarum Parisiensis, quae praesertim plantarum incrementum in longitudinem et earum peripheriae augmentum respectat. De incremento longitudinali nobis tantum hic est agendum et quidem ejus partis, quae ad gemmarum originem pertinet.

Statuit Doct. auctor originem in caule et radice quodammodo inter se differre; gemma nempe, quae radicem proferre debet, sequenti modo formatur: constat pars caulis sub terra latens, aequa ac omnis caulis duobus systematibus, centrali et corticali. Fasciculus fibrarum in media parte systematis centralis separatur, qui in formam litterae V inflexus, cum apice ad corticem tendit;

quan-

(1) Sennebier, I. I. T. I. p. 398.

quando apex fasciculi accedat systemati corticali, nova productio in hoc systemate oritur; formatur nempe saccus sphaericus, compressus, cuius paries superior est complanatus, inferior exsectus. Circumdat saccus ille totum fibrarum fasciculum, et fibrae longitudinales, quae in systemate corticali adesse solent, in parietibus ejus quoque obseruantur. Simul cum fasciculo extra corticem prodit et sic gemmam, quae deinceps radices emitit, constituit. Differentia caulis et radicis inter originem eo consistit, quod saccus, qui gemmam caulinam includit ad superficiem exteriorem corticis caulis formatur, in radice autem ad superficiem interiorem (1).

Clar. Sprengel statuit, gemmas foliiferas ori-  
ri a cursu adscendente succorum et cum vasis lign-  
neis cohaerere; geminas fructiferas contra a succis  
descendentibus formari et e cortice provenire (2).  
Quo magis igitur sit actio succi adscendentis, eo  
majori copia gemmae ligneae sed non fructiferæ  
proveniunt; quo magis autem regulariter sit actio  
succorum in cortice, eo citius gemmae fructiferæ  
oriuntur (3). Hanc ob causam, arbores juniores

ra-

(1) Linnaci, Phil. Bot. studio Cl. Sprengelii, Tornaci edita A. 1824. in praefatione viri Cl. J. G. S. van Breda.

(2) Sprengel, *Anleitung zur Kenntniß der Gewächse*, T. I. p. 245.

(3) Cl. Uilkens, Opinionem Sprengelii de ortu di-  
ver-

raro florent vel fructus producunt, propter descensum minus regularem succorum in corticem; magis temporis spatium, et succos magis elaboratos gemmae fructiferae ad suam formationem requirunt, quam gemmae foliiferae, uti nos docet, Clar. Sennebier (1), quia organa nobiliora et magis composita continent; gemmae foliiferae praeterea per totum annum e ramis proveniunt, fructiferae autem certo tempore, cuius necessitas nobis omnino patet, quando nempe gemmae fructiferae non tempore fixo, evolutioni destituto provenirent, fructus non maturescerent (2).

In nostris caldariis rarissime arbores e regionibus exoticis florent vel fructus gerunt, quia vasis sunt impositae, in quibus non satis radicari possunt, et aër non eas partes, suo nutrimento idoneas continet, quas in patria illarum plantarum habet, quando hae pura atmosphæra utuntur (3).

Arbores, quae solummodo gemmas foliiferas emittunt, ad gemmas fructiferas producendas compellere possumus incisione, i. e. quando cursus ni-

verso gemmarum foliiferarum et fructiferarum e succis adscendentibus vel descententibus non assumit. J. A. Uilkens.  
*De volmaaktheden van den Schepper in zijne schepselen beschouwd*, D. IV. p. 251.

(1) Sennebier, l. l. T. IV. p. 191.

(2) Sennebier, l. l. T. IV. p. 196.

(3) Sprengel, l. l. p. 247.

nimis celer succi adscendentis temperatur, et cursus lateralis ad corticem acceleratur, dum simul surculi aquosi (*branches gourmandes*) abscinduntur (1). Nonnumquam incisiones fiunt in cortice, quod nonnulli Hortulani scarificare (*scröpfen*, *koppen*, *scarifier*) vocant, quibus succus corticis descendens retinetur, accumulatur atque illum nodum constituit, de quo antea locuti sumus. Buffon corticem arboris fructiferae subligabat, qua methodo eam cogebat fructus proferre. Alii etiam ramos deorsum flexerunt, ut positione coacta, cursus lateralis acceleraretur et nodi provenirent (2). Ramos prius emittere gemmas, quando fluido electrico fuissent submissi a nonnullis contendit (3).

Quamquam differentia magna gemmas floriferas inter et foliiferas existit, tamen satis cognitum est, nonnumquam has in illas mutare vel transire solere, Mariotte enim hoc probavit experimento sequenti: circa finem mensis Augusti, ramos et folia Rosae abscidit, et gemmas, quae sequenti vere flores producere deberent, reliquit; ita durante hyeme permansit, sed postquam

il-

(1) Sennebier, I. I. T. IV. p. 196.

(2) Sprengel, I. I. p. 248. — De Candolle und Sprengel, *Grundzüge der Wissenschaftlichen Pflanzenkunde*. A. 1820. P. 244.

(3) De Candolle und Sprengel, I. I. p. 108.

illiae geminae sequenti vere sese aperuerant, ramos, non flores, emittebant. Secundum Clar. du Hamel hoc experimento quoque patet, florem durante autumno et hyeme in gemma formari, et abscissione ramorum vel foliorum, floris formationem impediri (1). Gemmas foliiferas in fructiferas mutari saepissime videmus, est enim ars qua Hortulani quotidie utuntur; vulneratur cortex, gemmae superfluae abscinduntur, ramus deorsum flectitur et ligatur, quo fit, ut contextus cellulosus et vasa succosa ita adstringentur, ut succi elaborati majori copia affluant (2).

Pleraque geminae vere evolvuntur, nonnullae autem per hyemem florent uti *Daphnis Mezerei*.

Optimam gemmarum evolutionis theoriam proposuit Doct. Sennebier, permulta experimenta hac de re fecit, quae omnia suam de evolutione sententiam, quam maxime confirmant. Hanc theoriam igitur quantum possum explicare conabor variis sententiis intermixtis clarissimorum Botanicorum, qui hanc rem quoque perscrutati sunt.

Uti jam antea monui, Sennebier geminarum germina in aperturis retis, quas fibrae corticales constituunt, posita esse, credidit. Postquam magna nutrimenti copia; durante plantae vegetatione, eas ex loco illo occulto protrusisset, sese lumine

(1) l. l. Vol. I. Livr. II. Chap. 1. p. 105.

(2) Sprenzel, *Vom Bau* etc. p. 483.

saturant, et volumine augentur (1). Gemmae ad ramorum extremitates citius, quam quae ad eorum basin positae sunt, evolvuntur; soliditatem, quae in superiore rami parte minor est quam ad basim, hujus rei causam esse, Clar. De Candolle contendit; actione caloris nimirum, pars superior magis irritatur, dum pars inferior majori caloris gradu indigeat ad gemmas suas explicandas (2). Majori copia etiam proveniunt in ea ramis parte, quae soli est exposita, quam in caeteris. Clar. Bonnet hanc observationem jam fecit, quod Sennebier explicat, locum habere propter majorem succorum actionem, in partibus luci expositis; quia igitur ramorum extremitates maxime lucis stimulo afficiuntur, in iis major succorum est actio, atque eo citius evolvuntur. Lux et calor magnam vim in hanc evolutionem exercent, gemmae nempe dehiscunt, quando ab hisce stimulis sunt orbatae.

Succorum directio versus gemmas demonstrat, quanti sint momenti; ramo in vere absciso, nullus fere succus percipitur; gemmae autem pedunculo eo tempore absciso, singulae guttae ex vulnere effluunt (3). Quando praeterea gemma absinditur, succi, hujus gemmae nutritioni idonei

(1) Sennebier, l. l. T. IV. p. 190.

(2) De Candolle, *Organogr. Veget.* T II. p. 219.

(3) Sennebier, l. l. p. 194.

novas gemmas constituunt, vel evolutionem gemmarum vicinarum adaugent. Nimia succorum copia quidem nocet, quando gemmae auferuntur, quia sese non amplius aequali modo distribuere possunt et canales, ad eos continendos, debito numero non inveniunt, quare sequitur, surculos steriles formari, vel extravasationes arbori valde noxias.

Post considerationem tenuitatis partium, in gemma contentarum, mirum videtur, quomodo hae partes resistentiam squamarum durarum, quibus circumdantur, vincere possunt. Ad hoc phaenomenon explicandum Doct. Sennebier nonnulla instituit experimenta (1), et quidem primo loco vim corticis in gemmarum evolutionem perscrutatus est et hanc vim non exiguum esse nobis ostendit. Inquisivit demum, num squamae etiam aliquid huic evolutioni conferrent, et observavit eas hac in re quoque cuiusdam esse momenti, nonnullas tamen sine damno eximi posse. Credidit eas praesertim nutritioni inservire, et tegere gemmas, ne nimis evaporatione exsiccarentur. Dein veram causam dilatationis squamarum eo tempore, quo gemmae evolvuntur, perquisivit, et iterum quaeritur, quomodo partes tenues, gemma inclusae, provenire possint, dum squamis durissimis, hermetice clavis circumdantur, quae praeterea ma-

te-

(1) Sennebier, l. l. p. 198 seqq.

terie resinosa quam arctissime inter se sunt conjunctae.

Secundum nonnullorum Botanicorum sententiam (1), gemma humorem quemdam continet, qui eo tempore, quo gemmae evolvuntur, liquorum illum resinosum, viscosum, squamas arctissime inter se conjungentem, solvebat. Sed quae nam est causa, cur ille liquor, qui semper in gemma adfuit sine ulla actione manifesta, nunc demum proprietatem resinae solvendae acquirit? — Et quando ponamus, hanc solutionem fieri posse, alia oritur quaestio, nempe: quomodo partes tenuissimae vim resistentem squamarum vincere, atque eas ex suo loco movere possunt, quia vel minima pressione laeduntur?

Eo redit sententia Doct. viri de evolutione, quam in gemma ipsa positam esse contendit: gemmarum squamae impositae sunt nodo, cui gemma insidet; hyeme incipiente, squamae basibus suis fere conjunctae sunt, quam proxime saltem sibi adstant. Verno tempore autem, dum major succi copia plantam intrat, nodus infra gemmam positus turgere incipit, quo fit, ut bases squamarum magis magisque a se invicem removeantur; praeterea evolutione magis procedente, partes gemma inclusae et longitudine et crassitie augentur, atque etiam suas, quantum valent, vires intendunt, ad squa-

ma.

(1) Sennébier, I. I. 206 seqq.

marum resistentiam superandam; duplii hac actione squamae a se invicem recedunt et cadunt; deinde, nutrimento deficiente, squamae exteriores, quia robustiores sunt et firmiores, diutius quam interiores remanent, dein tamen illae quoque cadunt.

## §. 3.

*De gemmarum situ.*

Naturam in rebus creandis leges fixas et immutabiles servare, et ordinem certum determinatumque sequi, egregie patet, ex dispositione gemmarum in caulibus ramisque plantarum. Omnium rerum sapientissimus Conditor non sine ullo consilio eas leges, hoc in casu observavit, et quamquam multiplici modo differat, tamen non varius et mutabilis situs est gemmarum. Cui scopo distributiones hae fixae inserviant, dein demonstrabimus.

Gemmae plerumque in axillis foliorum oriuntur, itaque in superficie anterieore petioli includuntur, ut initio eas vix invenire possumus. Parva illa excavatio petioli, quae semper eo loco adest, ubi gemmae impositae sunt, aliquid etiam conferre videtur, ad gemmam tegendam et formandam. Rarissime in trunco vel in ramis majoribus gemmae cernuntur, nonnumquam tamen in arboribus nostris fructiferis observantur quod signum est incre-

crementi irregularis, quapropter Hortulanis eas absindere solent. In insulis autem Molluccis, Maris Meridionalis et Indiis orientalibus, plures dantur arbores, quae gemmas floriferas e ramis crassissimis emittunt. Exempla nobis praebent *Averrhoa Bilimbi* L., *Melastoma ramiflorum* Sw. et *Cynometra caulinflora*, L.. (1)

Pedunculo quodam brevissimo apponuntur tumescientiae rami, cui, praecedenti aestate, folium, in cuius axilla gemma fuit formata, affixum erat. (2)

Summus Linnaeus in opere suo praeclaro, *Philosophia Botanica* (3), jam ostendit: situm foliorum, vel gemmarum in nonnullis plantis ad certas leges esse ordinatum. Sequentes dispositiones foliorum in plantae caule memorat:

„ *Stellata* s. *Verticillata*, cum folia plurima quam duo verticillatim caulem ambiunt.

„ *Terna*, *quaterna*, *quina*, *septa* sunt species numeri stellatorum.

„ *Opposita*, quum folia caulinis duo, per paria, decussatim, e regione collocantur.

„ *Alterna*, quum unum post alterum tantum per gradus exit.

„ *Sparsa*, quum sine ordine copiosa.

„ *Conferta*, quum tam copiosa, ut ramos occupent totos, vix relicto spatio.

„ *Im.*

(1) Sprengel, *Anl.* V. I. p. 242—243.

(2) Du Hamel, *I. I. Livr. II. Chap. I.* p. 99.

(3) Linnæi, *Phil. Bot.* p. 88.

„ *Imbricata*, si conferta et erecta, ut invi-  
„ cem se quo ad partem tegant.

„ *Fasciculata*, si ex eodem puncto plura  
„ folia prodeunt.

„ *Disticha*, si omnia folia, duo latera rami  
„ tantum respiciunt.

„ *Decussata*, cruciatim opposita.”

Quamquam haecce determinatio situm foliorum  
respiciat, tamen non dubitavi, quin etiam ad  
gemmarum situm pertineat, et pro maxima parte  
quoque ad gemmarum situs determinationem sit  
applicanda, quando nempe illi termini, per excel-  
lentiam ad folia pertinentes, excipientur.

Clar. Sauvages (1) novam methodum ad  
plantas cognoscendas edidit et ante tempus Linn-  
aei jam quatuor situs foliorum species assumxit:  
*Opposita*, *Verticillata*, *Alternata* et *Sparsa*.

Doct. Löfing (2) solummodo judicat gem-  
marum situm esse vel *oppositum*, uti in arbori-  
bus, foliis oppositis, vel *alternatum*, in arbori-  
bus foliis alternatis, vel *terminalem*. Gemmae ter-  
minales, communiter solitariae sunt, et reliquis  
majores, paucis exceptis, e. gr. *Syringa*, *Philly-  
rea*, etc. ubi binae sunt terminales.

Clar.

(1) Sauvages, *Mém. sur une nouvelle méthode de con-  
naître les plantes par les feuilles; assemblée publique de la  
Societ. Roy. des sciences de Montpellier*, A. 1743.

(2) Linnæi, *Amoen. Acad.* Vol. II. p. 191.

Clar. Bonnet (1), jam antequam dispositiones gemmarum secundum Linnaeum et Sauvagesium cognovit, etiam quatuor illas species, quas Cl. Sauvages memorat, distinxit. In ea autem dispositione, quam Clar. illi viri *sparsam* vocant, symmetriam quamdam observavit, qua de re accuratius hanc scientiae partem indagavit, et docuit, ad quinque species commode gemmarum situm reduci posse (2), ad quas caeterae apte referuntur.

Ad primam pertinent *gemmae alternae* Linnaei; est haec simplicissima; gemmae duabus lineis parallelis per longitudinem rami incident, non ad eandem altitudinem, sed tamquam per gradus, v. c. *Corylus*.

Continet secunda *gemmas oppositas*, quod vocat *à paires croisées*; geminae decussatim positae, duas e quovis caulis nodo exeunt regione opposita, et a pari sequentis nodi ad angulos rectos decussantur

(1) Bonnet, *Recherches sur l'usage des feuilles*, p. 162. seqq.

(2) Doct. Bonnet etiam de foliorum, non de gemmarum situ in opere suo agit. Hanc vero divisionem etiam ad gemmas pertinere patet ex sequentibus, ubi Doct. auctor ipse commendat, contemplationem gemmarum situs majoris esse momenti, quam foliorum, quia vi luminis, aliarumve rerum externalium, folla saepissime situ suo naturali turbantur, quod probat nonnullis exemplis in *Junceis*, *Gramineis*, observatis. — Clar. du Hamel, eundem locum ex opere Bonneti citavit et semper voce gemmae loco folii usus est (Bonnet, l. l. p. 171. — Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. I. p. 100).

tur; *Fraxinus* hujus speciei nobis exemplum praebet.

Tertia *verticillata* vocat, quae *stellata* est Linnaei, gemmae annulos circa ramum formant, et in subspecies dividitur, secundum numerum gemmarum, quibus annuli formantur.

Ad quartum situm gemmas refert per quincunxem dispositas (en quinconces), sive sparsas Linnaei, i. e. quae cum caeteris habita ratione, spiram circa caulem formant. Sequentem methodum ad hanc speciem rite intelligendam proposuit Doct. Bonnet: per longitudinem cylindri, quinque lineae rectae ad aequalia intervalla trahantur; ad basin primae lineae punctum sit primi folii, paullo altius in tertia, positum sit folium secundum; in quinta, ad aequalem distantiam folium sit tertium; in secunda quartum, et quintum folium quartum occupet lineam. Copia arborum, praecipue fructiferarum ad hanc speciem pertinent, uti: *Pyrus Malus*, *Rubus idaeus*, *Absynthium*, *Amaranthus*, *Populus*, *Salix*, caet. Nonnumquam autem hic ordo variatur; non semper exacte quinque gemmae spiralem formant, sed aliquando tres, septem vel octo gemmae sibi subsequuntur, quod tamen rarius occurrit. Species spiralis, quam gemmae formant, non semper eadem est, circumvolvit enim tum dextrorsum, tum sinistrorsum.

Quinta species maxime est composita; continet arbores, in quibus folia duplices vel multiplices for-

formant spirales, secundum numerum spiralium subdividitur. Pro variis plantis numerus spiralium et foliorum differt; quando spirales tres sunt numero, quisque septem folia exhibit; quando quinque adsunt numero, unaquaeque helix undecim continent folia. Hoc optime intelligere possumus, quum tres vel quinque spirales sibi parallelas circa baculum trahantur et ad aequales distantias septem undecimve puncta notentur. Dicitur Doct. Calandrini hanc speciem inventisse, tamen Clar. Bonnet, eam jam antea a Botanicis notam fuisse contendit (1). Ultimam tamen illam speciem ad gemmas non referre possumus, sed ad foliorum situm modo pertinet; arbores enim hujus speciei veras gemmas non in foliorum axillis, verum ad finem ramorum tantum habent (2).

Monet praeterea Doct. Bonnet, nonnumquam fieri duas species distinctas distributionis in uno eodemque individuo, v. c. in *Myrto communis*, et *Punica Granato*, in quibus secunda species cum tertia observatur, nec non in *Cannabi sativa*, cuius dispositio gemmarum inferiorum ad secundam, superiorum ad quartam pertinet. Illa discrepantia in caeteris speciebus etiam observatur.

Clar. auctor operis praestantissimi de arboribus, du Hamel, huic divisioni gemmarum foliifera-

rum

(1) Bonnet, l. l. p. 166.

(2) Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. I. p. 101.

rum addit descriptionem, quomodo gemma quaeque ramo vel trunco sit imposita, et rami gemmis terminentur. Docuit sequentia: Rami arborum gemmis oppositis, saepissime tribus gemmis terminantur, quae formam floris *Iridis* exhibent, gemma scilicet media lateralibus major est; maxima autem arborum copia, cum gemmis alternatis, ramos unica gemma in fine praeditos habent. Raro tamen tres illae gemmae terminales omnes evolvuntur; plerumque gemmae laterales exsiccantur et decidunt, uti in *Aesculo Hippocastano* et *Pavia*, aliisque; vel gemma, medium tenens, hanc sortem subit, dum laterales explicantur, uti in *Syringa vulgari*, quam ob causam rami fiunt bifurcati (1).

Attendere etiam debemus in nonnullis arboribus, gemmas perpendiculariter ramis esse impositas, uti *Syringa*, etc.; in aliis vero, uti in *Cornis*, per totam suam longitudinem gemma ramo apposita est. *Evonymus Europaeus* nobis aliquid singulare affert, gemmae in ramorum extremitate pariter ac in *Cornis*, gemmae contra in infima rami parte aequae ac in *Syringis* applicatae sunt (2).

Clar. du Hamel accurate etiam situm gemmarum fructiferarum indagavit et descriptis. In multis arboribus gemmae fructiferae insident ramis, specialibus parvis, multis foliis praeditis, qui

(1) Decandolle, l. l. T. II. p. 218.

(2) Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. I. p. 102.

majori quantitate gaudent telac cellulosae, quam rami gemmis foliiferis praediti; ita ut saepissime gemma fructifera juxta foliiferam posita sit. Multarum arborum rami floribus terminantur, uti pentaphylloides; in aliis flos e foliorum axillis provenit, veluti in *Myrtha*; in nonnullis ex ipso folio gemmae fructiferae enascuntur, quod videmus in *Rusco*, fructu folio innascente; vel flores apparent racemiformes, ex axillis provenientes. Nonnumquam racemi penduli manent, uti in *Robinia Pseudacacia* et *Cytiso Laburno*, vel rigidi sunt et elevati, ramos terminantes, quemadmodum in *Rubo fruticoso*, *Syringa vulgari*; aut ad fineim rami fasciculo sunt conjuncti, uti in *Coronilla varia*, *Diervilla*. Interdum axillis foliorum sunt impositae, v. c. in *Fagara*; vel spicam formant uti in *Amorpha fruticosa*, *Clethra*: for-  
mant etiam aut umbellas veras, uti in *Bupleuro*, aut umbellas ramosas ac in *Sambuco* et *Viburno Opulo*. Quamquam hae observationes multo magis essent extendendae, et fusius pertractandae, tamen ex hisce satis lucet, situm gemmarum fructiferarum vulgo aequa constantem esse in eodem arborum genere, ac gemmarum foliifera-  
rum (1).

(1) *Du Hamel*, l. l. Livr. III. Chap. I. p. 199.

## §. 4.

*De gemmarum structura.*

Antequam ad describendas partes, gemmas constituentes transeamus, quaedam monenda supersunt de forma externa gemmarum et quomodo, hoc respectu, inter se differant.

Clar. du Hamel monet, non modo gemmas unius arborum generis easdem habere formas, sed quoque unius speciei eandem servare formam, quod bene observatum, credit valde utile esse, ad species inter se distinguendas (1).

Gemmae floriferae et fructiferae praecipue quod ad magnitudinem inter se differunt, floriferae nimurum crassiores et magis rotundae sunt, quam foliiferae. Du Hamel differentias, quae ad formam pertinent variis exemplis nobis ostendit:

*Longas et acuminatas*, uti *Carpini Betuli*.

*Breves et rotundatas*, e. gr. *Juglans regia*.

*Villosas*, uti *Viburni*.

*Junctas et laeves*, uti *Pruni Cerasi*.

*Resinosas*, e. gr. *Populus Tacamahaca*.

*Parvas*, uti in *Quercu et Bignonia Catalpa*, vel;  
*Valdemagnas*, uti in *Castanea vesca* (2).

Non-

(1) Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. I. p. 100.

(2) Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. I. p. 102. — Sennebier, l. l. T. I. p. 387.

Nonnulli hodiernorum, inter quos Doct. Boitard (1), formam *globosam*, *ovatam*, *oblongam*, *teretem*, *compressam*, *ancipitem*, *irigonam*, *tetragonam*, etc. gemmis adscribunt. Auctore Clar. Link (2), gemmas etiam in *clausas*, *apertas*, *tectas* et *nudas* distinguere possumus. *Clausas* vocat, quando ex foliis sibi impositis et imbricatis constant, quod in arboribus observatur; *aperias* autem, quando folia, quamquam saepe involuta et complicata, tamen apicibus divergant, uti in herbis plerisque. *Tectae* sunt gemimae, quando intra petioli basin latent, aut squamis sive integumentis obducuntur, quae vel in, vel post explicationem ipsius gemmae decidunt; permultae arbores nostrates exemplum praebent. *Nudae* dicuntur, quando neque squamis teguntur, neque intra petioli basin reconduntur; haec species in arboribus regionum calidarum frequentissima est.

Clar. Sprengel formae differentias in plantis imperfectis innumeras esse monet (3).

Gemmae constructae sunt e squamis excavatis, quae, se invicem tegentes, involuera constituunt, et durante hyeme partes interiores valde tenues et molles tegunt et defendunt. Quando hae partes

in-

(1) Boitard, *Manuel de Botanie*, p. 38.

(2) Link, *Elem. Phil. Bot.*, p. 209.

(3) Linnæi, *Phil. Bot. edit. Sprengelii*, p. 91.

interiores accuratius examinantur, folia tenuia, vario modo formata, quae saepissime modo fila simplicissima sunt, constituere videntur (1).

Secundum squamarum structuram et situm summus Linnaeus gemmas in varias classes dividit; novit incrementa squamarum, donec in perfecta folia abeant, in diversis speciebus gemmarum, varia esse. Sequentes varietates hac de re memorat, et propriis illis nominibus indicat: gemmas vocat

1°. *Foliaceas*, quando squamae interiores sensim in folia simplicia abeunt, v. c. *Daphne Mezereum*.

2°. *Petiolares*, quando squamae sunt rudimenta petiolorum, et sensim apice foliiferae evadunt, folium initio omnino rude, sensim magis magisque folium perfectum imitatur, e. gr. *Juglans regia*.

3°. *Stipulaceo-petiolares*, quando squamae interiores apice bifidae vel trifidae fiunt, lacinias lateralibus demum assurgentibus in stipulas, media proferente folium rude, uti: *Prunus*, *Pyrus*, *Amygdalus*.

4°. *Stipulaceas*. In aliis gemmis squamae mere stipulae existunt, quarum singula paria plerumque conjuncta magisque vicina sunt, quaeque perfecta, etiam si parva, folia intra se fovent, v.

c.

(1) Du Hamel, I. I. Vol. I. Livr. II. Chap. I. p. 103.

c. *Carpinus Betulus*, *Liriodendrum Tulipifera*,  
*Ficus elastică*, caet (1).

In primis autem situm spectavit et dein sex  
 gemmarum classes constituit, quae sunt:

Gemmae constructae ex rudimen- tis	Foliorum	{ Oppositis	Petiolaribus. I.
			Stipulaceis. II.
	Alternis	{ Petiolaribus. III.	Stipulaceo-
			petiolaribus. IV.
	Anomalis, prognatis ex corticis squamis.	{ Stipulaceis. V.	
			VI.

Sub prima et tertia classe igitur gemmae etiam  
 foliaceae intelliguntur, quae tamen in gemmarum  
 descriptionibus a se invicem discernuntur; ad sex-  
 tam classem refert Linnaeus gemmas anom-  
 las, ex squamis copiosis propriis constructas,  
 quae in *Abiete*, *Pino* et *Taxo* observantur. (2)

Hanc gemmarum methodum per omnes classes  
 exemplis illustravit, ut inde: „ perspicere queat  
 „ diligens Naturae mysta scrutatorque, summam  
 „ quae in quibusdam familiis datur, similitudi-  
 „ nem.”

Egregie Malpighius et dein du Hamel  
 anatomiam gemmarum instituerunt et constructio-  
 nem

(1) Linnæi, Amoen. Acad., Vol. II. p. 189.

(2) Ibidem p. 197.

nem gemmae *Aesculi Hippocastani*, tamquam exemplum exhibuerunt, quomodo gemmae in caeteris arboribus sint formatae. Durante hyeme folia veris in hacce gemma invenimus, squamis involuta; haecce involucra, (tegmenta vocantur a Cl. Link (1)) ab exteriore et interiore parte materie resinosa sunt praedita, qua quam arctissime inter se sunt conjuncta; squamis interioribus praeterea matieres quaedam lanata inesse solet. Color squamarum in hisce non idem est: externe bruneae sunt, sequentes fusco-flavo-viridescentes, squamae hisce subjacentes magis sunt flavescentes et internae egregium viridem colorem habent.

Squamae compositae esse videntur, monente Clar. Sennebier (2), ex epidermide et contextu celluloso, qui tamen parva quantitate adesse solet; paucis vasis propriis gaudet. Virides semper sunt in plantis herbaceis, minus vel magis fuscae in plantis lignosis; locum tenent receptaculi vel corollae in plerisque floribus amentaceis; corollam et calycem in Gramineis constituunt.

Ad earum formam et substantiam etiam est attendendum: acutae sunt in calyce communi *Doronicī*; obtusae in *Gnaphalīs*; siccae in *Catananche*; spinosae in *Carduo arvensi*; ciliatae in *Centaurea*.

Ja-

(1) Link, Elem. Phys. Bot., p. 211.

(2) Sennebier, l. l. T. I. 389.

*Jacea*; *rotundatae*, *ovatae*, *convexae*, *planae* in aliis plantarum speciebus.

Squamæ cochleæ instar excavatae, conjunctæ optimum præbent involucrum, quo gemma sit inclusa; exteriores duræ sunt, ad superficiem interiorem, et earum margines pilis præditæ, interiores vero magis tenues, nec non pilis obductæ.

Gemma juxta longitudinem suam perscissa nobis egregie ostendit, quomodo partes internæ sese habeant. In gemmis foliiferis invenimus ramum futurum, parvis corpusculis tectum, quæ folia videntur filis intermixta (1), cum medulla alba, ramum versus paululum rubescente. Folia illa minutissima sunt, variis modis inter se plicata, de qua complicatione sequenti paragrapho agendum erit.

Hoc loco etiam commemorare debemus, Clar. du Hamel monuisse, squamas exteriores, interiores et quoque foliola imposita esse interiori corticis parti, dum vero elongationes hujus esse videntur; ramos vel flores juniores contra provenire e fibris intra lignum et corticem positis, vel fibras ligneas et medullam attingere illius ramuli, quo vehuntur (2).

(1) Ibidem p. 391.

(2) Dū Hamel, I. l. Vol. I. Livr. II. Chap. I. p. 103.

§. 5.

*De complicatione partium intra gemmas.*

Si attendamus ad partes, quae intra gemmas sunt dispositae, videbimus, eas minimum quodque replere spatium; vario modo involvuntur, quod egregie observare possumus, quando gemma per medianam partem dissecatur. Complicatio foliorum intra gemmas summam meretur attentionem, quia semper eadem est in omnibus plantis unius speciei, saepissime unius generis et nonnumquam unius familiae naturalis (1).

Doct. Löfing utilitatem hujus complicacionis bene cognoscendae et applicandae jam observavit et nonnulla affert exempla, quomodo ista dispositio in plantis ejusdem speciei conveniat (2).

Clar. Linnæus hanc foliorum dispositionem intra gemmas *foliationem* vocavit: „Foliatio,” inquit, „est complicatio ea, quam servant folia, dum intra gemmam aut asparagos plantarum latent.” — Primus fuit Linnæus, qui hac de re scripsit, ante eum nimirum, haecce foliatio a Botanicis omnino fuit praetervisa (3). Ad sequentes varietates hanc dispositionem reduxit:

„<sup>1°</sup>. *Involuta*, quorum margines laterales  
„ utrim-

(1) Richard, *Nouv. Elem. de Bot.*, p. 119.

(2) Linnaci, *Amoen. Acad.* Vol. II. p. 190.

(3) Linnæi, *Phil. Bot.* p. 174.

,, utrimque introrsum spiraliter involvuntur uti in  
 „ *Pyro*, *Populo*, *Sambuco*.

,, 2°. *Revoluta*, quorum margines laterales  
 „ utrimque retrorsum spiraliter convolvuntur, uti  
 „ in *Teucrio*, *Rumice*, caet.

,, 3°. *Ovoluta*, quum margines alterni com-  
 „ prehendunt oppositi folii marginem rectum, uti  
 „ in *Valeriana*, *Marrubio*, caet.

,, 4°. *Convoluta*, cum unius lateris margo  
 „ circumambit alterum ejusdem folii marginem,  
 „ instar cuculli, v. c. in *Pruno*.

,, 5°. *Imbricata*, quando parallele, super-  
 „ ficie recta, sibi invicem incumbunt, in *Syrin-*  
 „ *ga*, *Lauro*, caet.

,, 6°. *Equitantia*, quum folii latera parel-  
 „ le connivent, ut interiora ab exterioribus in-  
 „ cludantur; quod non in conduplicatis fit,  
 „ v. c. in *Iride*.

,, 7°. *Conduplicata*, cum folii latera pa-  
 „ relle ad se invicem appropinquantur, uti in  
 „ *Quercu*, *Ceraso*, caet.

,, 8°. *Plicata*, cum plicatim in longitudine  
 „ complicantur uti folia plicata, v. c. in *Betula*,  
 „ *Vite*, caet.

,, 9°. *Reclinata*, cum folia versus petiolum  
 „ deorsum reflexa sunt, uti in *Aconito*.

,, 10°. *Circinalia*, quum folia deorsum spi-  
 „ raliter involvuntur, uti in *Filicibus* et *Palmis*  
 „ nonnullis."

Post Linnaeum Botanici terminos, quibus summus vir usus erat ad illas varietates explicandas sine ullis fere mutationibus retinuerunt; nonnulli autem, inter quos Doct. Brisseau-Mirbel, crediderunt, illam complicationem foliorum intra gemmas ante earum evolutionem, melius esse dicendam *vernationem* quam *foliationem*, quia foliationem tempus indicat, quo folia e gemmis protruduntur (1).

Modus, quo flores intra gemmas sunt inclusi, hic quoque recenseri debet. Linnaeus complicationem corollae ante florescentiam *aestivationem* vocavit; aequo ac folatio, ita quoque aestivatio eadem est in plantis ejusdem speciei. Huc usque solummodo aestivatio corollae est cognita, quod etiam *praefloratio* dicitur a nonnullis; videatur autem studium, quo indagatur, qua ratione calyx et organa sexualia sint disposita, non minoris esse momenti. Doct. Brisseau-Mirbel quinque varias petalorum dispositiones enumerat:

*Imbricata*, quando unum petalum alterum partim legit, v. c. in *Rosa*, caet.

*Obovoluta*, quando petala spiraliter sint contorta (*roulés en spirale*;) prae caeteris in familia *Contortarum* observatur, quae ab hacce aestivatione nomen suum accepit.

*Equi-*

(1) Brisseau-Mirbel, *Elem. de Phys. reg.* T. I. p. 146.

*Equitantia.* Ita in corollis irregularibus dicuntur petala, quae ceteras partes circumambiunt, quod locum habet in floribus *papilionaceis*, in quibus vexillum tres ceteras partes tegit.

*Corrugata*, quando petala sine ordine sunt plicata, uti in *Papaveribus*, *Cistis*, *Punicis*, caet.

*Valvata*, quando partes corollaè solummodo se invicem marginibus suis tangunt, pariter ac valvulae capsulae; haec dispositio praecipue in floribus compositis observatur (1).

Doct. Richard etiam praeflorationem plicativam et quincuncinalem nobis ostendit (2). Definitionem suam de praefloratione plicativa aliter statuit, quam quae de eodem nomine a Clar. De Candolle proponitur. Vocat nimirum plicativam, quando corolla monopetala aequa ac filtrum papyraceum plicata est, uti in *Convolvulaceis*, multis *Solanaceis* aliisque. Explicatio autem hujus termini Clar. De Candolle eadem est, quam Doct. Mirbel de praefloratione corrugata dedit.

*Quinquncinalis* dicitur aestivatio, quando inter quinque corollae partes duas sint exteriores, duas interiores, et quinta pars illas interiores uno suo latere tegit atque iterum ab exterioribus partim tegitur.

Clar.

(1) Brisseau-Mirbel, I. I., T. II. p. 738.

(2) Richard, *Elem. de Phys. veg.* p. 200.

Clar. De Candolle alias aestivationis varietates enumerat, quales sunt v. gr.

*Induplicativa*, quando partes corollae interiora versus flectuntur et sese marginibus suis plicatis tangunt; in nonnullis *Clematidibus* observatur.

*Alternativa*; partes corollae in duabus pluribusve seriëbus sunt positae, ita ut series interior ab exterioribus partim et alternatim tegatur; uti in plerisque *Liliaceis*.

*Vexillaris*, eadem est, quae supra equitans vocatur.

*Cochlearis*, quando quaedam pars ceteris major est, quas circumdat, dum sese in formam cochleae flectit; exemplum praebet *Aconitum*, *Antholyza* et nonnullae *Personatae*.

*Convolutiva*, quando pars exterior curvata est et interiorem circumdat, interior rursus sequentem, et sic porro, quod in floribus cruciatis praesertim observatur (1).

Atque hae sunt praecipuae aestivationes hic memorandae, sunt adhuc multae aliae, quae licet frequentius occurrant, minoris tamen momenti sunt habendae.

Clar. du Hamel etiam egregie nobis complicationem partium intra gemmas tam floriferas quam fo-

(1) De Candolle und Sprengel, *Grundzüge der Wissenschaftlichen Pflanzenkunde*, 1820. p. 84.

floriferas, quam foliferas ostendit, nulla autem nomina distincta, variis complicationis modis tribuit (1).

### C A P U T III.

#### SENTENTIAE BOTANICORUM DE BULBIS.

##### §. I.

###### *De bulbis in genere.*

Summus Malpighius in disputatione sua de radicibus plantarum, egregie pro tempore, quo vixit, naturam bulborum inquisivit et permultis exemplis hanc scientiae partem illustravit. Minus recte tamen bulbos ac radices inter se confudit, dum Botanici, qui eum secuti sunt, illam differentiam quam maxime observaverunt.

Ex Linnaei opinione, bulbi potius ad gemmas, quam ad radices sunt referendi, eosque hibernacula esse judicat, quoniam eodem modo, quo gemmae, intra se futuram plantam includunt (2).

A

(1) Du Hamel, I. I. Vol. I. Livr. II. Chap. II. p. 117—123.

(2) Linnaei, Amoen. Acad., Tom. II. p. 191.

D

A gemmis stricte dictis eos ita distinguit Linnaeus, quod gemmae caudici adscendentem, bulbis caudici descendantem insideant (1). In eo, secundum Doct. Richard (2) differunt, quod praecipue ad plantas monocotyledoneas pertineant, dum arborum gemmae, uti supra memoravimus, modo in plantis dicotyledoneis observantur, Gramineis tantum exceptis. Probatur quoque bulbus non esse radix eo, quod bulbi pars aut bulbis integer auferri potest sine eo ut planta moriatur, quamquam pristinum vigorem perdat, sed hoc in plantis foliis spoliatis etiam locum habet, quia tantum damnum non impune ferre possunt.

Sententiae recentiorum Botanicorum huc fere redeunt: natura bulborum ab illa radicum differt, et similis est naturae gemmarum, quia, uti gemmae, jam folia et flores, qui insequenti definitum anno pullulare solent, continent (3). — Quum igitur hodie nullum prorsus sit dubium, quin bulbi revera ad classem gemmarum pertineant, sequentibus paragraphis nobis de iis agendum erit et quidem primo loco eorum structuram spectabimus.

(1) Linnaei, Phil. Bot. p. 91.

(2) Richardi, Nouv. Elem. de Bot. p. 114. §. 2.

(3) Du Hamel, I. I. Vol. I. p. 79. Bonnet, Considerations des corps organisés, Oeuvres, Tom. V. p. 407—408.— Link, Elem. Phys. Bot. p. 217.— Brisseau-Mirbel, I. I. Tom. I. p. 135 et alii.

## §. 2.

*De bulborum structura.*

Bulbus corpus est carnosum, succulentum, magis minusve crassum et densum; constat e tunicis aut squamis saepe foliatim compositis, et disco quoddam, aliarum plantarum rhizoma aut collum referente (1), e quo radiculae enascuntur. Discus hicce quoddam est medium inter bulbum verum et radicem, et basi suae impositae sunt squamae, quae ab exteriore parte bulbum constituant; squamae illae magis fiunt carnosae, crassae et succulentae ad interiore bulbi partem, dum exteriore contra siccae, tenues et papyraceae sunt; interior pars scapum et folia includit (2).

Corpus solidum, quod discum vocabimus ab inferiore parte planum, a superiore convexum, figuram quodammodo conoideam format; maximae est utilitatis, quia radiculos emitit, quae suctoriā actionem peragunt atque ita radicis munere funguntur. Ejus structura similis est illius caeterarum radicum, parenchymate et iisdem vasis ac radices instructa et non sine magno hujus corporis detimento pars quaedam auferri potest (3).

Clar.

(1) Sprengel, *Über den Bau* p. 376.

(2) Richard, l. l. p. 114.

(3) Sennebier, l. l. Tom. I. p. 319.

Clar. Sprengel tamen monet, se solummodo in disco observare posse telam cellulōsam, valde compactam et compressam; sed in superiore parte, ubi exoritur scapus, vasa invenit spiralia. Notanda venit acritas et viscositas succorum, qui non tantum spatiū inter bulbi squamas replent, sed etiam in ista tela cellulosa compacta disci ad-sunt, quique nutritioni inservire videntur (1).

Radiculae, quae a nonnullis recentioribus fibrilae vocantur, ex inferiore parte disci proveniunt; partes sunt tenuissimae, filiformes, quae minores minoresque fiunt, donec oculum inarmatum effugiant; pilis tenuissimis sunt obductae et earum fines terminantur corpusculis spongiosis, verrucis dictis, quae absorbtioni et exhalationi inservire videntur (2). Hae verrucae magis sunt evolutae, quando pili radicibus desunt, quod hiberno tempore in *Hyacintho orientali* dilucide patet; radiculae secundum Clar. Sprengel structuram habent simplicissimam, vasis spiralibus carent et constant solummodo e cellulis elongatis, succo plenis (3).

Squamae vel tunicae, quae maximam bulbi partem constituunt, eodem modo oriri et explicari videntur, quo in caudice adscendentī oriuntur et evol-

(1) Sprengel, *Anl. zur Kennt. d. Gew.* Tom. I. p. 244.

(2) Linck, *Elem. Phys. Bot.* p. 121. Sprengel, *Ueber den Bau*, p. 393.

(3) Sprengel, *Ueber den Bau*, 117.

evolvuntur folia. Haecce comparatio folia inter et squamas sequentibus argumentis est stabienda:

1°. Uti jam monuimus, plantae foliis orbatae, quamquam vigorem amittant, tamen non moriuntur quod etiam in bulbis, squamis desumptis, observatur.

2°. Structura squamarum et foliorum maxime convenit; utriusque generis organa structuram habent perfectiorem, vasis ac cellulis regulariter dispositis. In utraque parte praeterea epidermis adest, quae tamquam cuticula tenuissima facile est auferranda; extimum hoc involucrum facile notatur in *Hyacinthis*, *Narcissis*, *Tulipis* aliisque. Forma cellularum in utraque parte quadrata est, etc.

3°. Coloris varietas ex lucis efficacitate videtur explicanda, qua squamae destitutae sunt; videmus enim nonnumquam, quando superior bulbi pars non terra satis est obducta, eam colorem accipere viridem.

4°. Eodem modo squamae ex disco proveniunt, quo folia sessilia cum caudice adscendentem cohaerent.

5°. Eadem ratione novi oriuntur bulbi eo in loco, in quo squamae cum disco nectuntur, qua gemmae ad petiolorum insertionem proveniunt.

Videtur igitur in squamis solummodo petiolus desiderari, ut folia perfecta dici mereantur, probant tamen haec argumenta magnam esse analogiam inter has partes.

In media bulbi parte, planta futuri anni, folia nempe, calyx, petala, stamina, pistillum continentur (1). Doct. Mariotte omnes istas partes distinctas primis in *Tulipis* observavit (2).

Maxime notabilis est convenientia inter plantas bulbosas, quae fere omnes ad sextam systematis Linnaeani classem pertinent; familiae naturales *Liliacearum*, *Asphodelorum* et *Narcissorum* in primis radice saepius bulbosa distinguuntur.

### §. 3.

#### *Formae variae bulborum.*

Forma externa bulborum in variis differt, ita ut solo adspectu saepissime possimus distinguere, ad quamnam speciem pertineant. Sequentibus terminis a se invicem distinguuntur.

Si varias bulborum substantias spectemus, bulbi in aliis cavi sunt, in aliis solidi. Cavi autem dicuntur, qui sponte sensim excavantur, exemplum nobis praebet *Fumaria bulbosa*. Bulbus solidus dicitur, quando tunicae vel squamae illum constituentes, tam firmiter invicem sunt conjunctae, ut eas prorsus non liceat distinguere et bulbum ipsum

(1) Linnaei, Amoen. Acad. Tom. IV. p. 318.

(2) Du Hamel, l. l. Livr. II. Chap. 1. p. 104.

(3) Richard, Elem. de Bot. 115.

sum corpore solido homogeneo formatum esse videatur. Uti in *Croco sativo*, *Colchico autumnali*, *Gladiolo communis*, aliisque (1).

Forma externa bulborum sequentes offert diversitates, a Doct. Willdenow hisce terminis indicatas (2).

*Imbricata* s. squamosa dicitur, quando squamae ad margines suos plerumque liberae, imbricatim sibi sunt impositae, e. gr. *Lilium candidum*.

*Tunicata*; squamae sunt integrae, non interruptae, concentricae. Haecce forma optime cognoscitur, quando *Hyacinthus orientalis* vel *Allium Cepa* ex transverso perscinditur; tunicae tunc veluti circuli integri, se invicem circumdantes apparent (3).

*Reticulata*; *Allium victoriale* hanc formam ostendit, ita dicitur, quia cuticulis reticulatis constat.

*Semireticulata*; pars interior est compacta, solida, exterior reticulata, ex. gr. *Gladiolus communis*.

*Nidulans* dicitur, quando pars interior mul-

lis

(1) Richard, I. I. p. 118.

(2) Willdenow, *Handleiding tot de kennis der planten*, p. 12.

(3) Richard, I. I. Brisseau-Mirbel, I. I. Tom. II. p. 634.

tis praedita est bulbillis v. c. *Ornithogalum spathaceum.*

*Composita s. aggregata*; bulbi juniores, basi suae conjuncti, prope sibi adstant, uti *Allium nigrum.*

*Geminata*; duo bulbi basi sua cohaerentes, una eademque tunica sunt inclusi; *Fritillaria pyrenaica*, *Erythronium dens canis*.

*Duplicata*; quando duorum bulborum alter ex altero excrescit; v. c. *Allium sphaerocephalum*, *Gladiolus communis*.

*Suffulta*; Discus insignis est magnitudinis, ita ut squamae non ad marginem sint positae, sed ad ejus superficiem, et discus quasi fulcrum praebeat squamis, e. gr. *Ixia punicea*, et *erecta*.

Expositis itaque nonnullis de bulborum natura universa et forma, videamus quomodo oriantur.

#### §. 4.

##### *De ortu bulborum.*

Magni est momenti ad bulborum reproductionem attendere, quia plantae bulbosae fere omnes novis bulbis multiplicantur, et paucissimae sunt, quae veris seminibus dignuntur; quod praesertim in familia *Orchidearum* valet, quae bulbis solummodo reproducuntur. (1).

In-

(1) *Sennebier*, l. l. T. I. p. 320.

In primis hanc botanices partem perscrutaverunt vi-  
ri Clar. Sennebier et Sprengel, nec non  
Doct. Link, quorum sententiae praecipue sunt  
considerandae ad phænomena, quae in bulborum  
ortu prodeunt, explicanda.

Bulbi juniores, qui ex bulbo materno enascuntur  
a Clar. Sennebier *Cayeux* vocantur; Clar. du  
Hamel eos veluti gemmas plantarum bulbosarum  
considerat. Formantur ista corpora inter squamas  
vel tunicas bulbi et nutrimentum ex parenchymate  
bulbi videntur haurire, quod eo probatur, quan-  
do nimirum pars tollatur bulbi, etiam flores; ne-  
que tamen novos producit bulbos, quia fons,  
nutrimentum praebens, tunc nimis est debilitatus,  
vel exsiccatus (1). — Quo magis novus bulbus  
accrescit, eo magis bulbus maternus in nonnullis  
speciebus exsiccatur, vel putrescit uti in *Tulipis*,  
quo facile explicatur mutatio apparet horum bul-  
borum e loco, cui fuerant impositi.

Bulbi enim, ut in *Hyacinthis*, per nonnullos  
annos novos emittunt bulbos et per longum tem-  
pus primo partui supervivunt. Bulbi autem junio-  
res ad magnitudinem matris non perveniunt, et post  
duos vel tres annos primum florescunt; a primo  
anno tamen eos jam separate possumus, atque  
tunc propriam suam vitam degunt.

Tunicae et squamas bulbi novos bulbos produ-  
ce-

(1) SENNEBIER, I. I. T. I. p. 321.

cere posse probatur exemplo *Lilii canadensis*; quaeque squama enim bulbi, plantae hujus superbae, viest praedita, novae plantae generandae (1). Locus, quo novi exoriuntur bulbi in variis bulbis varius est; in *Allio Cepa* e. gr. in ipso centro novi formantur bulbi, in *Ornithogalo minimo* a parte laterali proveniunt, in *Gladiolo communi*, a superiore bulbi parte, in multis *Ixiis* a parte inferiori emittuntur (2). Bulbus adultus nutrimentum iis praebere videtur, exsugitur, fascit et perit, durante formatione prolis, quod etiam variis modis perficitur. — Clar. Link hunc ortum in bulbis carnosis et solidis differre statuit; bulbos carnosos in laterales, centrales et periphericos distinxit, solidos autem in laterales et centrales (3). — Quando in florescentia proles major est bulbo parente, et post florescentiam et maturationem, bulbus parens perit, tunicae siccae remanent, et proles locum parentis occupat, bulbos carnosos vocat laterales; quod in *Tulipis* observatur. Quando novus bulbus e medio bulbi parentis emergit et post florescentiam tunicae externae tantum sunt exhaustae, uti in *Allio Cepa*, dicit bulbum carnosum centralem; quando autem bulbus florens non exhaustus intra tunicas extimas

(1) Brisseau-Mirbel, l. l. T. I. p. 136.

(2) Richard, l. l. p. 166.

(3) Link, Elem. Phys. Bot. p. 218.

mas cito exhauiendas, in ambitu novos protrudit bulbos, quin accrescentes bulbum parentem exsugunt, uti in *Hyacinthis*; bulbos vocat cagnosos laterales.

Duplici modo bulbi solidi novos bulbos nutrit. Persistit bulbus solidus, postquam caulis jam sit defloratus; e rima lateralē novus provenit bulbus, qui bulbum adultum exsugit, postquam flores et fructus emiserit, exemplo sit *Colchicum*; hoc in casu bulbum dicit lateralem. Solidum centrale vocat, quando in ipso medio novi bulbi formantur, bulbus parens in basi universaliter persistit, et proles dum explicatur, novum bulbum in basi sua constituit; uti in *Crocus*, *Antholyza*, caet.

Secundum Clar. Sprengel novi bulbi constant substantia quadam homogenea, et rudimenta squamarum primo observantur, postquam e corpore materno prolati, quadam specie radicis solummodo cum bulbo adulto cohaereant. Hae squamae prima aetate bulbi novi clausae sunt, neque initium scapi in suo medio invenitur; scapus formari videtur, quando bulbus aptam suam habet aetatem, et discus satis est solidus (1).

Quia plantae, quae bulbis gignuntur, iisdem proprietatibus sunt praeditae, quibus planta, qua bulbi erant sumti, quod in seminibus non sem.

(1) Sprengel, *Anal.* p 241.

semper locum habet, Botanici plerumque conantur, plantas bulbis potius, quam seminibus regenerare; hanc ob causam post plantae florescentiam adspergere eam desinunt, ne motu adscendente succorum semina maturescerent, atque eo motus lateralis succorum, quo bulbi novi oriuntur, nimis diminueretur (1).

Solent etiam abscindere scapum et folia post florescentiam, quo facto sine dubio, semina numquam maturescunt, et formatio prolis augetur; bulbi autem antiquiores vel fortiores saepissime et novos bulbos et semina fertilia utraque proferunt, quia sufficientibus instructi sunt viribus, ad succos nutritivos utroque modo, tempore statuto, secernendos (2).

Post descriptionem bulborum, nobis remanent tubera, quae sequenti capite tractabimus. Fuerunt Botanici, qui bulbos et tubera non nisi forma externa inter se differre statuerent (3). Alii (4) crediderunt differentiam esse minimam inter bulbos et tubera; quia autem haecce differentia vel magna vel parva, tamen certissime constat, non inepte mihi videtur, tubera seorsum tractare, quod igitur fiat sequenti capite.

(1) Sprengel, *Ueber den Bau*, p. 378.

(2) Sprengel, *Anl. zur Kennt.* p. 250.

(3) Brisseau-Mirbel, l. l. T. I. p. 136.

(4) Richard, l. l. p. 116. — Sprengel, *Ueber den Bau*, p. 378.

## C A P U T IV.

## SENTENTIAE BOTANICORUM DE TUBERIBUS.

## §. I.

*De ortu et structura tuberum.*

Tubera perinde ac bulbi ab antiquioribus Botanicis ad radicum classem referebantur. Clar. Sprengel vero (1), ea considerat veluti hybernacula, vel species gemmarum subterranearum, quibus natura curam et conservationem rudimenti caulis commisit.

Tuber corpus est carnosum, solidum, vulgo formae indefinitae, irregularis, volumine caulem multo superans, constans e tela cellulosa succulenta, compacta, vasis spiralibus intertexta (2).

Quod in antecedenti capite de bulbis monuimus, pro magna parte etiam ad tubera est referendum; quando v. c. tuber *Solani tuberosi* observamus, in primis eo tempore, quo sese magis evolvere incipit, in medio hujus substantiae corpus quod-

dam

(1) Sprengel, Phil. Bot. p. 91.

(2) Sprengel, Ueber den Bau, p. 117.

dam invenitur, quod maxime cum corpore solido vel disco bulbi convenire videtur (1).

Doct. Brisseau-Mirbel differentiam bulbum inter et tuber exiguum esse statuit; secundum virum doctissimum in eo solummodo differunt, quod in bulbis corpus solidum parvum sit, proportione illius corporis, quo planta futura includitur et tegitur, dum in tuberibus contrarium locum habere dicit (2).

Nobis tamen non ineptum videtur, differentias quasdam exponere, quae inter bulbos et tubera observantur, quia maxime contribuerunt ad eos peculiaribus capitibus pertractandos:

1°. Interna structura bulbi constat vasis et cellulis regulariter dispositis, in tubere non ita.

2°. Forma externa bulborum in iisdem plantarum speciebus semper eadem est, in tubere autem saepissime differt.

3°. In bulbis pars inferior corporis solidi fibrillas emittit, tubera contra alias ex apice, alias ex basi, alias ex tota superficie protrudunt.

4°. Tubera juniora prolongationibus quibusdam cum corpore materno cohaerent, neque ab eo separantur, antequam corpus maternum ipsum disparevit, dum bulbi juniores jam cito propriam suam

(1) Sprengel, *Anl.* T. I. p. 254.

(2) Brisseau-Mirbel, *I. I.* T. I. p. 91.

suam vitam agunt, et hiac conjunctione sine danno plane carere possunt.

¶ 15. q. Corruptio bulbi semper incipit eo loco, ubi scapus fuit impositus, quae inde magis magisque procedit; sed in tubere signa corruptionis ab omni parte, a margine externa usque ad partem suam internam proveniunt, quae porro per totum corpus sese extendunt. Sufficiunt, ni fallor, haec differentiae ad tubera a bulbis distinguenda.

Tubera sunt plantarum perennium, neque umquam in plantis annuis observantur (1). Corpus ejus solidum circumdatur communi strato celluloso, quae a subjacente parenchymate, saltem in tuberibus adultis, non facile est distinguenda (2). Cellulae magna copia pulveris amylacei sunt replete, quae nutritioni novae plantae inservit (3). — Ex parte carnosa parenchymatosa, tuber undequaque protrudit gemmas. Clar. Link ortum harum gemmarum locum habere statuit e fasciculo lignoso in tuber exeunte, qui in pulpa parenchymatosa vario modo distribuitur; quando dein fasciculi minores in quemdam convenient locum, rudimentum gemmae formant (4). Emittunt gemmae pro-

(1) Richard, I. I. p. 35.

(2) Sprengel, Ueber den Bau, p. 254.

(3) Brisseau-Mirbel, I. I. T. I. p. 90. — Link, Elem. Phil. Bot. p. 220.

(4) Link, I. I. p. 210.

productiones filiformes, e quibus porro ob succorum stagnationem nova oriuntur tubera. Distinguit Doct. Richard (1) tubera in simplicia, quae unicam tantum emittunt gemmam, ut in nonnullis *Orchideis*; in multiplicia, quando nonnulla tubera sunt conjuncta, et quodque tuber unam producit gemmam, e. gr. in *Saxifraga granulata*; et in composita, uti in *Solano tuberoso*, quando multae producuntur gemmae ex uno tubere.

Nonnullis igitur expositis ad tubera pertinentibus, videamus, quomodo respectu formae externae inter se different.

#### *Formae variae tuberum.*

Tubera nullam formam stricte regularem praebent, sed saepissime in iisdem speciebus variantur; difficile igitur erat Botanicis invenire terminos, quibus ea a se invicem distinguere possent. — Cl. Willdenow ad sequentes differentias tubera reducit (2).

*Granulata*, quae tuberibus parvis, quasi granulis constat, uti *Saxifraga granulata*.

Tes-

(1) Richard, l. l. p. 117.

(2) Willdenow, l. l. p. 11.

*Testiculata s. scrotiformis.* Duo tubera, rarius tria, sursum conjuncta, magis minusve rotundata, quae a superiore parte gemmam emittunt; in hacce forma distinguendum est tuber magis vetustum, e quo caulis ejusdem anni vemitur et nutritur, et tuber recentius, e quo caulis sequentis anni proveniet et nutrimentum hauriet (1), uti *Orchis mascula*.

*Palmata.* Plerumque duo sunt tubera, nonnumquam autem tria, compressa, versus finem ita divisa, ut quodammodo manum apertam representent; uti *Orchis latifolia*.

*Digitata.* Tuber versus finem, digitorum instar, divisum est, e. gr. *Dioscorea alternifolia*.

*Fasciculata.* Nonnulla tubera elongata, cylindracea, sursum conjuncta sunt, et fasciculum formant, uti *Ranunculus Ficaria*, *Epipactis nodus avis*.

*Conglobata.* Multa tubera, rotundata, sibi imposita, conjuncta totum constituunt, uti in *Heliantho tuberoso*.

*Pendula;* quando radiculae filiformes ad suas extremitates tubera gerunt; e. gr. *Solanum tuberosum*, *Spiraea filipendula*.

*Articulata;* alterum tuber ex altero provenit, ita ut totum videatur constare articulis cohaerentibus, nullis corporibus interpositis, uti in *Iride germanica*, *Ophioglosso vulgato*.

Mo-

(1) Brisseau-Mirbel, I. I. T. II. p. 619.

*Moniliformis*, eo differt a charactere praecedenti, quod tubera, corpore aliquo interposito, cohaerent, e. gr. in *Pelargonio tristi*.

Fuerunt Botanici, qui e forma tuberum signa distinctionis inter plantas unius speciei constitue-re voluerunt. Clar. Sprengel ita familiam *Orchidearum*, e forma tuberum distinxit, defectu autem aliorum criteriorum. Melius tamen est, sequi praeceptum a summo Linnaeo nobis traditum, nempe: „ si aliae supersunt notae, non „ ad radicem esse configiendum, quia in hortis „ non facile licet, plantas eradicare, in herbariis „ non facile radix transfertur, et in vivis plan- „ tis, radix se subducit nostris oculis.” — Quod praeceptum, nr fallor, etiam sine ulla exceptione ad tubera est applicandum.

## C A P U T V.

### OBSERVATIONES BOTANICORUM DE BULBILLIS ET TURIONIBUS,

#### S. I.

##### *De bulbillis.*

Ad gemmarum classem ab auctoribus bulbilli etiam referuntur. Corpora sunt parva, quae in axil.

axillis vel ad superficiem nonnullarum plantarum increscent et a planta materna abrupta, in terram radices emittunt, atque novam producunt plantam, plantae a qua desumpta sunt, plane similem. Plantae hisce corporibus praeditae viviparae dicuntur. Bulbillorum natura similis est bulbis propriis, et aequo ac bulbi tegmenta et rudimenta foliorum habent crassiora et succulenta (1). Nonnumquam squamosi sunt, uti in *Lilio bulbifero*, vel solidi uti in *Crino asiatico*; quando in axillis foliorum proveniunt, e. gr. in *Diasia*, axillares vocantur; florales dicuntur, qui pedunculis incident, uti in *Allio carinato*, *arenario*, caet. (2). Doct. Brisseau-Mirbel etiam monet de bulbillis, quos pericarpiales dicit et ab aliis bacilli vocantur; secundum doct. Hirum bulbilli hujus nominis evolvuntur in pericarpis, adhuc pedunculis suis plantae incidentibus, et locum occupant seminis, dum ista evolutione revera flores istius plantae efficere videntur. Exempla praebet in *Pan-cratiis*, *Agavis* et *Crino asiatico* (3).

Doct. autem Richard demonstravit, ea corpora non ad bulbillos pertinere sed revera esse semina, quae saepissime ad sumitus pericarpii ipoonit. ~~ad ipsius~~ ~~ad ipsius~~ ~~ad ipsius~~

(1) Link, Elem. Phys. Bot., p. 217.

(2) Brisseau-Mirbel, l. l. T. II. pag. 635:

(3) Ibidem T. I. p. 138. et T. II. p. 635:

sius magis sunt evoluta (1); etiam nos docet, ista corpora, sporae dicta, quae in plantis agamis evolvuntur, ut in *Filicibus*, *Lycopodiaceis*, *Muscis*, *Lichenibus*, aliis, tamquam bulbillos esse spectanda; si enim essent semina, embryonem includere deberent, qui germinatione partes suas iam existentes magis evolvit; ille embryo autem in sporis desideratur (2).

### *De turionibus.*

Restat nobis adhuc aliquid memorare de turionibus, quae ad eandem classem, cui bulbilla et tubera pertinent. Huc usque auctores exiguam mentionem horum corporum fecerunt, ab antiquioribus vero omnino fuerunt neglecta. Linnaeus quidem, de gemmis subterraneis loquens, bulbos solummodo ad eas restrinxit: „quae vero „parvae sunt,” ita inquit, „vix apud Botani- „cos nomen et famam meruerunt” (3).

Clar. Ludwig vocat turiones, gemmas ex radice provenientes, quae formantur eo tempore in radice, quo ipsa planta marcessere incipit. Turio

tan-

(1) Richard, l. l. p. 118.

(2) Ibidem.

(3) Linnaei, Amoen. Acad., Vol. II. p. 186.

tantum propria est radicibus plantarum perennium, et sua evolutione, quoque anno novam producit caulem; cum arborum gemmis maxime convenient; occurunt enim turiones foliaceae, petiolaceae, fulcraceae et fortasse etiam stipulaceae (1); sed origine subterranea ab illis distinguuntur. Bulbi praecipue magnitudine a turionibus differunt, quae ante tempus vegetationis enim vix sunt percipientiae (2).

Clar. Link turionem vocat gemmam, quae ante explicationem vel divergentiam foliorum elongatur (3); sic partes *Asparagi officinalis*, quibus utimur verae turiones sunt hujus plantae. Forma earum est indefinita, vulgo rotundata.

Sic igitur primae hujus commentationis partis finem imponimus, Botanicorum nempe sententiis de gemmis expositis; transeamus nunc ad alteram partem, in qua videbimus, quid nonnulli Botanici, rationibus teleologicis innixi, de gemmis docuerint.

(1) Decandolle, l. l. T. II. 215.

(2) Brisseau-Mirbel, l. l. T. I. p. 137.

(3) Link, l. l. p. 210.

## **P A R S S E C U N D A.**

### **RATIONES TELEOLOGICAE IN PLANTARUM GEMMIS OBSERVANDAE.**

**S**i quidem naturae contemplatio maxime placet illis, qui solummodo rerum mirabilem structuram et partium formam externam cognoscere volunt, quanto magis iis placebit, qui consilium, cui omne creatum est, indagare conantur; nonne etiam decet illos, qui soli naturae perscrutationi sese tradunt, Deum revereri, qui omnia vel minima, tanta sapientia condidit? Quando aliquis artifia humana considerat, nonne statim cogitat de artifice, cuius industria haec perfecit; quid igitur de eorum sententia cogitandum, qui, ubi mirifica divinae sapientiae opera ubique vident, Deum Creatorem negare cupiunt? Attamen non solum fuerunt inter antiquiores, sed etiam inter recentiores, viri, magno ingenio praediti, qui existentiam rerum Creatoris et Gubernatoris negaverunt, atque om-

omnium rerum originem ex rudimentis corporeis explicaverunt. Major autem fuit secta eorum, qui, quamquam existentiam Dei confiterentur, tamen negabant, omnes res ad certum finem creatas fuisse. Majori autem naturae indagatione permulta argumenta proveniebant, quibus luculentissime patuit, eos erravisse, qui illius fuerunt sententiae, dum copia Atheorum dein etiam valde est diminuta.

Errores antiquorum Philosophorum. hac de re potius sunt ignoscendi, quam recentiorum; traditionibus nimirum de mundi creatione plane carebant, neque Dei existentia iis nota erat, saltem Potentia et Sapientia Summi Numinis tam perspicue iis non erant expositae, quam recentioribus.

Sequenti autem tempore, varii auctores, verae religionis amore, conati sunt, rationes antiteleologicas refutare, sed quia multis eorum magna naturae notitia defuit, saepissime falsa documenta protulerunt ad suas sententias stabiendas, itaque nova arma quasi suis oppugnatoribus tradiderunt, qui hisce magis magisque falsis suis opinionibus affirmabantur. Bona naturae notitia igitur maximi erat momenti iis, qui hisce studebant et documenta e regno animali in primis inserviebant ad doctrinam causarum finalium illustrandam. Regnum vegetabile autem ista documenta non minori copia protrulit, et quaeque pars plantae nobis finem demonstrat, ad quem formata est.

Prius-

Priusquam ad ultimam hujus commentationis partem transeamus, in qua rationes teleologicas a compluribus Botanicis in plantarum gemmis observatas, quantum possumus, enumerare conabimur, breviter explicare debemus, quid nobis visum sit, rationibus teleologicis intelligendum est.

Causarum finalium doctrina *Teleologia* ( $\alpha \tau \epsilon \lambda \delta \varsigma$ , finis) dicitur. Causarum nomen autem huic rei datum improprium nobis videtur; causa enim semper effectum praecedere solet, cuius contrarium hac in re locum habet. *Fines ultimos* (*eindoogmerk*) igitur magis cum re ipsa convenire quam *causas finales* (*eendoorzaak*) satis patet. Sed de vocibus non est disputandum, videamus potius, quid voce *causarum finalium*, ab omnibus auctoribus usitata, sit intelligendum.

Finis cuiusvis rei dicitur *Id*, propter quod res ipsa est qui non observatur in illis rebus, quae sine causa, quadem rationali sunt confectae. Quando nunc illum finem tamquam causam considerare velimus, propter quam una vel altera est formata, *causa finalis* tunc vocatur; illud principium autem, quod agit ad finem propositum concipiendum, *causa efficiens* dicitur. Doct. Krug causas finales dividit in *subjectivas*, et *objectivas*, *formales* et *materiales*, *externas* s. *relativas* et *internas* s. *absolutas* (1). Ex ipsis voci bus,

(1) Krug's, *System der theoretischen Philosophie*, A. 1808. T. II, p. 146—147.

bus, ni fallor, satis patet, quid variis hisce terminis sit intelligendum, praeterea de hisce nominibus egregie egit et exemplis perspicuis differentiam inter ea illustravit J. van der Hoeven, in disputatione sua, *de causarum finalium doctrina, ejusque in Zoölogia usu* (1)

Variae fuerunt sententiae ab antiquioribus Philosophis, hac de re prolatae. Thales Milesius, sectae Jonicae conditor primus de rerum natura ex ingenio disputavit, atque omne ex causis physicis ortum fuisse statuit, quem secuti sunt Anaximander, Anaximenes, Heraclitus et Empedocles. Anaxagoras, Anaximenes discipulus, Socratis praceptor, totum se Philosophiae studio dedit, et statuit, mundum non causis physicis sed revera a quodam Creatore formatum fuisse, cuius natura non erat corporea, sed ipso ingenio inclusa. Leucippus, Philosopher Abderita, contrariae fuit sententiae; primus est, qui atomos tamquam omnium rerum principia statuit. Democritus et Epicurus hanc doctrinam postea magis explicaverunt, quam Romanorum Philosophus et Poëta, Lucretius, sequenti tempore, carmine quodam *de rerum natura* defendit. Socrates et dein Plato et Aristoteles sententiam Creatoris cuiusvis existentiae as-

(1) *Nieuwe verhandelingen van het provinciaal Utrechts Genootschap*, D. III. A. 1824.

assumserunt, et causas finales in rerum natura adesse demonstraverunt. Zeno, scholae Stoïcorum conditor, naturae comparatione cum arte docuit, quanto natura artem superet in omnibus suis operibus, maxime veneratus est providentiam sapientissimam et benignissimam.

Inter Romanos scriptores, Cicero in primis est enumerandus, qui copiam Atheorum debellavit et scriptis suis sententiam Stoïcorum stabililivit (1). — Duobus fere saeculis post eum praeterlapsis, Galenus e corporis humani fabrica, sapientiam et omnipotentiam Summi Numinis demonstravit (2). Inter scriptores Christianos, qui hanc rem tractaverunt, laudandi sunt Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Lactantius, aliique (3).

Inter recentiores, qui doctrinam causarum finalium refutare conati sunt, acutissimus Philosophus Anglus, Baco Verulamius, praincipue memorandus est. Rationes teleologicas steriles vocat, et tamquam virgines, Deo consecratas, nil parientes, eas considerat. Sequitur Descartes, vulgo Cartesius dictus, qui putavit: „ se non abs-

, que

(1) Cicero, de Natura Deorum, Lib. II.

(2) Galenus, de usu partium corporis humani, Lib. XVII.

(3) W. Paley, *Natuurlijke Godgeleerdheid*, vertaald door J. Clarijsse, Voorbericht, p. 15—19.

„que temeritate fines Dei investigare posse (1).” Sententiae hujus philosophi pro maxima parte tam en a fervido religionis Christianae defensore, Robert Boyle et Cl. Cudworth sunt eversa (2). Spinosa, Maupertius, de la Mettrie aliique dein, vel minori sensu bellum causis finalibus induxerunt, alii uti Buffon, d'Argens, Toulmin, Hume, pulcherrimis disputationibus eas suffodire conati sunt, sed viri doctissimi, uti Ray, Fenelon, Derham, Bonnet, Trembley, et in patria nostra Nieuwentyd, Martinet et prae caeteris Clar. Uilkens, omnes suas intenderunt vires ad causas finales, quae in ipsa natura observantur exponendas neque sine fructu in hisce conaminibus, ad laudem Summi Numinis ex suis operibus magis magisque stabiliendam, desudarunt.

Sed uti in plurimis rebus, sic etiam in hisce, valde difficile erat medium calcare viam. Contra oppositiones antiteologorum saepissime hujus doctrinae defensores, exempla ridicula atque nullius pretii afferebant. Saepissime etiam in omnibus rebus fines quosdam monstrare voluerunt, atque ita extra limites doctrinae causarum finalium transgressi sunt. Quis enim negabit, doctrinam eorum,

(1) Med. Metaph. IV. p. 26. A. 1654.

(2) John. Ray, *Gods wijsheid geopenbaard in de werken der Schepping*. 1779. Tom. I. p. 30.

rum, qui statuunt, Deum Adamantem creavisse, ut ornamentum esset Matronis Europeis, vel publices ad homines munditię docendam, illam doctrinam vix aliquid attribuisse ad Teleologiam stabilendam. Quamquam igitur Philosophia Kantiana non omnino cum ista Teleologorum ejusdem temporis convenit, multum tamen Philosopho illi germanico debemus, quia indolem et usum hujus doctrinae egregie exposuit, et terminos indicavit, intra quos causae finales sunt retinenda.

Ad duas conditiones, omnia referre possumus, quae in quodam corpore finibus aptata esse vindentur:

I. Ut harmonia adsit inter omnes partes illius corporis.

II. Ut singulæ partes usui horum organorum sint adaptatae.

In causis finalibus inquirendis cavendum igitur est, ne usus fortuiti et fines veri inter se confundantur, quo sequitur perspicuam rei cognitionem non tantum utilem sed pernecessariam esse iis, qui huicce doctrinae quidquam conferre velint.

Videamus nunc, quid nonnulli auctores de causis finalibus in plantarum gemmis et gemmatione observandis docuerint, de quibus, quamquam præcipuas mihi videantur quaestionis partes agere, tamen non multum dicendi inveni, propter exiguum mentionem a Botanicis hac de re factam. Quae de iis invenimus, tradere conabimur.

Omn-

Omnis fere auctores convenient gemmarum sinem in genere in eo consistere, quod futuram plantam intra se reclusam, ab aetis saevitia durante hyeme, et caeteris injuriis externis custodiant. Hinc fuerunt inter antiquiores, qui gemmas plantarum in regionibus zonae torridae adesse negarent, et omnes plantas regionibus frigidis gemmis praeditas esse contenderent. Haecce theoria tamen non plane est admittenda; in utramque regione enim plantae sunt, quae contrarium probant; sic *Rhammus frangula*, arbor *Sueciae* indigena, gemmis caret; sed hujus rei causa non alte est repetenda, hisce tegumentis non opus est; habitat nimirum sub arboribus, in nemoribus paludosis, cum aliis plantis a saevitia hyemis defensa (1). In *Palmis* contra adsunt gemmae, quamquam sint arbores regionibus tropicis propriae, quae in septentrione vivere non possunt. Operae pretium igitur esse censem. Clar. De Candolle vegetationem sequi arborum ejusdem speciei in regionibus, quod ad temperaturam valde diversis, ad cognoscendum: 1º. Num arbores, quae per longum temporis spatium in climate calida, et terra valde fertili sunt positae, cessarent gemmas formare, et 2º. quando sola natura hoc non

(1) Lianaei, Amoen. Acad., Tom. II. p. 188, in annot:

perfecit, num tamen cultura esset efficiendum (1).

Ad sententiam probandam, totam gemmarum structuram fini supra memorato respondere, singulas earum partes considerare debemus. Videamus igitur, primo loco, quid de squamis sit statuendum.

Squamariū munus praecipue in eo consistit, ut partes interiores tegant et caveant, ne pluvia ante earum evolutionem penetret; magno igitur numero tenuillam herbam circumdant, perfecte sese ubi vis tegunt, et praeterea materie quadam resino-viscosa obductae sunt, quae solummodo alchohole, sed non aqua solubilis est. Clar. Sprengel per aliquot hebdomades gemmas *Aesculi Hippocastani* aquae submersit, petioli vulnere cera sigillari clauso et observavit partes internas nullos modo humectari (2). Dürities squamarum exteriorum, quae per majorem evaporationem ab actione aëris et luminis locum habet, multum quicque confert ad suacos internos retinendos; squamae enim interiores succulentiores, tunc non amplius vapores emittere, neque exsiccati possunt, et ista duritie praecipue futuram plantam defendunt, ne rebus externis sibi obnoxii laederetur. Modus etiam, quo invicem sunt conjunctae, non minoris est momenti;

(1) De Candolle, *Organ. Veg.* Tom. II. p. 217.

(2) Sprengel, *Anl. u. s. w.* Tom. I. p. 242.

ti; impedit enim, quo minus frigus penetreret, et eo magis, quia quaeque squama certam continet quantitatem aëris ligati, et nonnullae ad superficiem exteriorem, aliae etiam ad interiorem pilis mollibus sunt tectae (1). Nonnullis arboribus et fruticibus, squamae plane desunt, sed species lanae adest, quae squamarum officio fungitur; e. gr. in *Viburno Opulo* et *Ptelea trifoliata*. Sunt etiam gemmae, quarum partes tenues neque squamis, neque pilis, neque matere resinosa, neque ulla specie tegmenti gaudent, quae tamen hyēmis vigori resistunt; sed earum partes tam arcte sunt conjunctae, et ad se invicem applicatae, ut frigoris obnoxii resistere possint (2). Existunt etiam geminae, quae nullis tegumentis obductae, durante hyeme in petioli cavitate latent, ita teguntur, atque dein, quando majori succorum actione, verno tempore magis crescunt, petiolum e suo loco extrudunt (3). Maxime utilitatis etiam sunt in *Gramineis*, in quibus locum corollae et calicis occupant et calicem in plerisque floribus compositis constituant.

Mirabilis illa partium complicatio intra gemmas præ caeteris sapientiam Summi Numinis nobis

(1) De Candolle, I.

(2) Koeler, *Lettre sur les boutons, etc. dans le Journal de Physique*, Tom. LX. p. 357.

(3) Ibidem.

(4) *Phys. Vig.* Tom. I. p. 589.

bis ostendit. Quis enim, haecce adspiciens crede-re potest, illam complicationem absque ullo fine et quasi fortuito ita esse constructam? Quam egregie ex hisce denuo nobis apparet, artes humanas nil valere, quando cum operibus naturae eas comparamus. Omnes partes ita sunt plicatae, ut mi-nimum spatium occuparent, et situ eo coärctato partes tenues non laedantur, vero tegantur, et calor proprius internus retineatur. Differt compli-catio pro diversa magnitudine, forma et structura foliorum futurorum, et magnitudo, forma et sub-stantia ipsius gemmae adaptata est iis, quibus indi-get planta. Sic enim, e. g. *Aesculus*, *Tilia*, *Quercus* et *Juglans* arbores sunt magnis foliis praeditae, gemmae autem, ex quibus proveniunt, valde differunt. In *Aesculo* nimirum et *Tilia* sunt magnae, in *Quercu* et *Juglande* contra parvae. Causa hujus rei in eo posita esse videtur, quod lignum et caeterae trunci partes in illis minorem habeant duritatem, vasa ampliora sint, atque eo succorum motus celerior fiat, quam in his. Folia ac flores *Aesculi* et *Tiliae*, majori igitur defen-sione contra hyemis obnoxia egent, quam *Quer-cus* et *Juglans*, quorum folia etiam multo cras-siora sunt (1). — Saepissime etiam gemmae folii-ferae, quae floriferis adstant, folia simplicia et

(1) Conf. Oratio habita a viro Clar. Kops, die m. 16. Dec. 1831, in sessione primae classis Societatis regiae.

sessilia proferunt eo fine, ut ista contractione, expansio in florū evolutione major esset.

Situs gemmarum valde notabilis est, et causae finales in earum distributione regulari etiam sunt observandae. Ut supra memoravimus (Cap. II. §. 3.) hic situs non varius et mutabilis est, uti Botanicis minus peritis videri possit, sed ad certas leges determinatus. Foliorum functiones primariae nimurum in eo consistunt, ut rorem assurgentem absorbant, et aequilibrium inter principia aeris atmosphaericī, gaz oxygenio exhalando, restituant. Dispositio gemmarum ergo in caule requiritur, quae omni modo est accomodata, ut folia post evolutionem e gemmis, utramque functionem optime peragere possint. Dilucide patet, quando gemmarum situm spectamus, quantum provida Natura, hisce legibus satisfecerit; in variis situs speciebus, gemmae semper ita sunt dispositae, ut, post evolutionem, alterum folium non ab altero noceatur. Quia non in eadem linea verticali sunt impositae, vel quando hoc fit, spatium satis magnum inter eas adest, ut ab omni parte aere atmosphaericō circumdentur, et quia nullum folium luce solari caret, superiora perinde ac inferiora, rorem adscendentem absorbere possunt, atque inferiora aequa ac superiora pluvia humectantur (1).

Si

(1) Bonnet, *Recherches ect.* Mém. II. p. 160. — De Candolle, l.l. Tom. I. p. 330.

Si tempus consideramus, quo gemmae evolvuntur, videbimus, gemmas fructiferas per longum temporis spatium ante foliiferas ramis insidere, et has multo citius explicari, quam illas. Causa hujus rei facile explicanda videtur: propter organa magis composita et nobiliora, gemmae fructiferae, majori tempore egent, ad suam formationem et explicationem (1). — Satis cognitum est, arbores juniores raro gemmas fructiferas emittere, quando autem, uti nonnumquam observatur, hoc locum habet, videmus etiam, arborem numquam valde magnam fieri; finis igitur eo nobis quoque valde laudabilis videtur (2).

Quae de gemmis stricte dictis monuimus, quodammodo ad bulbos quoque sunt applicanda. Quamquam nutrimentum sit exhaustum e tunicis vel squamis praecedentium annorum, quae bulbum circumdant, tamen sub forma membranarum persistunt, quia sua multitudine novos bulbos contra frigorem et humiditatem defendunt. Nonnulli etiam sunt bulbi, quorum tunicae aequa atque arborum gemmae, quadam specie lanae vel ab exteriori vel ab interiori parte sunt obductae, e. gr. in *Tulipis*.

Natura in suis operationibus semper iis utitur legibus, quas ad finem sui operis idoneas censet, ne-

(1) Sennbier, I. I. T. IV. p. 191.

(2) Uilkens, *Redeyeringen enz.* D. IV. bl. 253.

neque ullam rem ab ea formatam, imperfectam dicere possumus. Nonnumquam nobis videtur, unum alterumve organon·cuidam corpori deficere, post indagationem autem magis accuratam semper appareat, alio quodam organo illud optime esse restitutum. Egregium hujus providentiae exemplum nobis offert *Colchicum autumnale*. Tempore enim autumnali florescit et semina sequenti vere proveniunt; mirum igitur videtur, quomodo semina per hyemem maturescere possint, sed maturatio sub terra, in ipso bulbo locum habet, et semina verno tempore simul cum foliis e gremio terrae protruduntur (1).

Quando ad usum domesticum, et therapeuticum gemmarum attendere volumus, latissimus campus nobis aperitur. Sic e. gr. Turionibus *Asparagi*, *Solanis tuberosis*, variis speciebus *Alliorum*, uti *Allio Cepa*, *satiyo*, *Porro*, *ascalonico*, aliis quotidie utimur. Sic quoque medicamenta usitatissima, ex iis parantur; squamae bulbi *Scillae maritimae*, optimum nobis proferunt diureticum; Alia vim antihelminticam habent; *Colchicum autumnale* drasticum praebet violentissimum.

Sed liceat nobis hic finem imponere; nimis longum foret, et vires meas juveniles superaret, omnes usus explicare, quos variae gemmae nobis praebent; neque in quaestione desideratur. Causas au-

(1) W. Paley, *Natuurlijke Godgeleerdheid*, p. 472—474.

autem finales, quae ad gemmas in genere pertinent, ea, qua fieri potuit brevitate ac perspicuitate explicare studuimus. Pergratum mihi erit, Viri Clarissimi! si vobis in respondenda quaestione satisfecerim, et fore ut haec qualiscumque commentatiuncula, benevolentia vestra non plane videatur indigna, etiam atque etiam spero. Si vero aliquis felicior fuerit in quaestione percipienda et solvenda, in his verbis consolationem quamdam querere conabor:

„ Je me suis livré avec un extrême  
„ plaisir aux sentiments d'admiration,  
„ que celles-ci ont excité chez moi,  
„ pour cette Sagesse Adorable, qui a  
„ si bien approprié les Moyens à la  
„ Fin. ”

**BONNET.**

### E R R A T U M.

*Pag. 49. initio omitte: floriferas, quam*

THEODORI ADRIANI VAN SCHERMEEK,

R H E N O - T R A J E C T I N I ,

M E D I C I N A E I N A C A D E M I A R H E N O - T R A J E C T I N A  
C A N D I D A T I .

R E S P O N S I O

A D

Q U A E S T I O N E M

A N O B I L I S S I M O O R D I N E M E D I C O R U M  
A C A D E M I A E R H E N O - T R A J E C T I N A E

P R O P O S I T A M :

„ Quaeritur, quomodo Febris intermittens apo-  
„ plectica ab aliis morbis, cum quibus facile  
„ confunderetur et symptomatibus et decursu dis-  
„ tinguatur? Quaenam sint causae, imprimis pa-  
„ triae nostrae propriae e quibus ortum ducit?  
„ Quaenam sit morbi natura et ratio curandi? ”

Q U A E P R A E M I U M R E P O R T A V I T

D. XXVI M. MARTII A. MDCCXXXIII.

---

Слово о полку Игореве

МЕДИЦИНСКИЙ КРУГ ГРИГОРИЯ ПРОКОПЬЕВА

СЛОВО О СЛУЖБЕ ВОЕННОМУ

СЛОВО О МИЛОСЕРДИИ КОМПАНИИ ПОМОЩИ

СЛОВО О БЛАГОДАТИ БОЖИИ

## PROÖEMIUM.

Omnes omnium charitates Patria una complexa est! Sic veteres censebant (1), sic item nos judicare oportet. A teneris inde haec cogitatio mihi adfuit, ita ut Patriae aliquando inservire in dulcissimis votis mihi esset.

Quum igitur ante hoc biennium Patria, inopinata Belgicarum rerum catastrophe, omnes ad arma vocaret, nullus dubitavi, relictis studiis, profocis et aris pugnare carumque natale solum, ab insidiosae turbae iniquitate defendere. Nulla enim studia sine Patria, sine libertate.

Redux, cum studiis denuo operam navarem, ecce! hoc ipso anno horrendus cholera morbus omnibus medicinae studiosis officium imponit Patriae afflictae succurrendi et omnes intendendi vires,

(1) „Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnium charitates Patria una complexa est.” Sic summus Romanorum Cicero jam suo tempore effatus est, — Imo Patriae amorem inter officia primaria retulit.

res, ad tristissimum morbum debellandum, studiis tunc iterum magna ex parte intermissis, gravissimae fatalis morbi curationi studere incepi, quo et opportunitatem, unam omnium raram, haud amitterem ut re vera Patriae juveniles vires consecram.

Etsi, hac difficultate, accedente concursu studiorum academicorum, depresso essem, Quaestio tamen a Nob. Fac. proposita, propter argumenti et suavitatem et gravitatem, ita continuo mihi arrisit, ut nullus dubitaverim et meum σύμβολόν conferre cum iis, qui ejus responsionem aggressuri essent; cum apud me constet, tum demum rite Patriae commodis inservire medicum, si in cognoscendis, quae imprimis ei propriae sunt, affectionibus studium posuerit. Eo lubentius igitur hanc Quaestionem tractandam mihi sumpsi, quo maiores in praxi aliquando fructus inde percepturus esse, mihi visus sum.

Nequaquam autem vestro V. V. C. C.! judicio meam submittere commentationem ausus fuisse, nisi apud me de doctorum et eruditorum viorum, in nostris Academiis, humanitate et benevolentia in dijudicandis studiosorum primitiis constaret, quippe quae virilem referre laborem nullo modo possint.

In commentatione autem conscribenda ita versatus sum, ut quae de nostro argomento, in optimis, quae quidem mihi parare et consulere

po-

potui, fontibus, invenirentur, studio perlegerem et judicio adhibito inter se compararem.

Imprimis vero operam dedi, ut causas Patriae proprias, quantum potui colligerem et exponerem, quandoquidem tum demum e mente Consult. Fac. responsurus mihi esse viderer, si ea exponerem, quae hunc morbum Patriae genuinum reddunt.

Morbi naturam tradere perdifficile mihi erat, cum pauca modo de ea apud scriptores recentiores invenirem, quas veteres habent de ea theorias, hae mihi videbantur ita a Physiologiae studii hodierna conditione aberrare, ut eas assumere nullo modo immediate potuerim. Melius igitur duxi sensim sensimque ex febrium universarum contemplatione, tandem Febris intermittentis apoplecticae naturam derivare et explicare. In ea igitur exponenda semper in animo habui, de Febre intermittente hic esse sermonem. De Prognosi pauca tantum disputavi, quippe quae, nisi dato casu morbi, nimis generalis sit.

Curationis denique partem ita absolvi, ut priusquam exponerem, quae veteribus cognita fuerit curandi methodus. Dein sequitur illa, quae hodiernae medicinae propria est.

Tandem dissertatiunculae, appendicis loco, adjeci duos casus morbi, quorum alter a me est observatus et elaboratus. Ea de causa hos commemoravi, ut his quidem omnia symptomata, de cur-

cursus et curatio morbi, abunde repeterentur; ut sic conscripta commentatio qualemcumque morbi dati monographiam contineret.

In hisce conscribendis et perficiendis, sic nobis agendum esse proposuimus, ut neque Boerhae-  
vium, neque Stollium, neque Brownium,  
neque Sthalium, neque Saüagesium, ne-  
que Pinellium, neque Reilium, neque Sel-  
lium, neque Broussavium absolute sequére-  
mur, in opiniobus, singulis his viris fere propriis.  
Amicus enim Socrates, amicus Plato, sed  
magis amica veritas.

In dulgentiam vestram V. V. C. C. ! in hocce opusculo dijudicando, iterum ex animo invoco. Cum enim tristis rerum clades Rei Publicae nos-  
trae continuo in animo afflito agitatur et satis precariam nostram reddit conditionem, ita ut ad studia sériora fere inepti sumus, cum simul mor-  
bus Epidemicus etiam exiguae meas vires alibi  
vocabit, ita ut nunc humanitatis gratia, pro vi-  
ta et sanitate proximorum contendere et omnes  
vires consecrare inter dulcia habeam officia, quid  
enim humanius, vel homine etiam christiano dig-  
nius est, quam aliorum malis commoveri perinde  
ac si suae essent. (Mead).

Scripti A°. MDCCCXXXII.

## INTROITUS.

Ingens febrium intermittentium numerus earumque antiquitas, praecipue tamen epidemiae ex iis ortae, quae saepius patriam nostram tristi clade affecere, has ipsas febres tanto nomine insigniverunt, ut vix, vel ne vix quidem sit aliquis, etiamsi rei medicae prorsus ignarus, qui, si de febribus intermittentibus sermo sit, se argumentum ignorare testetur (1).

Non

(1) Tantus enim earum numerus apud nos est, ut, Italia fortasse excepta, nulla fere regio febribus intermittentibus copiosior inveniatur quam patria.

Conf. H. F. Thijssen, M. D. *Geschiedk. beschouw. der ziekte in de Nederl.* pag. 112 seqq.

Sebastiaan, M. D. et Prof. in ac. Heidelb. *Beschrijving der tusschenpozende moeraskoortsen*, vertaald door J. Houtman, 1<sup>e</sup> deel. praef.

M. Dolleman, M. D. *Disquisitiones historicae de pleurisque apud Belgas septentr. endemiiis morbis*, pag. 1.

J. Banga, M. D. *Verh. der epidemische ziekten*, welche in 1826, in de noordelijke provinciën der Nederl. hebben geheerscht, ubi pag. 8. haec leguntur. „dat tusschenpozende koortsen „tot de landziekte van alle moerasige gedeelten der aan zee

A

ge-

Non mirum igitur, huncce periodicum morbum, nisi malignis stipatur symptomatibus, sed consueto stadio paroxysmos suos et apyrexias ad finem usque percurrat, a medicis facilime dignosci et curari.

Accidit autem aliquando, ut epidemice aut sporadicē grassantes hae febres characteres sibi assumant, qui aegroto perquam noxii sint habendi. (1)

Horrenda epidemia, quae patriae pulcherrimas provincias, Groningenam et Frisiacam, aliquot adhinc annis devastavit, malignitatem febrium intermittentium extra omne dubium posuit, (2) et docuit, hanc febrem, si causis universalibus, vehementer nocentibus, excitetur, adeo saevire posse, ut victimas plures sibi postulet, quam epidemia ista, quae plures jam per annos, ingressu suo letifero, totum orbem perlustrat, et hodie eheu! ad patriae fines jam accessit; epidemia quae ab omni fe-

„ gelegene Nederlandsche provinciën behooren, zal door nie-  
„ mand worden ontkend. Het is vast zeer bevreemdend hier  
„ bijna dagelijks van dezen te hooren spreken, terwijl ginds op  
„ eenen geringen afstand van weinige uren in dezelfde pro-  
„ vincie de naam naauwelijks bekend is." Porro haec habet: „ In  
„ Friesland heeft de landstaal daarvoor eene bijzondere bena-  
„ ming, *Tijenst* noemt men eenc tusschenpozende koorts; ter-  
„ wijl men *Goarre* eene aanhoudende noemt."

(1) Sebastiaan, tom. cit. pag. 112.

(2) Cf. Specimen medicum inaugurale de *Epidemia Groningana* ab J. Nijhoff in academia Rheno-Trajectina publice defensa.

fere timetur et de qua, priore anno tam egregie cecinit noster poeta. (1)

Saepius autem accidit, ut febris intermittentis, vernalis imprimis, character adeo sit initis et benignus, ut febris re vera tanquam alicujus materiae nocivae in corpore haerentis, benevola extricatrix sit habenda, in quam igitur quadrat Hippocratis dictum, quod item patrio sermone poetice effatus est magnus ille poeta, idemque medicus, qui nunc scientiis et artibus fere cunctis, morte eheu! ereptus est. (2)

Latiore quidem sensu febrem intermittentem larvatam eam dicere solent medici, quam comitatur interdum affectio quaedam, quae durante paroxysmo accedit cujusque duratio irregularis est. Plerumque haec affectio ex ipsius corporis fabrica aut constitutione ortum trahens, ipsa febre gravior est et periculosior, sed non ita obfuscata febris intermittentis characterem, quin haec dignosci possit. Hujus generis sunt ventriculi affectiones, nausea, vomitus, ardor etc. (3)

Aliquando maligna quaedam affectio, non e cor-

po-

(1) Cf. *Verwelkoming enz.* na de wederkomst der leerlingen van de Utrechtsche hogeschool door Adam Simons, pag. 13.

(2) Cf. Mr. W. Bilderdijk *de ziekte der geleerden* 1ste -zang, pag. 17.

„De ziekte is helingkracht, maar geen verdervingszucht.“

Cf. etiam Werlhof, Op. med. pag. 158—164.

(3) Cf. Torti, pag. 177. lib. 3. c. 1.

poris fabrica deducenda, adeo tegitur (1) febris intermittentis praesentia, sub mendaci alterius affectionis larva, ut obfuscata febris, ab ipsis medicis accurate haud examinantibus, non dignoscatur, et symptoma illud febrem obfuscans, tanquam genuinus morbus habeatur et tractetur; febris igitur genuinus hoc loco morbus, non tantum non supprimitur, sed medicatione et cura contra aliud vitium institutis, vehementius stimulatur unde exacerbatur et in veram aegrotantis salutem, et in medici famam, perniciose tendit (2).

Hisce febribus nomen dederunt febrium larvarum, quae a febribus intermittentibus comitatis sic distinguendae sunt, ut illae tanquam genuinae febris intermittentis species dignoscantur et tractentur (3).

Haud ita facile distinguitur, quando de febre

in-

Popken, M. D. *Hist. Epidemiae* ann. 1826, Jeverae observatae, pag. 144 seqq.

Burserius, *Instit. med.* vol. 1. pag. 1. §. 70.

Senac, lib. 1. pag. 113. *de recond. febr. interm. tum remitt. natura.*

(1) Cf. Stracke, *Obs. de Febr. interm.* pag. 105.

Nijhoff, *Op. cit.* pag. 4, 5 et 72 seqq.

(2) Cf. *Waarn. over de vermomde tusschenpozende koortsen*, door M. de Haan, Heelmitte Stedum, in de vaderl. Letteroef. van 1821, pag. 560 seqq.

(3) Hecker, *Kunst die Menschliche krankheiten zu heilen*, Erfurt 1813. tom. 1. pag. 162 eas febres *Verlaryte, un-deutliche vocat.*

Reil., *Erkentniss. und kur der Fieber*, tom. 2. pag. 123. de his nomine *verkappte* disputat.

intermitente, e. g. apopletica, sermo sit, utrum intelligatur febris intermittens apoplectica comitata an larvata. Haec autem diagnosis, casu dato, ex rebus adjunctis instituitur. Utraque species curam antifebrilem requirit, larvata autem majorem, intensiorem et strictiorem quam comitata, cum in illa febris tantum debellanda sit, haec autem simul sibi vindicat curam affectionis ex causa corporea deducendae.

Optimi et principes de his febribus scriptores salutantur: Valesius, Mercatus, Morton, Ramazzini, Frassoni, Torti, Werlhof, Lauter, Senac, Rahn, Cleghorn, Medicus, Lister, Comparetti, Lanoix, Bouillon, Comte, Bailly de Blois, Albert, Cranen.

Latet febris intermittens aliquando sub cuiuscunque morbi forma (1) e. g. sub syncope, cardialgia, cephalalgia, hemicrania, colica, pleuritide, vel etiam sub exanthematibus, vel denique sub affectione soporosa. Haec ultima forma in primis maxime letalis et perniciosa habetur (2).

Varii soporis gradus, sub quibus febris latet, determinare solent morbi denominationem.

1°:

(1) Cf. Senac, I. l. pag. 77. Mollen van Eldik, *pract. tijdschr.* 3<sup>de</sup> suppl. - band. 1<sup>ste</sup> st. p. 1-12.

Stracke, Lib. 2. pag. 105-173.

(2) F. C. Medicus in ejus *Beob. aus die Arzneywissenschaften*, Tom. 2. pag. 350. talis febris historiam nomine *sodten oder schlagflussz oder schlaffieber* commemorat.

1°. *Febris interm. comatosa* dicitur quando nempe sub paroxysmo, continuo dormiunt aegrotantes sed tamen e somno resuscitari possunt.

2°. *Febris interm. lethargica*, quando iterum resuscitari possunt aegroti, sed licet expergefacti mentis suae concii non sunt et delirant.

3°. *Febris interm. narcotica* dicitur quando somnus adeo profundus est, ut nullo modo expergefieri possit aegrotans.

4°. *Febris* tandem dicitur *apoplectica*, quando enumeratis symptomatibus se adjungitur respiratio stertorosa et facies livida (1).

Hae denominationes, quae varios affectionis gradus determinant aliquo pretio sunt habendae.

*Febris interm. apoplectica* est morbus, qui vel epidemice vel endemicē vel sporadicē grassatur. Anno hujus saeculi 1808, 1809, adhuc epidemicē grassata fuit. Praecedente anno in castello Antwerpianum multos occidit milites, in Zelandia saepius occurrit, neque in observatione quotidiana morborum adeo infrequens est, quin a medicis frequenter omnibus observari obleat.

Fe-

(1) Cf. P. G. Werlhof, *Op. med.* ab J. E. Wichmann, *collecta*, pag. 50 seqq.

W. F. Büchner, M. D., et al. pag. 465. *Geneesk. handboek.*

Notandum, feb. intermittentem larvam apoplexiae, quae nostrae patriae morbus frequens est, quæque aliquando epidemicē grassata est, libenter assumere, conf. Thyssen, *Op. cit.*, p. 290—295.

Febris igitur soporosa in ultimo et vehementissimo gradu, apoplectico nempe, species erit de qua in nostra commentatione agetur. Ut ordine procedat argumenti expositio, in quatuor capita dividimus scriptiōnem nostram, quorum singulis continentur quaestioniās partes.

**Caput I.** Cōntinet rationem, qua diagnosis Febris interm. apoplecticae optime petitur.

**Caput II.** Causas exponit in primis patriae nostrae proprias e quibus ortum ducit.

**Caput III.** Agit de morbi natura.

**Caput IV.** Curandi rationem suppeditat.

Tandem appendicis loco accedat hujus affectiōnis historia morbi a me observati, cui adjeci alias optimi scriptoris casum selectum.

## C A P U T I.

CONTINET RATIONEM QUA DIAGNOSIS FEBRIS  
INTERMITTENTIS APOPLECTICAE PETITUR.

### Definitio et Divisio.

*Febris interm. apoplectica* est vel larvata vel comitata. *Comitata* dicitur ea, quae sibi obscura juncta habet non tantum quae in febre interm. simplice convenient symptomata, verum etiam ea quae pariter apoplexiae genuinae paroxysmum determinant et constituunt (1); quae autem symptomata apoplectica in hac febris specie manifeste oriuntur ex corporis quadam peculiari structura, aut constitutione, aut e causa in ip-

(1) G. Cullen, *Synopsis Nosol. meth.*, tom 2. pag. 190.  
Indicat apoplexiā aliquando febris interm. symptoma esse nomine *apoplexias febricosas*.

ipso corpore haerente (quod deinceps plenius exponemus) (1).

In altera vero febre, *laryata*, apoplexiae symptomata adeo ipsam febrem larva sua obnubilare solent, ut ipsius febris paroxysmus, si non integer, pro maxima saltem parte delitescat et vix ac ne vix quidem appareat (2).

Hinc apparet justam denominationem inde desumi, quod febris, larva apoplexiae tecta, nulla fere offert genuini morbi symptomata.

(1) Notabile *Febris apoplecticae comitatae* exemplum habemus commemoratum ab egregio Richardo Morton qui de avunculo suo, viro obeso, hebete et somnolento historiam morbi nostrae febris breviter enarrat. Cf. ejus *Op. med.*, tom 2. p. 146. (*Hist. 24.*)

(2) „ Cum isto (symptomate) alii non frigent, non calent, „ non sudant, cibos non nauseant, urinam quidem rubram, sed „ sine sedimento emittunt. Alii calorem, sitim deinde sudorem, sordidas fauces nauseamque habent, atque urinam crassam reddunt, quae sedimentum, lateri trito simile praecipitat. — Ubi certa accessionum tempora non servat, sed modo breviora, modo longiora spatia intermitit, debet utique per sudorem, per urinae sedimentum dignosci.” — Stracke, „ pag. 106.

Febris interm. apoplecticae larvatae in dissertationculae appendice, notabile exemplum legitur.

Alterum invenimus in de Letteroef. van 1821. jam citatae. Conferat. Morton, *Op. cit.*, t. 2. pag. 145. (*Hist. 25.*)

## §. 2.

*Symptomata et delineatio morbi (1).**a. Symptomata morbum antecedentia.*

Praecedit somnus naturali profundior, stupor et capitis ingens dolor, vertigine, sensuum aliquando obfuscatione et insaniam stipatus (2). Urina crassa coloris intensi, ad nigrum vergentis et innatante quasi pinguedine. Sanguis vena detrac-tus, in floridam et satis aequabilem insulam secedit, sed copiosissimo sero viridescenti, innatan-tem.

Haec

(1) De hisce Cff. Werlhof, *Op. cit.*, §. 5. pag. 64 seqq.

F. Torti, *Therap. spec. ad febr. period. pernicio-sas*, lib. 4. c. 3. universum in primis hist. I. comitis Alphon-si Saxii.

Van Kranen, *Diss. med. inaug.*, p. 46.

J. L. Alibert, *Traité des Fièvres pernicieuses*, ed. 4. pag. 56 seqq.

E. M. Bailly de Blois, *Traité anat. pathol. des Fièvres interm. et pernic.*, pag. 155 seqq. Etiam consuli possunt:

Curt Sprengel, *Instit. med.*, tom. 4. (*Pathol. spec.* pag. 39.)

Senac, *Op. cit.*, lib. 1. pag. 72 seqq.

Morton, *Op. med.*, tom. 2. c. 9. hist. 25 et 26.

Sebastiaan, *Moeraskoortsen*, tom. 1. pag. 117.

C. Pison, *Select. obs. et consilia*, fol. 78.

(2) Hic illud Fracastorii quadrat (*de Contag.* lib. 1. c. 3.)

. . . . . Saepe exiguus mus.

Augurium tibi triste dabit.

Haec symptomata, corporis constitutionis ratione habita, metum instantis aut Febris interm. apoplecticae comitatae aut larvatae commovent.

Aliquando nulla signa periculum instans denuntiant, atque in exspectatus adeo est paroxysmi proventus, ut veluti ictu percutiantur aegri, et exceptis pandiculationibus et levibus horroribus atque dolore exiguo capitis bene valere viderentur (1).

### *6. Symptomata paroxysmum declarantia.*

Ubi vero ipsa affectio erumpit, sive accutius, ubi incipit febris forma insultus apoplectici, frigus algidum aegrum invadit, qui pariter, in soporem pronus est ex quo excita-

(1) Sebastiani, tom. I. pag. 129. sequentia habet: „ Of „ schoon de hogere graden van slaapzucht, beroerte en ver „ stijving (in febre intermittente) in vele gevallen zich onver „ wacht openbaren; zoo kondigen zij zich nogtans menigmaal „ aan, door eene loomheid, groote neiging tot slapen en „ hoofdpijn.”

Senac habet *Op. cit.*: „ Soporosi fiunt aegri, impeditur „ mens, inducitur lethargus, imo accedit vera appoplexiae spe „ cies et paralysis, quod vero magis infrequens est catalepsiae „ quid simile observatum traditur, non mirum ergo si adsint „ convulsivi motus, tendinum subsultus, tremores, visus, au „ ditus aliorumque sensuum defectus, aut denique vitalis spi „ ritus omnis prostratio.”

Aliquando genuina apoplexia symptomata adeo eminent, ut affectio idiopathica videatur et a febre intermittente prorsus aliena.

tatus mox in eundem relabitur, antea gestorum immemor, si aliquid poscit, eorum, quae sibi de eo proposuisset statim obliviscitur, verbis exprimere non valet quaenam idea in mente versetur et licet bene percipiat se non ita agere ac quidem vellet, aliter tamen facere nequit. Verbo, functiones et motus, quae a voluntatis imperio pendent perfici nequeunt.

Si loqui adhuc valeat, balbutit, voces articulatas proferre non potest et alteram vocem pro altera profert.

In gravescente autem affectione (febre increscente) universus status apoplecticus evolvitur, aeger misere prostratus, supinus jacet, genibus contractis, naribus stertit et singultu spiritum continuo trahit, carotides in primis et temporales ac frontales arteriae vehementer pulsant. Oculi fixi aut rotantes summopere splendentes, (Nyhoff) aut fracti, os semiclausum, lingua aspera, livida, assiduo tremore movetur in ore pertinaciter saepe clauso retracta est atque copioso muco tecta. Tumet et livet facies, cordis et arteriarum vis iniro modo vacillat, hinc pulsus nunc intermitit, nunc exilis per quam et irregularis est, aut celerrimus et durus, (Nyhoff) aut frequens, tardissimus, durus (Werlhof). Cutis plerumque ad tactum insensibilis est, convulsivus motus saepissime unius aliisve membra aut oris obtinet (1).

Ca-

(1) Cf. Sauvagesius, *Op. laud.*, t. 1. pag. 354. n<sup>o</sup>. 20,

Universum corpus riget et calet, aut alget, instar corporis e marmore confecti, qui universi corporis torpor et algor tristem consti- tuunt antithesin turbulentis illis motibus et actionibus excitatis in capite observandis. Pulsus variat et irregularis est ob circulationem adeo im- peditam. Urina et faeces facile sponte excernun- tur (1).

Ex hacce omni conscientia privata tristissima aegri conditione, parentibus et adstantibus horrenda, neque ullis parentum blanditiis et allocationibus, neque ulla vi frictionis, ligatura, concussionis, neque ferri carentis, neque vesicantium applicatione, neque capillorum evulsione, neque scalpendo, neque velli- cando, neque alia quacunque dolorifica operatio- ne, nisi finito paroxysmo febrili, resuscitatur aeger. Si autem post vellicationes, punctiones, scarificationes, sternutamenta, clysmata acria leni- ter oculorum palpebras attolleret aeger, statim tamen illae rursus connivent, interdum autem in- aequaliter adeo ut altera semicausa appareat, aut manet immota et aperta, sine visionis ullo sensu (2).

Sta-

(1) Graphice hunc statum, verbis Eugalini depixit W e r l - h o f , *Op. laud.*, pag. 65: „ Absque omni sensu et motu jacet „ (aeger) ut ne digitum haberet quem dimoveret et sola respi- „ ratione a mortuo differret.”

(2) Haec conditio periculosissima est. Cum enim timen- dum sit, ne inactivitas cerebri, medullae spinalis nervis, com-

Status spasticus tetani speciem referens, si supercedat, tristimodo symptomatum cohors multiplicatur. Urinae et alvi excretio suspenditur, palpitationes cordis, pedum et totius corporis convulsivi et fortiores motus locum habent. Oculi semiclausi, aut aperti, sine ullo splendore, lingua arida est, omnes artus contremiscunt, oculi atrociter circumvelluntur. Pulsus plenus tardus est, cutis fit arida, omnes arteriae fortiter pulsant, sudor pungens erumpit, pulsus nunc fit minor, celerior et irregularior, sudor viscidus et frigidus, respiratio celer et stertorosa. Subito pallescit facies, collabuntur tempora, nasus fit acutus et spumans mucus ex ore retracto nasoque stillat. Extremitates frigescunt, torpent. Susurrus oritur in trachea, excretiones nunc sponte defluunt, summa difficultate peragitur respirationis functio et alae nasi fortiter expansae, certamen indicant intensem inter vim vitalem declinantem et mortem celerrime adventantem. Diutius protrahitur haec tragoeadia, antequam inevitabili fato cedit aeger, anxie caput retrorsum flectitur, corpus extenditur et suspiriose tandem ultimam vitæ flammanam miser efflat.

Haec

est enim etiam ob inservientem ad eum respirationis difficultatem, quae in aegeris morte adhuc non raro communicetur respirationis functioni inservientibus; quando cito asphyctice moriatur aeger.

Grainger, in hist. febr. anom., p. 42. scribit: „Aegrotantes post refrigerium febrem contrahere, mutos et rigi-

Haec affectio apoplectica, aliquando non statim invasionem febrilis paroxysmi comitatur, sed versus ipsius augmentum demum accedit. Crescit, minuitur et declinat cum ipsa febre, ita tamen ut febris aperta forma prorsus deficiat. Aliquando tamen medico tempestive vocato perspicue observare licet genuinum febris intermittentis stadium frigoris. Torpet tunc corpus, turbulentia affectione corripi incipit caput, desinente frigore, calor obruit aegrum; tandem largo sudore desinit et solvitur paroxysmus (1).

Paroxysmi duratio varia est; per spatium horarum VI, XII, XXIV imo et XXXVI extendi potest (Sebastiaan).

Redeunt haec symptomata indicata illo tempore, quod typus febris sibi vindicare solet.

Uni-

„ gidos redi, oculosque semiclausos habere, dum pars cor-  
„ poris refrigerescebat, altera adhuc convulsionibus corripitur.”

(1) Alibert, pag. 41. hanc febrem non tanta symptomata perniciosa habere dicit: „ La fièvre pernicieuse, intermittente, soporeuse est la commune à l'hospice de la viellesse, dite la Salpetrière, mais elle ne s'y montre pas ordinairement avec le degré d'intensité que Torti et Werlhof ont retracé dans leur description, on n'y remarque pas généralement cette insensibilité profonde aux stimulans intérieurs, cette interception de la vue, de l'ouïe et des autres sens, cette petitesse du pouls, ces traits du visage hippocratique, ces accidens nerveux qui caractérisent éminemment les affections de ce genre, observés par ces deux célèbres médecins.”

Universam congeriem symptomatum sequentibus verbis expressit Torti (1): „Aeger cum hujusmodi „ affectio incipit primum est in soporem pronus , „ a quo excitatus statim in somnum relabitur ; „ paulo post fit immemor rerum immediate ante „ gestarum , nonnunquam obloquitur nec suos con- „ ceptus valet exprimere et licet sui erroris sit „ compos , se tamen corrigere nequit , aut conti- „ nere ; imo quandoque balbutiens vel verba mu- „ tilat , vel unum pro alio profert , non secus ac „ si levi apoplexia in linguae paralysin degenerante „ foret detentus . Ingravescente tandem sopore „ omnino jacet , ac stertit naribus , neque ulla „ voce , ulla vi , frictione , cucurbitularum , aut „ aut vesicantium appositione imo nec igne , quan- „ dope actuali , valet excuti et si quidem excutia- „ tur aliquantisper , statim in eundem soporem , „ imo in profundiores recidit , nec nisi declinate „ accessione , incipit expergisci , quod una vel „ altera vici resipiscat quidem , sed semper paulo „ difficilius , si soporosae affectioni adjiciatur sin- „ gultus tertia ad summum vel quarta accessione „ inevitabili fato succumbit aeger .”

Haec verbotenus ex ipsius scriptis accepi , ut perspiciatur antiquorum efficacissima scribendi methodus etiam nostris temporibus , quae assumatur , dignissima .

Me-

(1) I. I. lib. 3. 1.

F. C. Medicus. loco citato.

Medicus autem plorō citato haec habet: „In  
 „intervallo obtusus capitis dolor, sítotius corporis  
 „ris languor, atque imbecillitas, cum anxietate  
 „aegros tenebant; videbantur tamen nihilominus  
 „refici. Alter paroxysmus priore erat fortior ac  
 „potior. In sopore, nullo propemodum modo  
 „poterant excitari, ronchusque aderat cum anxie-  
 „tate ac deglutitione laesa, linguaque minus vo-  
 „lubili, inquietabant aegri, ac apoplexia tactis  
 „similes conspiciebantur, oculis apertis, torvis  
 „ac fixis totaque facies spastice distorquebatur.  
 „Tertius paroxysmus apparebat sopore, horrore  
 „insigni, roncho, querelis ac deliriis. nec non  
 „spasmis ac convulsionibus stipatus, uti in epi-  
 „lepsia interdum” (1).

Paroxysmo absoluto aeger expergiscit, et bene  
 multis in casibus fit, ut aeger hocce tempore apy-  
 retico nihil amplius ab affectione apoplectica sentiat,  
 sed prorsus valeat, imo perfecte, aequa ac in fe-  
 bre.

(1) De hac nostra febre intermittente igitur valet illa summi  
 Boerhaavii desinitio, quam de apoplexia effatus est: „quod  
 sit privatio omnium sensuum extenorū, motuumque om-  
 nium oblatio, superstite pulsu, ut plurimum forti, et respi-  
 ratione magna et difficili, semper tamen cum stertore una  
 semper cum somno profundissimo.”  
 Cf. Boerhaave, *Praxis medicae parte 4.*, pag. 292.

bris, intermittentis regularis capyrexia negotia sua perficiat et hilaris sit, cuius rei varia apud varios dantur exempla (1). Alibert, Op. cit., pag. 78 seqq. Alibert, Op. cit., pag. 56. Verhandelingen van de Natuur- en Geneesk. Correspondentie Societeit te 's Gravenhage, tom 2. pars 1. pag. 251. Jorritsma, Med. en Art Obst. Doct. te Hoorn. Beknopte verh. van de ziekte, welke te Hoorn en te Sneek A°. 1826. waargenomen zijn, pag. 13 en 14.

Bij twee jonge lijders, sterke gestellen van het mannelijke geslacht, zag ik eene zuivere anderendaagsche koorts met apoplectische toevallen plaats hebben; terwijl, zoodra de koortsen aflepen de toevallen geheel verdwenen. Daar de tong in beide gevallen zuiver, en 'er geene sporen van eene gastrische ongesteldheid of andere complicatien aanwezig waren, (Febris apoplectica interm. larvata) nam ik de koorts, na den derden aanval en met dezelve de toevallen van be-roerte door de sulphur quinine weg; zonder dat eenige verontrustende verschijnselen meer volgden — Een derde soortgelijke lijder, die zeer aan sterken drank verslaafd was, bezweek in den derden koorts-aanval."

Sebastiaan, Op. cit., pag. 126: „Echter heb ik me nigen Rus, dien ik in den koorts-aanval (Febr. interm. apoplect.) verlaten had, bij mijne avond-visitatie met eene tabakspijp in den mond zien wandelen, gevoelende zich tamelijk opgewekt, klagende over niets, en soms was deze, zoo het scheen, den dood ontsnapten lijder des anderendaags, bij den nieuen aanval een lijk". Eodem libri loco, auctor memorabile habet exemplum hujus rei quod ex J. G. Medicus, Gesch. der Period. Krankh., 2<sup>e</sup> band p. 245. affert.

Momentosum autem hujus rei exemplum invenimus apud Werlhofium, Op. cit. p. 69. „Memini mulieris viduae nondum quin-

, qua-

Saepe autem accidit, ut *absoluto paroxysmo*,  
*aeger aequi ac post paroxysmum genuinae apoplexiae*, continuo queratur de vertiginibus, somnolentia et memoriae abolitione, quae ingrata symptomata jam finito primo paroxysmo observantur et ad alterum perstant. Alii enim stupidi, alii attoniti videntur, in primis autem laesio memoriae in his infelicibus saepissime apparet, unde si tali aegro-

„ *quagenariae, quae in publico subvesperam obvia facta, ut eam*  
 „ *insequente die inviserem, rogabat, quia febris paroxysmum ter-*  
 „ *tium exspectaret. Hodie, inquit, egregie purgata sum a me-*  
 „ *dicamento sub hesternam noctem sumto. Accessi altero die,*  
 „ *et quidem rursus ocius petitus, atque non solum intense*  
 „ *febricitantem, sed et apoplecticae instar immobilem et ster-*  
 „ *tentem reperi, neque expergesieri ullo modo potuit sed sen-*  
 „ *sim, elanguente respiratione et pulsu, exspiravit. Toto prae-*  
 „ *cedente paroxysmo blande dormire visa erat, neque vigilias*  
 „ *urgere voluerant, qui adstiterunt: nescio an potuissent!*”  
 (Hoc exemplum etiam retulit Bailly de Blois, *Op. laud.*, pag. 156.)

Morton, *Op. med.*, tom. 2. pag. 145. sequentia refert:  
 „ Arcessitus anno 1620. ad invisendum filium reverendi admoni-  
 „ dum D. D. Fowler, puerum circiter XII. annos natum,  
 „ eum observavi summo stupore correptum, stertentem, cete-  
 „ risque apoplexiae fortissimae symptomatibus affectum et a  
 „ somno isto profundo, puerum phlebotomia etc. excitare sat  
 „ egli. Die sequente eum inveni (mirum dictu) non tantum  
 „ expergefatum verum etiam absque minima hebetudine erec-  
 „ tum in loco sedentem, atque cum sociis ludentem, a febre  
 „ perfecte liberatum ac victum potentem. Postridie autem  
 „ eadem fere hora diei advocatus, eum apoplexia iterum labo-  
 „ rans observavi.”

aegrotanti v. g. matulae praebeatur, hic etiam manibus suis arripit, ut at memoria deleta, non escit cuiusnam scopoli matulae inservire soleat; adeoque matula rejecta, urinaq. inscio effluit; aliquando autem organa vociferationis non notabiliter clæsa adprehenduntur, ita ut balbutiat haeger, sedat tristes voices, quas non nisi summa misericordia ad aegrotantem lectum observamus. Alii continuo febricitantes, videntur, interdum veluti catalepsi affecti, aut delirantes motibus involuntariis in lecto jactantur infausti, cum simul unum alterumve latus tanquam hemiplegia affectum, immotum, vel saltem parum mobile sit. Tandem apyrexia stipatur magna debilitate, facile ex affectione adeo turbulenta et vires prosterrente derivanda (1).

### § 3.

#### *Morbi decursus.*

Decursus hujus Febris intermittentis apoplecticae talis est, ut prorsus periodicus sit, typum

(1) F. C. Medicus, - Loc. cit.: „ In intervallo obtusus, capitis dolor, totius corporis languor atque imbecillitas cum anxietate aegros tenebat.”

Sebastiaan, - Op. cit., pag. 126: „ Als de aanval door eenie werkelijke intermissie gelukkig geweken was, dan gevoelden zich dé meeste zieken zeer afgemat, neergeslagen, en niet in staat om zich buiten het bed optehouden.”

febris tertianae potissimum, aliquando quartanae, accurate et regulariter sequens; accurate autem tenendum, hanc febrem, aequa ac regularem intermittentem, anticipationem et postpositionem paroxysmi etiam habere posse. Die igitur febrili paroxysmus, eodem tempore, omnibus ingratis symptomatibus stipatus, redditurus est.

Sponte intelligitur talem paroxysmum febilem sub hujusmodi perniciosis et malignis symptomatibus latentem, necesse humanum organismum vehementer turbare, quandoquidem ipsa febris intermittens vulgaris jam corpus sic saepenumero debilitat.

Decursus igitur hujus nostrae Febris est acutissimus et periculosissimus (1), ita ut si tempestive haud dignoscatur morbus et aptis frangatur remediis, accedente singultu infausto, versus tertium vel minimum ad quartum paroxysmum, inevitabili fato ad orcum trahatur aegrotans. Quid enim congestio sanguinis in hoc morbo non afferrat? — Implet vehementer vasa sanguifera eaque dilatando subitam adducit cerebri compressionem, quae simul actiones supprimit vitae animalis, cumque vitae organicae non amplius gubernentur vehementer turbatur organismus. Vitae necessariae func-

(1) Cf. Richter, *Specielle Therapie*, tom 2. pag. 644.

De hoc morbo illud Ovidianum utique valet:

„ Non est in medico, semper relevetur ut aeger,

„ Interdum docta plus valet arte malum.”

Ep. ex Pont. l. 1. c. 3.

tiones pulmonum, cordis, ventriculi cet. non amplius rite gubernatae solvuntur . . . moritur homo. Aut immediata sanguinis extravasatione vel effusione majore exitus brevi est letalis.

Febris intermittens, apoplectica, si citissime in primo paraxysmo e. g. cognita fuerit et rite medela levata sit, rarius in decursu ingratum habet illum exitum in mortem, aut in illos morbos, in primis infastam paralysin, quam quidem genuinae apoplexiae paroxysmus saepissime habet, ipsius encephali tristes desorganisationes affrenens.

Plures sic etiam exstant apud varios, qui de hoc argumento scripsere observatores casus morbi, felici exitu non carentes. Si neque in mortem neque in sanitatem exit Febris intermittens apoplectica saepe alii sequuntur morbi e. g. simplices febres intermittentes aut continuae, aut sequuntur affectiones ipso paroxysmo inductae, quales sunt paralyses varii generis.

Hic autem observandi locus est, hanc febrem saepius, prout etiam aliae intermittentes recidivam pati. Etsi igitur, morbo sanato, a medicamentis abstinendum sit, hisce tamen animum attendere prudentis erit medici (1).

## § 4.

(1) Cf. Senac, *Op. cit.* l. l. pag. 122,

Werlhof, *Op. laud.*, pag. 149 seqq. et pag. 158.

„Multi juga Werlhovii, Observatio docuit Febres ext.

## §. 4.

*Genuinus Morbi Character.*

Ad genuinum characterem Febris intermittentis apoplecticae, laryatae, pertinet ut nullus directus inveniatur nexus inter symptoma illud perniciosum apoplepticum, paroxysmum febrilem referens, et inter universam conditionem ipsius aegrotantis. — Si quidem enim symptoma illud atrox derivari possit, et explicari e conditione quadam, aequē propria aegrotanti extra paroxysmum quam sub eo versanti, diverso tantum gradu aegrui afficiens, jure dubitatur, utrum talis affectio, Febris intermittens apoplectica, larvata, merito dici possit.

Est igitur accurate respiciendum ad universum complexum symptomatum et conditionum, quae in homine febricitante, non tantum sub paroxysmo, verum etiam extra illum, tempore intermissionis febrilis, observantur. — Si nunc nullus tertianarum genere recidivas, quam plurimas secundae hebdomadas die S. post quartam lunaris mensis partem a cessata remedium assumptione contigisse; atque si ope naturae ac artis rursum emanserint semel vel aliquoties praeterea pro morbi statutusque epidemicī ingenio, alternis semper hebdomadibus reversas esse — vel molimina saltem satis manifesta ostendisse. — Hoc ex ingenio Febris intermittentis jam explicatur, antea enim diximus saepe febres esse naturae tentamina quibus noxia e corpore eliminarentur. Si quid itaque manserit in corpore, febris denno suscitatur.

lus deprehendatur nexus inter aegri conditionem aut conformatiōnē naturalem et inter symptoma apoplecticum; sed si symptoma illud non tantum non pendeat ab ipsius aegri statu, verum potius paroxysmū ipsum febrile, tanquam suam causam producentem, agnoscat; tunc solummodo febris talis veri nominis erit *intermittens apoplectica larvata*. Febris igitur larvata apopl. toties adest, quoties symptoma ferox, periculōsum, sub quo febris delitescit, immediate et unice dependeat a paroxysmo febrili; neque explicari possit ex complexu omnium rerum adjunctarum. Ipsius aegrotantis; nullus itaque nexus, nulla ratio adesse debet in constitutione aegri ex qua illam symptomatum vehementiam explicare valemus.

Ubi autem ex corporis fabrica aut constitutione, aut e causa quadam materiali, gastrica verbi causa, apoplecticum symptoma febri se adiungat, Febris erit *intermittens quam comitatur apoplecticus insultus*. In hujus dissertationculae appendice exstat observatio Febris intermittentis apoplecticae vere larvatae.

Hoc autem loco exempla morborum proponere liceat, quibus Febris intermittentis comitatae habitus explicetur (1).

(1) Memorabile Febris apoplecticae, causa gastrica productae exemplum, refert quondam Academiae Groninganae, de-

*Exemplum I.* sed mitis et non  
vir aetate prosector, sana corporis constitutio-  
ne, diaeta gaudens lautiore, cum corporis universi  
habitu replete, collo breviore, et capite ampio,  
febre intermittente decumbens, in stadio frigo-  
ris, magna afficitur versus caput sanguinis conges-  
tione, apoplexiae sanguineae imaginem referente,

ita,  
decus, Clarissimus Thomassen a Thuessink, in Com-  
mentatione de Epidemia, A. 1826. pag. 25: „ Somtijds  
„ waren zij (Febris soporosae) haren oorsprong aan over-  
„ lading der maag verschuldigd. Onlangs werd ik geroepen  
„ bij een jong en sterk man van 20 jaren, die, na voor vier we-  
„ ken het roodvonk gehad te hebben, sedert eenigen tijd sterk  
„ gegeten had, en nu op eens 's avonds in eenen apoplectischen  
„ staat met sterke stuipen verviel. Ik zag hem den volgenden  
„ dag 's namiddags, hij was toen reeds adergelaten en het bloed  
„ was niet ontstoken. Men had koude omslagen, spaansche  
„ vliegen, pappen enz. gebezigt. Ik vond hem sterk opge-  
„ zet, rood aangezigt, kloppende carotides, een harde en  
„ snelle pols, groote benauwdheid en ronkende ademhaling,  
„ en volkomen bewusteloos. Na eene tweede ruime aderla-  
„ ting en eene sterke ontlasting van sordes door eenen klister,  
„ kwam hij volkomen bij, raakte in eene matige rust, ont-  
„ lastte door herhaalde lavementen en zachte resolventia, eene  
„ ongelooflijke menigte stoffen, en herstelde in weinige dagen  
„ grondig. In dit geval zou de sulph. quininae nadeel gedaan  
„ hebben.” (Cf. etiam Sebastian, *Op. cit.*, 1. pag. 124.)

Sic facile aliquando post ventriculi conditionem saburra onus-  
tam apoplectica symptomata evolvi possunt, praesente febre  
intermittente, hic autem status nullo modo *Febr. interm.  
apopl. laryata* dici potest, cum apoplexiae symptomata facile  
cedent curationi evacuanti sordium et sanguinis congesti.

ita, ut prima fronte crederes re vera hic adesse Febrem interm. apoplect. larvatam; jam vero si hac falsa diagnosi hujus affectionis curatio instituitur, in perniciem aegrotantis facile tendit medicus, nam si respiciatur sola illa affectio febrilis, et, finito paroxymo, continuo ad solum usum cort. peruv. configuiatur, facile negligitur ea cura, quam requirunt gravitates congestionis et corporis constitutio. In hujus morbi imagine, quam ad illustrationem argumenti proposui, inveniuntur adeo apertae praedispositiones ad apoplexiam, ut hic casus, tanquam Febr. interm. apoplect. larvata minime dignosci et curari posset. Congestio enim sanguinis hic oritur, quod nempe in stadio febri- li frigoris, humores a pheripheria interiora ver- sus repulsi eam sibi viam eligant, quae illa prae- dispositione manifesta iis patet.

### *Exemplum II.*

Homo florentis aetatis, sanguine repletus, Fe- bre intermitte benigna, vernali, diathesi phlo- gistica juncta, afficitur; in qua haud raro accidit, ut in paroxysmo febrili, magna sanguinis versus caput oriatur congestio, quae sat valida est, ut soporem profundum, imo et apopleiae speciem generet.

Hinc facile intelligitur etiam hunc casum non referri mereri ad Febres larvatas apoplecticas; ca- ret

ret enim genuino febrium larvatarium characterem. Nam hoc in casu manifesta ratio adest inter plenioram corporis universalem, et inter motus violentos febris commotae, unde, talia ingrata symptomata facile explicantur. Haec autem plethora, eadem symptomata aequa facile crearet, si hoc individuum epulis lautioribus se daret, aut animi pathematibus percellentibus indulgeret.

*Exemplum III.*

Juvenis 22 annorum, corporis fabrica gracili, constitutione tenera, collo tenui, longo, thorace angusto plano, scapulis prominentibus, alarum forma exstantibus, vasorum structura tenera, colore faciei universe candido, cum genis rubris, aut subrubescensibus, febre intermittente corripitur, valido frigoris stadio inchoante. Sub ipso febris paroxysmo, peripheria corporis in vehementem algoris statum transeunte, sanguis e peripheria centrum versus propellitur; unde oritur irritatio pectoris, levis tussicula, in majorem transiens, quam sponte insequitur sanguinis e molli pulmone larga rejectio. Ad quannam febrium intermittentium speciem haec affectio est referenda? Omnino ad febrem intermittentem comitatam non vero ad larvatam, neque subsequente altera haemoptoe altero febris paroxysmo. Nimis enim con-

sti-

stitutio corporis est praedisposita, et conformatio aperta ad pectoris affectiones contrahiendas, quam ut alias credi posset, ut hic ingratum symptoma haemoptoicum non ex congestione in pulmones explicari posset. Definitur igitur morbus quo afficitur juvenis noster Febris intermittens comitem habens symptoma utcumque periculosum, i.e. corporis autem fabrica et structura semper metuendum (1).

Dantur etiam Febres intermittentes topica affectione stipatae non confundendae cum larvatis, cum

a

(1) Doctissimus Bodel in Ephemeridibus, quas inseruit collectioni commentationum et observationum Medicarum; vulgo Geneeskundig magazijn, tom 2. part. 1. pag. 145—178. in het verslag der ziekte, waargenomen te Dordrecht in het jaar 1795. ubi pag. 171. scribit: „Ik behandelde eene zestigjarige lijderesse „aan eene Febris intermitteens soporosa, welke in cene hemi- „plegia overging. De koorts kwam regelmatig om den ande- „ren dag, doch de slaperigheid was aanhoudend, het hoofd „en de ledematen werden dikwijls stuipachtig getrokken. „Herhaalde vesicatoria en evacuantia waardoor eene menigte „pituiteuse stoffen afgevoerd werden, bezorgde eene aanmer- „kelijke afleiding. De koorts en slaperigheid verminderden „allengs, de trekkingen werden door het ruim gebruik der „Flores Zinci weggenomen, en de lijderesse herstelde spoedig.”

An haec fuit Febris larvata? Non liquet. Nexus enim manifestus inter statum pituitosum, etiam extra paroxysmum praesentem et symptomata sub paroxysmo, invenitur. Dependebat igitur affectio soporosa a statu abnormali pituitoso primarum viarum; quo circa sordibus dejectis febris cessabat.

febris reactione manifesta excitetur, ubi sic apud Baillye de Blois (1), prostat exemplum cuiusdam sacerdotis, qui febre corripiebatur, sub scutis paroxysmo, quavis vice, inflammationem membranae conjunctivae et cartilaginum narium observabatur. Haec oculorum et nasi inflammatione crescebat et cum ipsa febre augebatur, et eaque disparente, diminuebatur; tamen in apyrexia non a prorsus cessabat. Huic rerum conditione gastricus accedebat, qui emetica et purgantia indicabat. Pariter affectio topica hirudinibus et epispasticis curabatur, tandem corticis peruviani usu omnis affectio cessabat.

Haec Febris intermitterens *topica*, non larvata dicensa est, quia symptomata ultra finitum paroxysmum etiam perstabant; neque comitata dici potest, quia nulla praedispositio, aut corporis conformatio, hujus affectionis proventui favens adest. Haec igitur affectio a suscitata febris reactione, topica intermitterens dicitur.

Non parvi momenti habemus, ut semper rite attendatur ad genuinum Febrium intermitterentium larvarum characterem, siue earum numerus ultra necessitatem augeatur; quod facile fieret, si hunc genuinum characterem, non caute perscrutaremur; qualibet magni ceteroquin in medicina viri peccavere, inter quos nominasse sufficiat Stollium,

(1) Op. cit., pag. 271.

qui (1) duo affert exempla observatarum sibi febrium larvatarum. — In priore enim morbi historia symptomata graviora statim ope emeticici extra paroxysmum administrati, tollebantur, unde minime pertinere potest ad Febres genuinas larvatas. Neque etiam altera historia juvencae illius, quae etiam extra paroxysmum symptomata ingrata, ex statu gastrico orta habebat, adeoque post administratum emeticum egregie revalescere incipiebat.

*§. 4.00*

lib servit non *Diagnosis morbi.*

Omnia, quae antecedentibus paginis indicavimus, unice inservire debabant, ut ipsa morbi diagnosis dein facilius exponeretur et explicaretur. Accedamus igitur ad gravissimam sane partem in omni morbi historia observandam, eamque certe hujus capitatis maxime exquisitam.

Facillime Febris intermittens apoplectica, cum genuina apoplexia sanguinea confundi potest, cuius nimirum formam prorsus induit; unde etiam tanto jure, a practicis, *perniciosa* dicitur.

Hinc magni est momentum, ut ab hoc morbo,

(1) Cf. ejus *Rationis modendi*, pars 1. (ed. Lugd.) pag. 53 et 54.

nostra Febris sedulo distinguatur, in primis quoad curationem. Ut rite et apte instituatur diagnosis animadverti debent caussae et symptomata, quae in vere apoplectis observantur. Primo igitur loco succincte caussae apoplexiae enumerandae sunt.

### 1°. Praedisponentes (i).

- I°. Aetas increscens versus 50—60, rarius eo termino juniores apoplexia infestantur.
- II°. Corporis certa structura, magnum caput, breve collum, corpus obesum pingue.
- III°. Plenitudo humorum, praesertim sanguinis boni, aut pravi, serosius.
- IV°. Animi labores, studia, graves occupations, curae, animi pathemata ingrata, crebra, violenta.
- V°. Etiam si potissimum pertinent ad excitantes causas aliquo tamen sensu referri debent ad has caussas.

Tanquam praedispositos recensere liceat,

(i) Cf. inter alios:

- Morgagni, *de sedibus et causis morborum*, ep. 2. pag. 16.
- J. J. Wepferus, *Observationes medico-practicas de capitit aff. ext. et int. obser. 136.* pag. 642 seqq.
- A. de Haen, *Rat. med.*, tom 1. pag. 322.
- C. J. Nieuwenhuis, *Geneesk. beschrijv. van Amsterd.*, tom 2. pag. 37.
- F. Julianus, *Comment. de apoplex.*, pag. 8.

qui stuporibus obnoxii sunt, aut in quibus naturales sanguinis evacuationes solitae subito suppressae sunt.

Absque ulla praedisponentium harum causarum, apoplexia sanguinia raro excitatur; hae igitur causae praedisp. magnam habent vim in diagnosi constituenta.

### Secundum. (1) *Excitantes.*

I<sup>o</sup>. Abusus potuum inebriantium, narcoticorum.

II<sup>o</sup>. Radii solis humorum affluxum ad caput promoventes, omnisque intemperies calidae, quae ex congregatione multorum hominum, autualiis causis producitur, caput male afficiens facile in praedispositis apoplexiā provocat. (1)

III<sup>o</sup>. Repletionis ventriculi, indeque aorta vasorum abdominalium compressio (1).

IV<sup>o</sup>. Pectoris morbi, dysphoea in primis senilis, sanguinis refluxum ex capite impediens.

V<sup>o</sup>. Acrimoniae variae ad cerebrum translatae, uti arthriticae, scrophulosae, syphiliticae (cujus rei permulta prostant exempla).

VI<sup>o</sup>. Animi pathemata excitantia, uti ira irgens, furor etc.

VII<sup>o</sup>. Animi pathemata percellentia, uti terror, nec non immoderata mentis agitatio in affectione

(1) L. J. Schmidtmann., *Summa observat. medic.*, tom. 3. pag. 342.

hy-

hysterica, quae jure aliquando inter excitantes apoplexiae caussas recensentur.

VIII°. Laesiones violentae et contusiones, in primis capiti allatae.

*Symptomata Apoplexiae insultum annuntiania.*

I°. Vertigo crebra, cephalalgia frequens, gravativa, habitualis, cum susurru et tinnitu aurium aliquando juncta. Mentis segnities, memoriae labes, somnolentia insolita, aut somnus nimis auctus, stupor, torpor, tremor unius alteriusve membra, pedum vacillatio, loquela balbutiens, impedita, aut singulare modo mutata. Oris ad alterutrum latus retractio, tactus obtusio, vox tremula, auditus momentanea cessatio, inter legendum facilis et frequens a linea aberratio, responsiones implicitae, scintillae ante oculos micantes, aut maculae variegatae divagantes, mox oculi unius, mox utriusque obnubilatio, et corporis in lecto jacentis convulsivus motus.

II°. Omnia symptomata congestiones ad. caput declarant, qualia sunt pulsus arteriarum et cordis plenus, ac durus, vultus ruber.

III°. Extremitates frigescunt, et color faciei cito variare incipit, oculosque protrudi et inflammari saepius observantur (1).

Ex

(1) Cf. van Swieten, Comm., tom. 3. pag. 290.

Ex his consideratis jam olim **Aretaeus** affir-  
mavit longiora nonnunquam initia habere ap-  
plexiam (1). Plerasque apoplexias sensim esse  
genitas, quae tamen subito increverunt, asserit  
**Tissotus** (2), et **Thyrius** affirmat nullum  
morbum fortasse praenuntia antiquiora habere,  
quam apoplexiam idiopathicam (3).

Sed nullis interdum praecedentibus signis, rarius  
tamen, apoplexia repente invadit et corripit aegrum,  
fulminis ad instar, cum eventu brevissimo letali,  
si sanguis subito e vasis in encephalum extravase-  
tur. (*Apoplexie foudroyante*).

#### *Symptomata indicantia genuinam Apoplexiā.*

Haec symptomata genuinum apoplecticum in-  
sultum declarantia et indicantia haud multum  
discrepant a symptomatibus paroxysmum Febris in-  
termittentis apoplecticae efficientibus, nisi exci-  
pias, quod in genuina apoplexia color magis sit  
constans et sudor viscidus in collo. Hisce con-  
sideratis tandem diagnosin ponere audemus.

#### *Diagnosis, ratione symptomatum.*

Diagnosis Febris intermittentis apoplecticae ab  
apoplexia idiopathica his articulis comprobatur:

I°.

(1) Cf. **Aretaeus**, *de caus. et sign. morb.*, c. 7. pag. 66.

(2) Cf. **Varior. argument. epist.**, 56.

(3) Cf. **Medic. experiment.**, pag. 146.

I°. Frigoris accessus, horror ingens, lassitudo et languor initio paroxysmi, tanquam symptomata Febris intermittentis vulgaris apparentes.

II°. Transitus horum phaenomenorum in stadium universi caloris.

III°. Sudor largus, desinente paroxysmo, erumpens. Haec symptomata non semper manifesta adeo sunt, ut ea singulatim observari liceat. Saepius tamen accurato observatori, si non universe saltem magna parte apparent.

IV°. Absentia indicatarum causarum praedispontium genuinae apoplexiae.

V. Absentia causarum apoplexiā excitantium, contra praesentia causarum febrem intermittentem producentium.

VI°. Absentia phaenomenorum prodomorum, quae in omni fere apoplexia genuina observantur.

VII°. Constitutio morborum epidemica saepius diagnosin confirmat.

VIII°. Lateritium tandem sedimentum, quod aliquando die intercalari paroxysmum sequente, in urina Febre intermittente apoplectica laborantis spectatur, quod in aegro apoplexia affecto non observatur; hoc symptomā revera est diagnosticum. Illustris Anglorum Hippocrates, Sydenhamus, epidemiam harum febrium anno 1675-1680 saevientem hoc indicio declaravit (1).

*Dia-*

(1) Cf. Sydenham, op. ep. 1. resp. ad Rob. Brady.

*Classificatione et ratione decursus.*

I<sup>o</sup>. Decursus Febris intermittentis apoplecticae est acutus et gravis; raro tamen aeger primo jam paroxysmo e vita tollitur, quod saepius in genuina apoplexia obtinet.

Apoplexia enim ab omni medicinae tempore gravissima.

Senac, *Op. cit.*, lib. 1. pag. 102. Rich. Morton, *Op. Med.*, tom. 2. pag. 47: „ quamquam (scribit) multa arte genium suum dissimulent Febres intermitterentes, „ certo certius tamen ex urina, (quae jam multum tincta est) „ contentis saturatur et sedimentum praecipitat, colore plus „ minus laterito, ut in vere intermitteribus fere semper fit „ atque ex statis paroxysmorum et lucidorum intervallorum „ periodis et periodica horum symptomatum exacerbatione „ et remissione deprehendi et cognosci possint. ” Addit pag. 48: „ iterum iterumque apoplexiae symptomata obser- „ vavi certo tempore tertio vel quarto quoque die recur- „ rentia, scil. profundissimum somnum, stuporem et sterto- „ rem, urina interea (qui solet in Febris intermitteribus), „ semper rubidine multum tincta contentis saturata, atque „ cum aëri exponeretur ad praecipitationem sedimenti lateritii „ valde proclivi.”

Hoc igitur lateritium sedimentum indicium apertum Febris intermittentis praesentis est habendum, tempore apyreto egitur summa cura ad illud est attendendum. — Aliquando etiam solvit apoplexia genuina, ipsa urina multa crassa, sed haec urina non solum multum differt a febrili lateritium sedimentum habente, verum etiam sub aliis conditionibus locum habet.

Cf. van Swieten, *Op. cit.*, tom. 3. pag. 284.

vissimi eventus morbus et periculosissima affectio habita fuit, unde Hippocrates, medicinae patens, sua aetate scripsit: „Apoplexiam fortem, „quidem solvere impossibile esse” (1).

II°. Paroxysmus accedit, crescit, durat, decrescit ex constanti natura febris intermittentis.

III°. Decursus nostrae Febris ex constanti febrium intermittentium consuetudine omnino est periodicus, ita ut paroxysmus redditurus sit eo ordine (typo) quem sibi eligit recondita febris intermittens, ita tamen, ut intelligatur, huic naturae constantiae nec obesse paroxysmi progressum, neque ejus regressum; quae conditio[n]es saepius in simplice febre intermittente ob-servantur.

IV°. Manifesto igitur sua tempora ab omni affec-tione libera habet (apyrexias); ita ut homines, tempore apyretico, valeant omnino, et suas res rite peragant; cuius rei memorabilis apud varios scrip-tores plurā prostant exempla (2).

V°. Cum celeriter detecta fuerit haec Febris, curatione apta instituta feliciorem habere solet even-tum, quam apoplexia genuina.

Nequaquam in apoplexia genuina haecce mani-fest-

(1) Cf. *Aphorism.* 42. sect. 2.

(2) Etsi aliquando accidit, ut paroxysmo intensiore, non nulla quaedam symptomata, ut vidimus, etiam tempore intermissionis obseruentur; affectio tamen sub paroxysmo praesens, universa desinere solet.

festa emendatio affectionis adest, etiamsi apoplexia optima medicatione feliciter curetur, imprimis evacuatione critica, per alvi fluxum copiosiorem, lari-giorem sudorem, vomitum, imo et per haemorrhagias e naribus, genitalibus et intestino recto, obtinenda.

Saepius autem fit, ut atrox et incurabilis fere aliquarum partium paralysis apoplexiā praegressam sequatur, quae tristi modo aegrum vexat.

Decursum Febris intermittentis apoplecticae citissime absolvī diximus, haud semper tamen accidit, ut a primo inde paroxysmo Febris nostrae jam occidatur aeger, saepius autem id tertio vel quarto paroxysmo accidere, affirmamus. A paroxysmo autem apoplectico genuino, graviore morbi intensitate, non paucis in casibus, aeger paucis post invasionem minutis praecoce morte decedit.

Paroxysmus autem apoplexiae genuinae, per aliquot horarum spatium aliquando protrahitur, salvo aegrotante, paroxysmo autem ejusdem morbi, ultra XXIV horas protracto, rarius aegrum servari sinit.

Inter omnes constat apoplexiā esse morbum, qui facile recidivam patiatur, nullam tamen instar Febris intermittentis apoplecticae habet definitum temporis spatium.

Hisce addere lubet id, quod saepe accidit, ut, licet insultus vere apoplecticus durante applicatione

re-

remediorum humorum impetum derivantium et eva-  
cuantium, imminui et fere solvi videatur, ipsa ta-  
men Febris intermittens apoplectica, derivantibus  
illis imminuat quidem, non vero solvatur, nisi  
tempore apyretico cort. peruv. usus tempestive ad-  
ministretur, quo nempe insultus apoplectici cau-  
sam excitantem (Febrem) auferimus.

*Ab aliis Febribus intermittentibus apoplecticis:*  
*spuriis* dignoscitur nostra, ut illa, quam *comi-*  
*tatam* diximus, iis accidat hominibus, in quibus  
evidens causa materialis, aut corporis constitutio,  
aut fabrica febri intermitteri ansam exhibet, qua  
ingrata soporosa vel apoplectica symptomata com-  
moventur. In hac vero *laryata* sola Febris in-  
termittentis absoluta voluntate apoplecticus insultus  
oritur. Denique iterum redimus ad definitum  
temporis spatium paroxysmi, cum perstat typo  
suo saevire in mera apoplectica larvata, donec  
cort. peruv. sublatus fuerit, aut aeger succubue-  
rit.

In *comitata* autem hic periodicus paroxysmi,  
reditus ne longa quidem ratione, adeo constan-  
ter observatur.

*Ab inflammatoriis morbis* sedem *in capite* haben-  
tibus, ut *encephalitide* et *arachnitide* etc. facile dig-  
noscitur febre continua remittente et functionibus  
animalibus intensis, ita ut in his universi corporis,  
faciei in primis adspectus sit horrendus, ferociam et  
roboris incrementum declarans, ipso delirio saepe  
furi-

furibundo accedente, ita ut plures viri robusti requirantur ad talem aegrotantem cohibendum. Haec signa nimis aberrant a viribus in febre apoplectica prostratis, ut primo intuitu jam dignoscantur.

A *delirio tremente* (1), etiam facile dignoscuntur, quamvis hic morbus saepe balbutientes faciat aegrotos motibusque convulsivis laborantes et tandem saepe apoplexia succumbentes. Hinc succincte diagnosin exhibeamus delirii trementis, ejus symptomata enumerando.

I<sup>o</sup>. Delirium tremens nonnullis casibus exceptis, in quibus a gravi laesione externe corpori illata, excitatur (2), constans potatorum morbus est, qui declaratur magna inquietudine, potissimum tremore singulari perpetuo, praesertim contractione flexorum digitorum involuntaria producto.

II<sup>o</sup>. Decursu diurniore morbi nulla spatia habente sed symptomatibus suis, delirio in primis per-

(1) Cf. de delirii trementis symptomatologia et decursu G. Barkhausen, uit het Hoogd. vertaald, onder den titel van *Waarn. over het Delirium tremens*, door G. Greeve, Med. et Chir. Doct. pag. 19 seqq. pag. 37 seqq.

(2) Apud Bailly, prostat exemplum hominis sobrii delirio tremente affecti. Hic homo multum incaluerat, quum per medium diem vulcanum inclitum Vesuvium visitasset et in hac via affectionem contraxerat, prima intuitu, facile confundendam cum illa affectione, quae aestu solari saepe adfertur, atque Gallo-Francicis dicitur *coup de soleil*.

persistente, unde aegri ad finem usque delirant de rebus absurdis, se captos autem veheatos esse credunt, plerique vano metu corripuntur animalium minimorum, ut murium, vesparum aut vermium repentium. Haec omnia comitatur tremor singularis manuum, qui tremor cum incremento symptomatum pari passu augetur, ut tandem in verum tendinum subsultum transit. Pulsus frequens et debilis est, anxietas magna. Pupilla dilatata, oculi sunt rubri, musculi faciei convelluntur, atque omnes res, quae peraguntur, insolitae festinationis indicia gerunt. A rebus suis tamen si aliquid incipient post breve intervallum desistunt. Si autem ἀκμήν attigit morbus, vultus ferocia manet et adstantes non amplius curat aeger, atque omnia quae pravis ideis sibi efficienda proponit satis magna virium intensione absolvit. His praegressis, in somnum profundum incidit aegrotans, cum stertore pectoris, sudore frigido, alvo liquida involuntaria, et sic apoplectice decumbens, tandem quo fata vocant, trahitur homo.

Hac autem, ni fallimur, symptomatum et morbi decursus fideli enarratione, facillime etiam a Febre intermittente apoplectica distinguitur. Tempus enim apyreticum et decursus periodicus febris intermittentis symptomata adeo essentialia habentur, ut hisce absentibus, febris intermittentis praesentia assumi non possit.

Hic-

De hoc morbo idcirco accuratius egimus, quia, Doct. Bailly de Blois (1), memorabile exemplum retulit viri cuiusdam Febre intermittente affecti, cui adjungebatur delirium tremens, quod delirium deinceps demum dignoscebatur, quum initio cum Febre intermittente apoplectica confunderetur.

(1) Opere citato, pag. 301—304.

## C A P U T . II.

**CAUSAS EXPONIT INPRIMIS PATRIAEE NOSTRAE  
PROPRIAS, E QUIBUS FEBRES INTERMIT-  
TENTES APOPLECTICAE ORTUM DUCUNT.**

---

### §. I.

*Generalis causarum remotarum Febrium inter-  
mittentium consideratio.*

**E**x iis quae jam exposuimus facile efficitur, Fe-  
brem intermittentem sub larva perniciosissimae apo-  
plexiae latentem, eam esse, de qua nos agitnus.

Hanc vero Febris intermittentis varietatem ex suis  
causis patriae propriis eo accuratius exponere pos-  
sumus, postquam Febrium manifestarum intermit-  
tentium causas verbo saltem nobis in memoriam re-  
vocaverimus.

Quamdiu enim Febres intermittentes variarum  
tempestatum foetus sint, tam diu eheu! patria nos-  
tra abundantem exhibebit fontem, ex quo variae  
profluant Febres intermittentes.

Quo-

Quotidiana experientia abunde docet, uno saepe eodemque die in nostro natali solo, aeris tempestatem et temperaturam ita mutari, ut licet matutino tempore coelum sit serenum et amoenum, fulgentibus solis radiis splendescens et ornatum, homines et bestias refocillans, plantarumque incrementum grate adjuvans et stimulans; quali sub coelo, arva frugibus implentur, prata viridescente herba variisque floribus ornantur, atque amoenum offerunt oculis lustrantibus spectaculum, vegetable regnum gratos spargit odores, atmosphaera pura, insectis varii coloris et formae, nec non hilarium volantium avicularum volatu, assiduo commota, gratissimum vitae pabulum exhibit, ipsa meridie atri obnubulent coelum imbres, pluviam fundentes coelumque ingrate affidentes, ipsaque ventorum cohors exergefiat et exsurgat, qui aërem et frigidum et humidum simul reddat.

Haec coeli variatio et diversorum locorum singulares mutationes omnino conspici merentur in exponentidis Februum intermittentium causis (1).

Ut haec probentur, recordemur modo autumni et temporis vernalis, quaenam temperaturae et tempestatis in iis observata sit differentia! vernale tempus praegressum variabile semper, multas produ-

*ut*

(1) Hujus loci est illud Virgilianum, *Geogr.* lib. 1. vs. 50.

„*Ventos, et varium coeli praediscere morem*“

„*Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum.*“

xit Febres intermittentes, quae etiam, quam plurime in urbe Rheno-Trajectina observatae sunt.

Nonnulla autem loca et provinciae Patriae febrem intermittentem, morbum endemicum salutant, quod probant Provincia nostra Zelandia et illa, quae optimi regis cura et fortium militum virtute, patriae fines ultra Scaldae ripas extendit.

Anno hujus seculi XXVI. atrox Febrium intermittentium epidemia, inchoante tempore autunali orta, patriae partem septentrionalem miserrime afflixit.

Dum haec epidemia grassabatur, plurimae observabantur Febres intermittentes malignae, in primis apoplecticae, quae partim infaustam, partim vero felicem habuere exitum (1).

### Hu-

(1) Accidit, antecedente anno, ut in illa arce, quae tam gloriose in calamitatibus Belgicis honorem nostrum et salutem integrum servavit, quaeque ita inimicorum urbis vicinae complures plagas devastavit, ut collapsae prorsus sint et a fundamentis resicienda. Accidit inquam, ut plurimi milites a saeviente interm. apopl. ad orcum traducti sint. Quæritur, num difficile sit hujus Febris causas indagare. Credimus eas satis esse manifestas.

Scilicet, locus ille inimicorum cohortibus adeo vicinus et patriae tanti momenti, caute erat custodiendus et defendendus, sicut milites plurimi adhuc aetate juniores (aetate enim 19 annorum militiam intrant sorte infeliores) et locis illis inconsueti, cum pertinebant ad divisiones militares illas, quae ex media patria illuc versus defendendi causa mittebantur (antea hae divisiones urbes sanas Trajectinam, Arnhemiam, Neoma-

Hujus Epidemiae, universae causae habentur:

I°. Miasma quoddam peculiare e locis antea inundatis exsurgens. Loca enim inundata recentibus aquis, multa corpuscula animalia et vegetabilia necessario continebant; quae ardente sole putrefacta, nocivas exhalationes emittebant, in primis postquam loca illa aratro aut alio opificio agrario essent commota (1).

II°. Calor ingens aestivus.

III°.

(gum cert. custodivere). Milites nunc et calamitatibus belli et loci veluti obsessi incommodis simul assuescere debebant. Saepius igitur, per hebdomadem in statione versari debebant, (*de wacht betrekken*) sic tempestatum injuriis expositi, tranquillo animo, audire et videre debebant inimicorum contumelias, quo factum est, ut continuo in animi pathematibus ingratis versarentur, ita ut extus madidi et frigidi, intus excitati essent. Ciborum qualitas et cubiculorum spatia in tali militari habitaculo longe absunt, ut perfecta dici possint. Sic itaque dudum jam expositi causis illis, quae Febrem vulgarem intermittentem facile procreant, iis etiam invasit evaporatio nociva facile oriunda e locis inundatis quales, uti scimus, complures in vicinia urbis Antverpiarum factae sint. Quibus accessit quod, etiam si ab optimo duce lex militaris, summa cura, durante belli periodo, servaretur, impediendi difficultas quominius etiam apud multos abusus potuum spirituosorum intra arcis moenia excitatus sit.

(1) Cf. van Swieten, *Comm.*, tom 5. pag. 171.

H. F. Sasse, *in opusc. de Epid. Groning.*

Bakker, *de Epidem. Groning.*

Nyhoff, *Diss. Acad. de Epidemia Groninganni*, 1826.  
part quinta §. 1—3.

*Verslag van de waarg. ziekte in Groningen door de Geneesk. Commissie. (variis locis).*

III°. Mala consuetudo, quotidie insignem copiam infusionis tepidae coffeae ingurgitandi.

IV°. Terra argillaceae, quae solis calore fissae, aut aratro commotae vapores specificos emittere videntur.

Constitutio igitur aëris atmospherici, physica aut chemica ratione depravata, princeps illius epidemiae fuit causa.

Nemo negabit, dictas causas, multis aliis in locis patriae saepe obvias, etiam facile producere posse, epidemiam Febris intermittentis vulgaris, imo et perniciosae.

Hisce igitur expositis, facile nunc transire possemus ad Febris apoplecticae causas, patriae proprias, nisi breviter simplicis febris intermittentis causas praedisponentes et excitantes exhibere necesse crederetur.

### *Praedisponentes.*

I°. Temperamentum nervosum.

II°. Temperamentum lymphaticum.

III°. Conditio universi corporis systematis debitilitata.

Sed ut ingenue fateamur, universum genus humanum praedispositionem ad Febres intermitentes contrahendas habere credimus.

### *Excitantes.*

I°. Miasmata paludosa quae ex aquis stagnan-

nantibus et paludibus elevantur, et odores mephitici ex locis subterraneis et insalubribus adscendentes ab omnibus fere medicis, in primo ordine causarum Febrium intermittentium positi sunt (1). In primis quando paludes et aquae stagnantes, solis calore exsiccantur, tunc miasmata propria elevantur e terra quae tecta est massa limi vel argillae tecta, substantiis vegetabilibus et animalibus repletae. Substantiae organicae etiamsi putrescentes sub aquae superficie latentes, nullas noxias spargunt exhalationes (2). Hinc paludes, dummodo aqua bene impletæ sunt, non ita noxiae haberi debent, neque etiam, ubi densa arborum umbra a solis radiis continuo defenduntur (3).

II<sup>o</sup>.

(1) Cf. J. M. Lancisius, *de Noxiis paludum effluviis, eorumque remediis in ejus operibus a Petro a Salto, Coll. Genev. 1728.* J. Grainger, *Hist. Feb. anom. Bat.*, c. 5. a pag. 51-60.

*Verhandeling van Marum en Paets van Troostwyk, in her 8ste deel van de Rott. Maatschappij*, pag. 34.

(2) Hujus rei notabile exhibit exemplum saepius laudatus Senac libro laud. pag. 17 et 18.

(3) Cujus rei memorabile exemplum affert Alibert, *Op. cit.*, pag. 241. ubi huic habet: „ Monsieur Cassan observe „ que les marais sont peu pernicieux dans les Antilles, tant „ qu'ils sont couverts de bois touffus, qui empêchent l'accès du soleil. Les voisins n'en éprouvent alors d'autres inconveniens, que celui qui résulte ordinairement, du voisinage d'un air extrêmement humide, mais lorsqu'on abat „ les bois, et qu'on met le terrain en contact immédiat avec „ les

II<sup>o</sup>. Ventorum vis et directio miro modo adjuvare possunt miasmatum deleteriam actionem, sic enim hanc imminuere valent.

Haec miasmata, tempore sicco et calido e locis infectis emanantia, ventorum vi silente non turbata, loco inherent, aut vento fortiore longe lateque distribuuntur, aut denique magnis tempestatibus fugantur (1).

III<sup>o</sup>.

„les rayons solaires, de pernicieuses fièvres désolent alors toutes les habitations environnantes.”

Van Marum et Paets van Troostwyk, referunt Comment. laud. pag. 34:

„In den winter, wanneer de moerassige landen onder water staan en in drooge zomers, wanneer zij geheel zijn uitgedroogd, zijn er doorgaans de minste zieken, doch in de lente en in den herfst regeren zij.”

L. Bicker M. D., *Verhandeling over de doorgaande najaarsziekten in de droogmakerijen*, opus praemio decoratum in de Verh. der Rotterd. Maatschappij, tom 9. pag. 36. habet:

„wanneer de landen boven komen en nog met dras en min of meer water bedekt liggen, dan blijft het water op dezelve stilstaan en bederft. Te gelijk rotten met hetzelve eene groote menigte visschen, die men niet heeft kunnen opvangen, welke zich veelal in den modder en bagger verbergen en smoren, gelijk ook miljoenen van insekten, waardieren en planten.

(1) Cf. Tourtelle, *Eléments d'Hygiène*, ed. 2. tom. 1. pag. 303. ubi ait: „Les vents sont des douches d'air, et comme la douche d'eau est plus efficace que le bain, le vent agit aussi plus que l'air qui n'éprouve point d'agitation.”

Cf. Kerckhoffs, *Dissertation sur l'Air Atmosphérique*.

III<sup>o</sup>. Pluviae torrentes.

IV<sup>o</sup>. Aquae argillosae, quibus usi erant homines a Linnaea inter Februm intermittentium genitrices causas salutantur (1).

V<sup>o</sup>. Tempora veris et autumni.

VI<sup>o</sup>. Regiones, terras depresso, humidas habentes, cum coelo frigidiore, uti patriae provinciae nonnullae (2), aut coelo calidiore, uti Helvetiae et Italiae nonnullae regiones.

VII<sup>o</sup>. Habitatio in littoribus.

VIII<sup>o</sup>. Animi pathemata deprimentia, victus pravus, aqua domestica impura, et universum vitae regimen non conveniens climatis constitutio- ni. (3).

IX<sup>o</sup>.

seconde édition, pag. 52: l'action des vents sur les corps est relative aux qualités de l'air, outre cela ils exercent par leur impétuosité une action mécanique — ils agissent ou compriment, comme si le poids de l'air était augmenté.

(1) Cf. ejus *Amoen. Ac.*, tom 1. pag. 81.

(2) Paucis verbis patriae conditionem describere tentat J. J. Virey, *Hist nat. du genre humain*, t. 2. pag. 402: „Peu de contrées sont plus exposées, que la Hollande à toutes les affections endémiques résultantes d'un sol marécageux — les enfans y sont sujets aux apthes, aux croupes, presque toutes les femmes y éprouvent des fleurs blanches, les toux et catarrhes accompagnent des fièvres intermittentes très communes.” J. Pringle, *in Obs. on the diseases of the army*, pag. 2. circa patriam dicit: „it was no better than a large morass.”

(3) Praeclarus Anglorum Medicus Huxhamus, t. 2. *Oper. phys. med.* pag. 29 seqq. habet: „Februm intermittentum „cav-

IX<sup>o</sup>. Inhabitatio locorum depressorum, humidorum, et luci solari imperviorum, uti in sylvis profundioribus.

X<sup>o</sup>. Quid variae lunae formae et facies, quid maris affluxus et refluxus, quid electrica conditio atmosphaerae, quid in genere variorum corporum coelestium vis et effectus valeant ad Februm intermittentium causas coadjuvandas; id extra ingeni humani limites positum est.

XI<sup>o</sup>. Illi homines, qui inhabitant loca salubria sicca, altiora (1), vulgo sanissimi sunt, quando vero degunt in locis paludoso-aquosis opportuni omnimo videntur ad Febrem intermittentem, varia sub forma contrahendam (2).

Non

causae communes sunt humida, nebulosa atmosphaera orta a soli humidi puludosi exhalatione vel perpetua frigida, pluviosa crassaque tempestate, inde in regionibus depressis, paludosis, febres intermitentes observantur endemicae et in tali tempestatum ratione epidemicae."

(1) Qui montes incolunt, adeoque miasmata nullo modo patiuntur fortes viri sunt et vegeti, adeoque jure dicit Tourtelle, *Op. cit.*, tom. I, pag. 398: „les montagnards respirent un air pur très oxygéné et électrique. Ils ont, par conséquent, le sang chaud, beaucoup de force et de vigueur.”

Sic etiam laudatus Kerckhoffs, *Op. cit.*, pag. 37. longevitatem Polonensium adscribit locis altioribus, quos habitant et aëri atmosphaericо gratissimo, exhalationibus terebinthinati oriundis e pino sylvestri, arbore in hisce regionibus frequentissima. Exhalationes enim illae systemati nervio amissimae habentur.

(2) Hanc rem ingeniose probat G. W. Callenfels, in

Non possumus quin hoc loco inseramus egregii Elleri effatum de Febrium intermittentium causis remotis: „ Quomodo autem fiat et fieri possit, ut causae tam diversae et in tam diversas corporis partes agentes, eundem semper effectum, qui in harum Febriumi paroxysmis deprehenditur, producunt, demonstrationibus solidis omnino repugnare videtur (1). ”

eius Comment. coronata invenienda, in het 10<sup>de</sup> deel der Verbandt van het Zeeuwsch Genootschap, pag. 25: „ In het begin van Augustus 1781, rukte te Sluis in Vlaanderen, het Regement Zwitsers van Sturler in, bestaande uit 1040 manschappen; zij werden welras, zoodoor de najaarskoortsen overvallen, dat derzelver getal den 1 September reeds tot 900 was geklommen, zoodat toen van zulk een Regement maar 12 of 13 man zonder trom op de parade kwam.”

Ipsis nostris temporibus in illa exercitus nostri parte, quae Zelandiam defendit, multi milites praestantissimi, illis locis haud assueti, florente aetate frequenter aut Febre intermitente corripuntur, aut e numero patriae defensorum auferuntur, et inter eos vel inter incolas ejus provinciae non mirum habetur, si de citissima morte alicujus febre intermitente interemti certiores reddantur. Peculiare nomen habet apud nostrates *Febris Zelaudicae*.

(1) Cf. J. T. Eller, *Obs. de cognosc. et curand. morb.*, pag. 86.

## §. 2.

*Causae Patriae nostrae propriae, e quibus Febris  
intermittens apoplectica ortum ducit (1).*

Hae causae sunt vel *generales*, quae epidemias  
hujus Febris producere valent, vel *speciales*, quae  
hunc morbum sporadicē saevientem afferunt.

*a. Generales.*

I<sup>o</sup>. Miasmatum immediate ex paludibus et illis  
locis nobis *veenplassen* dictis exhalantium ingens  
numerus, indolis obscurae et effectus deleterii (2),  
nec

(1) De his omnino valet illud Boerhavianum: „Ser-  
„vandum id solum quod observatum est, nam ex observatione  
„sequitur adeo evidenter, ut a nemine ignaro et cordato dici  
„possit non sequi.” *Op. cit.* pag. 30.

(2) Paludosas exhalationes jam suo tempore novit praeclarus  
inter nostrates medicus Petrus Forestus, qui *Obs. lib. 4.* pag.  
60. scribit: „Ceterum civitas Delphensis, cum in loco profundio-  
„re sita sit et aquas non currentes aut fluentes habeat et fos-  
„sae non sint ampliae, imo augustae, per quas aquae moveantur,  
„sit, ut aquae tam immotae permanentes in civitate, potissimum  
„calore aestivo et canicula exoriente putrescant, ita ut habi-  
„tum quandam putridum maleque olentem emitant, qui facile  
„a transeuntibus sentitur, ut et aer facile quoque inficiatur, ita  
„ut observavi ut vix decem vel plures anni transeant, quin  
„cives aliquo modo, vel peste vel pestilentialibus febribus  
„(Perniciosis) affiantur.”

JAM

nec aquae stagnantes aut lacus, quibus patria nostra scatet, iis immunes sunt. Saepe haec miasmata tempore vespertino aut matutino adeo densa sunt, ut nebulae ad instar appareant, magnamque insectorum copiam simul gerant (1). Diutius haerent illa miasmata et effluvia in patria nostra; cum aër atmosphaericus plerumque humidior sit, adeoque mephitica affluvia in aëris humiditate facile vehiculum inveniunt, quo corpus humanum ingrediantur (2).

Cau-

Jam antea Hieronymus Fracastorius, Italus, post locustarum ubertatem a putredine morbos fieri contagiosos et post inundationes dixit. Cf. opera omnia de contag. morb. eorumque cura Aº. 1546.

(1) Cf. de his nebulis Pallas, *Voyag. en diff. Prov. de l'Emp. de Russ. et l'As. septentr.*, tom 1. Sebastiaan I. pag. 3.

(2) Bailly de Blois, *Op. cit.* pag. 122. probat exhalationes putridas ex regno animali et vegetabili, in regionibus calidioribus minores esse, quam in frigidioribus cum corpora putrescentia in illis citius exarescant. His verbis mentem declarat: „ Je me suis plusieurs fois approché d'eux (cadavera via aperta jacentia) pour y chercher les insectes, qu'ils pouvaient contenir, et chaque fois j'ai été étonné, du peu d'odeur, qu'ils répandaient, (hoc dicit in Italia) j'ai été d'autant plus frappé de ce fait, que, m'étant livré au même genre de recherches à Paris, j'avais souvent besoin d'une assez forte somme de courage pour oser aborder certains cadavres de chiens, dont la puanteur ne permettait pas de rester auprès plus d'une demi minute et même moins encore. Rien de semblable je n'ai senti en Italie; on y est rarement

„ aver-

Causis igitur physicis patriae solum maxime genesis Febrium intermittentum, tam vulgarium, quam malignarum, favet (1).

II<sup>o</sup>. Inundationes graves, quibus amnes nostri et flumina saepe in agros nostros ruunt, aggeribus devastatis. Limum tunc facile a limacibus, piscibus et vegetabilibus aquaticis magna quantitate in inundatis locis, post aquarum refluxum, remanere apertum est.

His

,, averti de loin de la présence d'un cadavre en putréfaction ,,, comme dans le Nord."

Alibert, de hoc argumento disserens affirmat: „ si l'on se „ transporte à diverses heures près de l'égout où stagnent les „ ordures et les immondices de la vaste maison hospice de la „ Salpétrière, on se convaincra, que l'odeur qu'il exhale n'est „ jamais plus infect qu'à l'entrée de la nuit."

Omnibus nota res est, quam dulces sint terrae herbarum et florum odores tempore vespertino, quando aér atmosphaericus terrae vaporationibus humidior sit factus. — Odores enim vehiculo indigent, ut membranam, in quam nervi olfactorii ultimi rami disperguntur, afficiatur, vespere aut post pluviam praegressam optimum igitur vehiculum ex humiditate petunt odores ut membrana interna narium stimulare valeant.

Ingens Febrium intermittentum numerus Italiae proprius facile explicatur ex noctibus in hac regione frigidissimis miasmata retinentibus. Humiditas enim noctis fere convenit cum calore, quae durante die observatur. Caloricum enim figitur in ipsa terra; at nocte invadente caloricum terram relinquere conatur et vapores humidos e terra simul evolvit. Nam si noctem jove aperto in locis, paludibus vicinis transigunt viatores, saepe variis affliguntur Febribus intermittentibus.

(1) Cf. J. van Leeuwen, *Batav. illustr.*, pag. 551.

His substantiis organicis omnino soli natura fertilior, sed aëris atmosphaerici conditio magis nociva redditur, cum enim metuenda miasmatum turba inde redundet (1).

Ip-

(1) Saepius eae patriae urbes et pagi quae ad antiqui fluminis Rheni ripas sitae sunt re vera expertae sunt hanc rem ita sese habere. Lecca saepius prata extra aggeres sita (*de uiterwaarden*) inundat, ita ut amnis superficies multum sit ampliata et extensa. Incolae hoc vocant: *het wassen der rivier*. Quando iterum intra ripas refluxit flumen, relinquuntur in iis pratis multae sordes, inprimis materia limosa *slib* dicta. Haec materia prata illa omnino fertilissima reddit, at simul aër atmosphaericus, cereoquin in his regionibus adeo saluber et amoenus, insalubris et foetidus redditur, ita ut vespere evaporatio illa miasmatica, quin e longinquu etiam facile olfactu dignoscatur, quod incolae nomine, *het ruiken der rivier*, insigniunt. Sponte intelligitur facile inde Febres intermittentes, imo et characteris perniciosi evolvi. In illis autem tractibus, ubi aggerem inter et flumen densae salicis sylvae (*rijswiearden*) positae sunt, miasmata illa, olfactu saltem haud percipiuntur.

In Ephemeridibus mensis Augusti 1832. (*Staats-Courant*) inventur: „ Men meldt uit Dungen (Noord-Brabant) 22 Aug. „ 1832. De vrees der geneeskundigen, welke, in het algemeen „ verslag over de provincie Noord-Brabant, wegens het jaar „ 1831. voorkomt, van, namelijk de moeraskoortsen we- „ derom met het najaar in verscheidene gemeenten te zien „ ontstaan, is reeds alhier ongelukkig verwezenlijkt. Even „ gelijk voorleden jaar woeden in ons dorp gemelde koort- „ sen. Zij openbaren zich weer het eerst in al de huizen, „ gelegen aan het geïnundeerde Bosschen veld, van waar dezelf- „ ve spoedig door de gansche gemeente doordringen, zoo dat „ een groot getal ingezetenen aan dezelve lijden, by sommi- „ gen is reeds de eerste of tweede, maar vooral de derde

„ aan-

Ipsa epidemia anni 1826. ex praegresso diluvio terribili a non paucis excitata creditur.

Popken enim, qui de hac epidemia scripsit (1), omnino opinioni illorum favet, qui ferox diluvium anni 1825, potissimum insequentis epidemiae causam habent.

Dapper in descriptione Africae scribit, pestem in Aegypto nunquam oriri, nisi Nilo nimis crescente, magnamque regionis superficiem inundante. Quando Nili aquae stagnant universa regio in paludem mutata videtur, et ær atmosphaericus, accendentibus ventis australibus, infectus perquam redditur, prouti ipse affirmat.

Patria frequentes habet inundationes, cujus rei permulta in historia prostant exempla et qua de re, Sebastiaan haud absque probabilitate dicit:  
 „Er gaat bijna geene winter voorbij, dat bij eene  
 „ijs-

„aanval zeer bedenkelijk.” Scilicet eo tempore, quo Belgum στάσις magis magisque antiquae Hollandiae solum accederet, urbesque magni momenti Sylvam Ducis, Bredam et Bergas ad Zomam, nostra præcipua propugnacula, desiderabat, eas urbes rite defendendas statim curavit summus magistratus: quo circa vasta illa plaga, ad Sylvam Ducis (*Bossche veld* dicta) inundata, magnam superficiem submersam exhibebat, quae hostium accessum retardare potuit: at proh dolor! deinceps, uti vidimus, incolarum sanitati nocere debuit.

(1) *Hist. Epid. malign. ann. 1826.*

„ ijsgang de dijken niet doorbreken, en geheele  
„ landen overstroomd worden” (1).

In epidemia anni 1826. Urbs Holl. Sept. *Horna*  
non libera mansit a febricitantibus, nam 4,000  
et quod excurrit aegrotabant, pauci tamen morie-  
ban-

(1) Loco laud. pag. 25. Cf. F. W. Büchner, *Verh. over den*  
*invl. der Noord Holl. droogmakerijen op de gezondheid der in-*  
*gezeltenen uitgég. door het Prov. Utr. Genootschap ann. 1824.*  
*p. 66. scribit: „ In 1624, na eenen zeer kouden winter kwam*  
„ er zeer veel opperwater op de Nederlandsche rivieren. Ys-  
„ gang en verstoppingen hadden ten gevolge, dat den 10 Janua-  
„ rij de Lekdijk, één uur boven de Vaart, doorbrak. Hierdoor  
„ geraakte een gedeelte van het Sticht van Utrecht en Noord-  
„ Holland tot Amsterdam toe, en gansch Zuid-Holl. tusschen  
„ de Lek en Maas gelegen, onder water, zoodat de landerijen  
„ zich vertoonden even als vóór de bedijking der rivieren.  
„ Het voorjaar was zeer schoon en warm; in de lente nam de  
„ warmte spoedig toe, en werd de hitte zoo groot als anders  
„ in de hondsdagen. In den zomer, die almede zeer heet en  
„ droog was, regeerden uitermate veel zware vurige ziekten;  
„ als pesten, rood melisoen (roode loep) en brandende en  
„ booze koortsen, welke eene menigte menschen wegnamen.

Porro pag. 71.

„ In 1625 had den 8<sup>ten</sup> Maart, een zware storm en een der  
„ hoogste watervloeden in deze landen bekend, plaats. Vele  
„ dijken op Texel, Wieringen en Waterland braken door,  
„ en bijna geheel Noord-Holl. liep onder, zoodat op vele  
„ plaatsen, onder anderen geheel Waterland, naar eene opene  
„ zee geleek. De zomer daarop was gelukkig noch heet, noch  
„ droog, zoodat er in dit jaar minder zieken, dan in het vo-  
„ rige waren.”

Cf. quae de Tiberis inundatione attulit Lancisius, *Op.*  
*tom I. pag. 116 seqq.*

bantur, neque Febris naturae erat malignae, atque apte institutae medicationi brevi cedebat, at vero etiam integra mansit haec urbs ab omni prægressa inundatione (1).

In opusculo qoud inscribitur: *Verslag der Commissie voor de Noodlijdenden door de ziekte in Friesland, in November 1826.* ea quae diximus affirmantur: „ Het zijn voornamelijk de overstromde „ Grienden, die het hevigst, door de ziekte werden aangetast. ”

III°. Commixtio aquae marinae, cum aqua dulci fluviatili miasmatum noxiorum evolutioni suum tribuere videtur. Haec miscela in plurimis patriæ locis obtinet, atque ab incolis dicitur: *het bij-malkadr komen van het brakke met het zoete water.* Inter causas ultimae Febris intermittentis epidemiae (1826) a multis enumeratur (2).

IV°. Tanquam magnum fontem miasmatum diversorum etiam malignorum, recenset historia artem illam, quae molando docet lacuum, paludum atque aquarum stagnantium aquas contentas evacuare et loca inde arida facta circum aggerare (3) (*de droogmakerijen*).

Sic

(1) Cf. opusc. *Mulder et Roelans Bijdragen enz.* Banga, *in opusc. de Epid.* 1826. pag. 106.

(2) Cf. *Verslag der Geneesk. Commissie jam cit.* p. 14 et 15. Banga, *Op. cit.*, pag. 98 seqq.

*Thyssen, Herfstkoortsen*, pag. 57.

(3) Vid. opus egregium a doctiss. F. W. Büchner, M. D. Verh.

Sic explicatur et intelligitur miasmatum illorum magna copia, quae in primis in patria nostra praesens.

*Verh. bekroond door het Prov. Utr. Gen. atque publici juris facta A°. 1824, titulo: Verh. over den invloed der Noord Holl. droogmakerijen, na 1608, op de gezondheid der ingezetenen*: pag. 24. hanc de re sequentia monet: „ voor dat men begonnen is, in deze landen uitgesrekte bedijkingen en droogmakerijen te ondernemen, vindt men maar zelden van Epidemische ziekten gewag gemaakt, zelfs ook van diegenen, waaraan men naderhand te regt of ten onregt den naam van pest gegeven heeft, schijnen voor het jaar 1340. weinig of niet bekend geweest te zijn.”

Plurimae enim epidemiae, quas patria postea passa est et quae variis pestis nominibus insigniuntur, haberi debent Febres nostrae autumnales.

Büchner, *Op. cit.*, pag. 130—152. et in tabellis in fine operis positis, egregie probat post has operationes institutas, complures exortas esse epidemias, quae, si non directe ex aliis causis excitantibus (quales sunt diluvia atrocias, urbium obsessiones et regionum per proelia devastationes,) ex his ita dictis droogmakerijen derivandae sunt.

Iterum Büchneri verba citare liceat, cum vernaculo sermone solum ea tradi valent, quae patriam unice spectant. Pag. 133, *Op. cit.*, habet: „ De Epidemie van 1580, welke in den omtrek van Hoorn het zwaarst en in andere steden, onder verschillende benamingen geregeerd heeft, komt mij voor almede tot die ziekten te behooren, welche uit moerassige dampen ontstaan zijn, daar in dat jaar in den omtrek van Hoorn zeer veel begraven en gebaggerd is, en de zomer tot de heete en drooge mag gebragt worden, alzoo dezelfde schadelijkheden aanwezig waren, welche bij droogmakerijen ziekten verwekken. Indien het noodig wäre bewijzen bijtellen, dat uitgravingen door uitdrooging der

sens febres intermittentes aut excitant, aut iis symptomata perniciosa et severa adjungit, quibus magnus hominum numerus extinguitur.

Ingeniose Büchner, ut paucis verbis locorum exsiccatorum noxas comprobet, dicit (pag. 142:) „Zoude het nu juist geredeneerd zijn, indien men beweren wilde, dat de Geneeskundigen der voor-gaande eeuwen, de uitdampingen van pas droogge-maakte gronden voor onschadelijk, en daarentegen, die, welke uit opgedroogde grachten en vervulde havens, uit opgebaggerde slib en andere vuiligheden gedurende heete en drooge zomers opstijgen, voor schadelijk zouden gehouden hebben?” Frustranei huc usque fuere omnes conatus instituti, ut chemicis experimentis et analisibus partes constituentes noxiae horum miasmatum paludosorum detegerentur.

Mi-

„der opgebaggerde slib in staat zijn ziekten voor te brengen, behoefde men slechts te herinneren aan die ziekte, welke in deze jaren, bij de delving van het kanaal in Noord Holland jaarlijks geheerscht hebben en nog heerschen, en aan de epidemie, welke dit jaar te Amsterdam, ten gevolge der roeringen van gronden en uitbaggeringen heerscht.”

Porro pag. 140: „Telkens zijn op uitgestrekte droogmakerijen, zoowel in vroegere als in latere tijden, epidemische ziekten gevoldg.”

Cf. etiam: *Verhand. over de doorgaande najaars ziekten der droogmakerijen door L. Bicker, in de Verh. van het Rosterd. Batnafsch Proefondervind. Gen., tom 9. pag. 1 sqq. Genosch. Correspondentis, tom 1. suk 2. pag. 34—50.*

Minor deprehenditur earum differentia a partibus constituentibus aëris atmosphaerici, quam ut ex ea potentia sanitati adeo nociva explicari posset.

Tutius igitur assentimur eximio chemico Fourcroy aliisque, vapores et effluvia paludosa in se solutas tenere partes corporum putrescentium tam animalium quam vegetabilium, cui solutioni vires et proprietates morbificae adscribendae videntur (1). Dantur etiam chemici, qui licet effectus miasmatum nocere posse haud negent, effectus tamen noxios paludum aëris atmosphaerici humiditati inde ortae potissimum adscribunt.

Tamdiu igitur solummodo observanda vis nocens miasmatum paludosorum est, sine explicatione

(1) Cf. *Recherches historiq. chem. et med. sur l'air maréc. œuvre couronnée par l'Académie de Lyon par J. J. Julia*, Paris 1823. pag. 121.

C. Sprengel, *Path. Gen.*, pag. 229: „Experientia potius quam eudometria noxas paludum explorare debemus.” J. Frank, *Præc. Prak.* I, pag. 69. habet: „corpus humatum ipsum acrotans, certe physicis optimum, instrumentum meteorologicum exhibere potest.” Bakker, *Op. cit.*, pag. 41: „De kennis van den dampkring is aan allen bijna geheel verborgen, met uitzondering van een zeker algemeen verband tusschen derzelver afwisselingen, en de daarmede doorgaans te zamen gaande verandering in het organisch leven, bijzonder in de ziekte der menschen.”

Thyssen, in ejus opere de *herfstkoortsen*, fideliter fatur: „de grootste scheikundige hebben tot heden vruchtelos gepoogd de natuur dezer smetstof te ontsluijeren.” Cf. etiam Banga, *Op. cit.*, pag. 95—98.

debita pathologica aut physiologica, quamdiu eorum chemica vera compositio lateat.

Miasmatum igitur naturam, indolem et characterem sedulo et fideliter observare prudentis atque rationalis erit medici.

Haec miasmata paludosa, etsi diversae rationis et originis, omnia tamen in eo conveniunt, ut ipsum corporis humani dynamismum afficiant eosque morbos afferant quales dynamicos medici appellare consueverunt; quorsum pertinent Febres illae, typo intermitte, charactere saepe pernicioso, in regionibus paludosis aut sporadice, vel endemicis, vel denique epidemice saevientes.

Haec miasmata aliquando determinatam vim nocentem exercent in haec vel illa organa, deviationes normalis structurae et functionis producentia aut relationem variam inter varia organa destruentia, et sic tandem harmoniam quam inter varia systemata corporis existere observamus, infringentia, aut verbo, eos producunt morbos, naturae plerumque chronicae, quos organicos dicimus; quorsum referimus affectiones scorbuticas nostratis bus adeo familiares (1), inflammations chronicas aut hepatis aut lienis, aut eorum emollitiones, aut expansiones (*fieberkuchen*) vel denique dyspepsiam, hydropes vari generis aliosque morbos.

Ex memoratis intelligitur, quantopere loci illi,

(droog -

(1) Cf. Dolleman, *Op. cit.*, inde a pag. 56-65.

(*droogmakerijen*), sanitati incolarum nociturae sint in primis si lacus expansiores molando exsiccentur. Minime lacus ille Hollandiae septentrionalis vastus, *Harlemensis* dictus, ventis continuo agitatus atque commotus, in numerum conferri potest illorum lacuum minorum, aquas foetidas stagnantes continentium, et vapores noxios edentium.

Si tamen hic lacus arte exsiccaretur, multi omnino fertiles agri inde provenirent, atque provincia Hollandia singulare caperet emolumentum, sed pariter, quinam morborum, in primis Febrium intermittentium malignarum, numerus evolveretur. Totius Hollandiae aër atmosphaericus inficeretur, et aerumnarum multarum fons aperiretur. Haec ratio esse videtur, cur ab Augustissimo Rege hoc propositum hactenus non sit probatum (1).

Verbo commemorare liceat miasmata, quae ex ipso mari aut e littoribus evolvuntur aliquando, praecipue ex substantiis animalibus, quibus saepe littora tecta sunt, oriunda.

V°. Terra argillaceae Februm intermittentum, tam vulgarium quam perniciosarum, matres quoque sunt habendae, unde Vir Cl. Bakker scripsit:

(1) Cf. etiam de miasmatibus ex officiis illis (*droogmakerijen*) oriundis: *Berigt van de ziekte te Berkel, in de nieuwe droogmakerijen, in 1779.* door J. van Zwigt.

*Geneesk. Correspond., tom. 1. pag. 58c—603.*

*Verh. van de Holl. Maatschappij, tom. 18. pag. 178 seqq.*

sit: „ Nec desunt quoque exempla terram argilla-  
 „ ceam, eamque valde compactam, qualis agrorum  
 „ nostrorum facere solet, ardente sole diu exsic-  
 „ catam, ex hiatu profundo, hinc et inde aperto,  
 „ vapores emisse ruricolis manifeste nocentes. Ar-  
 „ gilla autem vix potest, quin maxima in culpa po-  
 „ natur, si comparata fuerit cum solis terris arenosis.  
 „ Praeterquam enim quod sabulum humore, quan-  
 „ tum capere possit, imbutum, porositate sua aquam  
 „ facile demittat, quodque reliquum est ardore so-  
 „ lis ventisque dispergentibus, cito exhauriatur,  
 „ non obliviscendum est nostrae experientiae fon-  
 „ tes, sitve solum vaporem aqueum spectent, vel  
 „ miasma quoddam specificum, maximam partem in  
 „ terris argillaceis esse sitos ” (1).

## VI°.

(1) Cf. G. Bakker, *in opusc. de epid. Groningana titu-  
lo*, epidemia quae anno 1826. Urbem Groningam affixit,  
pag. 6 seqq.

Cui sententiae fere convenit effatum Cl. Thomassen a Thues-  
sink, qui in opusc. de eadem epidemia, pag. 62. scribit: „ Alle  
„ Oostvriesche eilanden, die eenen zandbodem hebben, wisten  
„ van geene ziekte. Een gedeelte van het eiland Borkum al-  
„ leen, hetwelk klei bevat, heeft ook vele zieken geteld.”

Alio loco *Geneeskundige Waarn.*, Amst. 1810. pag. 167  
seqq. Vir. Clar. affirmat: „ Het is moeijelijk te bepalen,  
„ welke de stoffe zij, die uit de opdroogende klei ontwik-  
„ keld wordt, en tot najaarskoortsen aanleiding geeft; het  
„ komt ons voor, dat 'er uit de van water ontbloote  
„ klei, opdroogende slijk en uit de slooten eene nadecili-  
„ ge uitwaseming en stinkende lucht ontwikkeld wordt, wel-  
„ ke men duidelijk waarneemt,wanneer men eenen stok in

VI<sup>o</sup>. Hisce igitur varii generis miasmatibus e patriae solo exhalantibus accedit temperatirae et tempestatis mutabilitas (1). Haec enim vicissitudo tanta est, ut subinde vehemens calor sit, alio tempore idem adeo decrescat, ut viginti et quot excedit gradus saepe eodem nychthemero differant thermometra.

„ dien grond steekt, de kleistoffen in de slooten roert, en „ zeljs des zomers, langs de wegen en slooten gaande, door „ den reuk kan ontdekken.”

(1) Huic loco convenit Hippocratis aphorism. 4. sect. 3: „ In eodem die, modo calor, modo frigus fit, morbos autem „ autumnales exspectare opertet.” Cf. J. A. F. Ozanam, *Hist. med. gener. et part. des malad. epid. contag. ou épi-zoétiques*, tom. 2. pag. 322 seqq.

Ut immodi caloris in nostra patria aliquando observandi exemplum exhibeamus sequentia ex Büchneri, *Op. laud.*, pag. 73: „ In 1634. was de zomer zeer droog, en het najaar „ buitengemeen schoon, met weinig regen, tot het einde van „ de maand november, zoo als bij menschen geheugen nooit ge- „ weest was. In het laatst van oktober vond men eene me- „ nigte kievetseijeren, verscheiden oostboomen bloeiden twee- „ maal, en bragten vruchten voort; men zag op nieuw aalbe- „ ziën en blaauwbeziën te voorschijn komen, en aan de ro- „ zehoomen, nieuwe knoppen en rozen. De tulpen bloeiden „ in het laatst van oktober, en in het begin van november an- „ dermaal, dat nooit door eenigen bloemist hier te lande gezien „ was. Eveneens was het ook met vele andere aard- en boom- „ gewassen. De droogte was zoo groot dat de Maas, de Waal „ en de Yssel, zoo droog en oindiep werden, dat op sommige „ plaatsen niet boven de anderhalve voet water stond.”

Cf. etiam W. Grant, M. D., *an enquiry into the nature of the Fevers most common in London*, pag. 18.

mometra; unde nemini mirum accidit inter nostrates, si una die thermometrum  $80^{\circ}$ — $90^{\circ}$ , altera vero die  $50^{\circ}$ — $60^{\circ}$  et infra indicet.

De hac autem tempestatis mutabilitate jam supra monuimus.

VII°. Qualitas aquae, domestico usui inservientis, depravata multum favere potest Febris perniciosis evolvendis. Sic e. g. Medioburgi, in Zelandiae insula Valacia siti, nulli fere inveniuntur fontes genuini aquae potabilis (1). Utuntur igitur incolae aqua pluviali, in cisternis nimirum conservanda, quo fit ut facile corrumpatur substancialibus vegetabilibus aut animalibus illapsis atque putrescentibus. Haec enim aqua ex domuum tectis destillans simul etiam secum dicit omnes partes saepe noxias ex pulveribus, aut fumo aut quibuscumque substancialibus tectis inhaerentibus oriundis. Hinc facile noxia redditur aqua; accedit ejus fluxus per

tu-

(1) Cf. J. Raymond, *Diss. exhibens descr. febr. imterm. autumn. quotannis Middelburgi en in vicinis Zelandiae locis grassantium 1767.*

In libro antiquo, cui titulus *Register der dagvaart van Mr. Aart van der Goes*, pag. 207. invenimus Carolum V. anno 1540. citationi juridicae Amstelodami non interfuisse sed quidem Harlemi, quia prouti affirmat auctor: „ te Amsterdam „ de vier elementen gecorrumpeerd waren, en om te behoe „ den de gezondheid van Zijne Keizerl. Majesteit en van die „ genen, die hoogstdezelve volgden en water drinken wil „ g, den, hetwelk te Amsterdam niet deugt, en waarin zich velen „ ziek en dood drinken zouden.”

tubos plumbeos aut cupreos, unde saepe paralyticae affectiones oriri solent.

Hinc merito dolendum hoc incommodo cum Zeelandia universa fere omnem Hollandiam septentrionalem et meridionalem, nec non alias patriae partes laborare (1). Qui defectus aquae bonae potabilis ab omni tempore tanquam grave reipublicae dampnum habitus est (2).

(1) Cf. C. J. Nieuwenhuis, *Gen. Beschr. enz.*, deel I, pag. 49—88.

W. S. Büchner, *Verh. over de middelen ter voork. van keersch. ziekte, bij uitgest. droogm. in de verhand. van de Haar. Maats.*, deel II, pag. 50—55.

J. J. van den Bosch, *Natuur- en Geneesk. Verh. van de oorz. voorbeh. en genezing der ziekten*, pag. 602. ubi dicit: „In weerwil van alle aangewende middelen, bleef in een „boerenhuis de moeraskoorts aanhouden, en hield niet op, „voor dat men de menschen van goed regenwater had kunnen „voorzien, wanneer dezelve een eiude nam.”

(2) Romani suo jam tempore tanti habuerunt aquae purae copiam, ut aquas per septem milliarium spatium sub latériciis fornicibus, vasto opere subterraneo, Romam adduxerint. Non nulli enim aqueductus ejus fuere amplitudinis, ut eas, vir equo insidens facile transire posset. Atque Agrippa ex Plinii testimonio, septuaginta aquarum receptacula (quae Plinio lacus dicuntur) in communis usus construxit. Nihil magis mirandum fuisse in toto terrarum orbe, narrat Plinius, sive aquarum abundantiam in publico spectaveris, sive aquae in urbem advenientis exstructos arcus, sive montes perfosso et convallos aequatos. Cf. Plin., *Hist. nat.*, lib. XXX. c. 24. §. 9 et 10.

Cf. etiam de aquae domesticae potabilis valore Thomassen

B. *Speciales.*

Ad has referimus omnes causas excitantes febrium intermittentium universim jam indicatas. Quae autem sequuntur singulatim indicandae cau-  
sae, majoris nobis videbantur momenti, quam ut  
silentio eas opprimeremus.

I°. Constitutio corporis helminthiasi favens. Vermes enim multorum morborum patriae endemicorum matres merito habentur. Narium autem pruritus, pupillae dilatatio, atrox capitis dolor, quae symptomata in verminantibus saepissime obseruantur, manifesta ratione docent vermes etiam in encephalon agere illudque debilitare posse (1).

II°. Victus prayus, quem jam antea inter causas excitantes communes Febrium intermittentium enumeravimus. Hujus tamen loci in primis est abusus cerevisiae minus laudabilis, atque alimentorum glu-

a Thuessink, *Geneeskund. waarn.*, Amst. 1810. pag. 167.  
Sebastiaan, *Op. cit.*, I. pag. 18.

(1) Cf. J. J. van den Bosch, *Medicus Haganus*, in *Hist. const. epid. verminosae quae anno 1760, 1763. cest ob servata est*, cap. VI. pag. 354.

Bailly de Blois, in sectionibus cadaverum Febre intermitente apoplectica mortuorum saepius plures vermes offendit, minimus illum in autopsia alicujus historia morbi febre apoplectica interemti inter alia habere: „Beaucoup de vers dans „les intestins grèles, qui présentaient aussi des portions en „flammées, surtout là où se trouvaient des pelotons d'ascarii „des” Cf. etiam Sebastiaan, *Op. cit.*, I. pag. 62 seqq.

glutinosorum et amylaceorum, utpote quae intestina valde infaciunt, flatus producunt, liberam circulationem per abdomen impediunt, et congesti-  
nibus ad caput vergentibus favent. Hinc partim directe praedispositionem ad apoplectica sympto-  
mata adjuvant, partim indirecte primarum viarum conditionem depravantes, per sympathiam capitis affectiones provocant.

III°. Damnosus potuum spirituosorum abusus, cui inter nostrates, in primis pauperes dediti sunt (1), qui potus sensu pathologico venenati habendi sistema nervorum insigniter debilitant.

IV°.

(1) Cf. Cl. Matthias van Geuns, *Over de verderfelijke werking der sterke dranken en derzelve verbazend versterk*, in excursionibus, quae accidunt versioni vernaculae Orationum Academicarum. *De Civium valetudine* cett.

Cff. Corollaria de cibo et potu invenienda in disq. hist. saepius cit. Mennonis Dolleman, pag. 117.

Thyssen, *Lib. cit. Gen. Beschr. der ziekten in de Nederl.*) pag. 71. sequentia habet: „ dat de gematigheid (bij ons) „ zich meer bij den wijn, dan bij jenever en andere sterke dran- „ ken bepaalt, bewijzen het vermeerderd gebruik der rhum „ en likeuren, de 130,000 ankers jenever in de laatste ja- „ ren voor stads gebruik aangegeven (loquitur de urbe Amste- „ lodamensium), daar men te voren, de sluikerij en verzen- „ ding om de stad berekend zijnde, de consumtie daarvan „ voor de stad zelve, bij een grotere bevolking, op „ 70,000 in het jaar stelde.”

Cf. etiam Thomassen a Thuessink, *Op. cit.* pag. 72.

Nieuwenhuis, *Op. cit.*, I. pag. 185.

Non solum hi potus in culpa sunt intemperantiae, sed huc etiam per-

IV°. Nimia ingurgitatio nostratibus familiaris potuum aquosorum tepidorum, forma infusionum theae et coffeeae (1); qui potus, si quotidie magna copia adhibentur, solida directe debilitant, humorum partem aquosam augent, sistema nervorum nimis attenerant et flaccidum reddunt, unde praedispositio Febrium intermittentium augetur et coadjuvante miasmate noxio Febris perniciosi characteris genesis facilitatur.

Summum patriae nostrae lumen Boerhauius suo jam tempore potuum aquosorum tepidorum inter Batavos abusui vertiginem et gravem cephalalgiam, frequentes tunc temporis morbos, adscripsit (2).

Magnus olim Boerhavii discipulus Swietenius scripsit, se plurimos vidisse, qui potibus illis diu abusi membra vix traherent, plures etiam apoplexia et paralysi exinde correptos (3).

## V°.

pertinent epulae lautiiores, quare haud incomite affert J. Harger, in ejus *Verh. in de Zeeuwsche Verhandelingen*, tom 10. pag 171: „Als ik eene hedendaagsche tafel in al derzelver pracht, zie aangerigt, dan verbeeld ik mij jicht, waterzucht, koorts, sen, slaapzucht en andere kwalen rondom dien disch in hinderrlaag te zien liggen.”

(1) Cf. M. van Geuns, *Or. altera de civ. valetud. tuenda, A°. 1787.* pag. 69. *Bcoordeeling yan het gem. gebr. der Koffij enz. art. adj. vernaculae vers. Orationum.*

Cf. etiam exemplum a doctiss. Jorritsma, in *Opusc. de Ep.* pag. 7. commemoratum.

(2) Cf. Boerhave, *Prael. de morbis nervy.*, tom 2. pag. 612.

(3) Van Swieten, *Comment.*, tom 3. pag. 362.

V°. Nostratum perversa consuetudo collum collaribus stringentibus tegendi, unde vasa jugularia necessario premi debent (1). Alii corpus vestibus angustioribus cingere solent, qui mos in primis foemini thoraces gerentibus familiaris est.

VI°. Perversa consuetudo, quae sensim in patria increscit, infantes juniores ante debitum vitae terminum in scholis instituendi. Hinc fit, ut juniora cerebra studiis protractis intempestive fatigentur, atque infantum tenera aetas rebus abstractis oneretur, unde congestiones sanguinis in cerebrum continuo alliciuntur. Quocirca haec res etiam a multis tanquam encephalitidis, morbi hodie inter nostrates frequentissimi, causa remota salutatur (2).

VII°. Turpis abusus, materna caritate indignus, quem plurimae inferioris ordinis matres adhibent, remedia somnifera syrupi forma, tenellis, ut quiescant, saepius porrigendi.

(1) Boerhave, *Prax. med.* part 4. pag. 301. Jam dixit: „quidquid externe caput comprimere potest facit apoplexiā, „hinc compressis venis jugularibus, statim fit apoplexia.”

(2) Cf. G. J. Pool M. D., *Verhandeling over de oorzae en voorbehoed middelen der herssenlylies, ontstekingen bij kinderen. Uitgegeven door het Prov. Utr. Genootschap*, pag. 22 seqq. — 27.

## C A P U T III.

## DE MORBI NATURA, ATQUE PROGNOSI.

Difficillima sane et ardua res est, naturam Febris cujuscunque, in primis autem Febris intermittentis apoplecticae definire. His difficultatibus oppressi fere Reilio assentiremus, dicenti: „Sola cognitione historica febrium nos esse debere contentos, iis simpliciter esse operam narrantam, secundum signa, accidentalia symptomatata et causas physicas generantes; cum cetera nobis prorsus lateant.”

Mercati sententia <sup>1</sup>inspissationem, attenuationem condensationem, congelationem et irregularem effervescentiam humorum causam proximam Febris intermittentis perniciosa habens, nostris, quae vivimus temporibus non amplius admittenda videtur.

Morton sententia degenerationem spirituum animalium in medium afferens nimis hypothetica videtur.

Ipse Torti, adhuc minoris pretii hac de re protulit opiniones.

Aliac

Aliae quaecunque theoriae, quae de defectu, excessu, vel alteratione fluidi nervorum aliquid statuerent, tamdiu rejicere coacti sumus, quamdiu ipsum fluidum nervorum in sola imaginatione auctorum exsistere videtur.

Neque illae sententiae sunt admittendae, quae tensionem et oscillationem systematis nervi tanquam causas Febrium intermittentium, ponunt. His enim vocibus facile quis longe aliam notionem systematis nervorum adscribere possit, quamquae in rerum natura exsistit. Tensio enim et oscillatio illa menti ideam exhibet quasi chordarum musicarum, quae tensae et elasticae esse debent, minime vero convenit proprietatibus filamentorum adeo tenuium, mollium et flaccidorum, qualia quidem systema nervorum nobis in quacumque demonstratione anatomica conspicienda exhibet. Praeterquam enim, quod hisce sententiis re vera sana Anatomia et Physiologia, quae sunt egregia medicinae fundamenta, laeduntur, sic etiam iis quaestionis cardinem perscindi, non solvi, apertum est; cum simul medicinae progressibus obsint.

Haud incongruum fore duximus, primum expонere universam Febris naturam, ut hac via quasi sponte ad nostri morbi naturae considerationem ducamur.

Scilicet Febris, si rite definiatur, omnino est morbus spasmodicus, regularis, periodicus, omnes organismi vires et facultates praeter normam

mam afficiens, ex pluribus invasionibus compositus, incipiens a constrictione quadam peripherica et humorum e vasis minimis et exterioribus in majora et interiora impulsione, procedens cum reactione naturae stimulatae, qua fit, ut victo spasio peripherico, sanguis extrosum expellatur, et per omne corpus celerrime agitetur cum calore aucto, pulsu alterato, naturali celeriore, nec non functionibus variis laesis, quique morbus tandem terminari solet crisi, ipsis naturae viribus praestanda.

Omnium Febrium intimam naturam opinamur esse analogam, sic ut varia Febrium genera et species, pro diversitate modo causarum excitantium, diverso modo, determinata sint (1).

Om-

(1) Unde illud Boerhavii: „apparet hos morbos (Febrres) varietate quidem infinitos, ratione symptomatum; tamen ex origine non adeo composita pendere, neque tam vario medicamenta medendive methodum requirere.”

Alibert, *Op. cit.*: „des praticiens instruits ont parfaitement démontré l'analogie, qui existe entre les Fièvres intermittentes et les remittentes.”

Cullen, *Synops. med.*, tom 2. pag. 67. acute Febres continuas ab intermittentibus distinxuit dicendo: „Febres continuas sine intermissione nec miasmate paludum oriri, sed cum remissionibus, et exacerbationibus, notabilibus perstare.”

Cf. de eadem febrium natura, *Waarn. over de koortsen door J. Clark, uit het Engelsch vertaald*, pag. 4.

Conf. etiam D. Schmidtmann, *bemerkungen über die wech-*

Omnis qualescumque Febres, etiamsi variis causis allatae eandem tamen causam proximam in systemate nervorum haerentem, habere videntur (1), ea quidem ratione ut hoc sistema praeter normam sanitatis incitatum atque vitiatum, sistema sanguiferum simul afficiat. Hinc aucta cordis et vasorum reaktione in toto corpore oritur acceleratus sanguinis circuitus, quia sistema nerveum et sanguiferum, stimulo eodem morboso conjunctim affectum eam conditionem morbosam producit, quam Febrem nuncupamus.

Haec autem affectio varios edere solet effectus, ita quidem, ut

In synocho simplice	Opressio virium.
In Febre biliosa	Fractura virium.
In Febre pituitosa	Languor virium.
In Febre nervosa (maligna)	Ataxia virium.
In Febre putrida	Omnis prostratio virium, locum habeat.
Haec tabula Februm continuarum, quam proprie cl-	

*wechselseieber caet., in tom 72. pag. 4. diarii medico-practici Hufelandi.*

(1) Conf. Dr. Lud. Wilh. Sachs, *Ord. prof. du Mediter zu Koningsberg*, in *commentatione*, „ ueber das wesen der „ wechselseieber als nervenkranheit betrachtet, ein versuch zu „ einem beitrage zur wissenschaftlichen untersuchung über diese „ merkwürdige krankheit in ihren verschiedenen erscheinungsformen, quae inserta est, tomo 72. p. 6. p. 1. Ephemeridum practicarum Hufelandi.

clarissimo Richerando debemus, earum naturam, verbo exponere videtur. Febris autem intermittens, ut notum est, harum febrium characterem magis minusve assumere potest, ita ut detur Febris intermittens inflammatoria, biliosa, mucosa, putrida, nervosa etc.

Interdum suam naturam recondere tentat, ita ut signa Febrilia fere non appareant, sed sub insolito symptomate lateat, aut a tali stipetur.

Sic saepissime Febris intermittens praecipue in locis paludosis, mephiticis vere apoplexiae sanguineae formam sibi induit. Etiam si igitur sub aliis morbi forma latere Febrem intermittentem videamus, manet nihilominus estque revera affectio febrilis, atque aequabilis incitatio motus circulatorii ab affecto systemate nervorum inducta, partim etiam in Febre intermitte apoplectica locum haberet.

Affectio tamen, sub qua Febris latet unam potissimum corporis partem, caput exempli causa occupare videtur, quae res eo sensu ab omni alio universalis motu febrili plane differt.

Neque hacce nostra consideratione illabimur in sententiam illorum, qui statuunt Febres clavatas potius esse febres intermittentes topicas; adeoque Febrem intermittentem apoplecticam febrem capitis dicunt. Nam si revera topica febris esset, tunc ne vestigium quidem reperiretur illorum symptomatum, quae febris intermittentis essentialia habentur.

Hisce perpensis, *Febris intermittentis apoplecti-*  
*cae*

*cae larvatae* naturam nunc declaramus unice consistere in affectione quadam asthenica, peculiari systemati nervorum, a causa plerumque miasmatica perniciosa inducta (1), qua producitur affectio quae-dam febrilis, quae modo non facile determinando, corpus haud aequabiliter, sed sub apoplexiae larva, in primis cerebrum afficit. Verum etiam post quaedam intervalla secundum Februm intermittentium characterem, sua tempora ab omni affectione libera habet, secundum typum fixum. Dum redi-bit regulariter dein excessus secundum typum vel quotidianum vel tertianum.

Modus autem, quo Febris intermittens hic apoplexiam sibi eligit, ex eo videtur deducendus, quod haec vera systematis nervi debilitati conditio cerebrum aggrediatur, quae ibi provocat statum il-lum pro gradu majori minorive apoplecticum, si-ve soporosum. Aliis verbis, si status ille nervo-sus minus corpus universum turbet, ut alioquin in vulgari Febre intermittente fieri solet, sed potius cerebrum, congestione fortiore provocata, afficiat, tunc Febris intermittens sub apoplexiae larva latebit. At si conditio nervosa, Febre intermittente orta, atoniam totius corporis inducat, tunc aequabilis ad-

est

(1) Haec causa miasmatica, licet adeo subtilis et exigua, ut tempore apuretico nulla hujusmodi causa adesse videatur, ne-cessario tamen materialis, sed nostris sensibus externalis nullo modo percipienda habenda est.

est universi corporis perturbatio et Febris intermittens syncopes sequentis origo est.

Facile ex indicata natura morbi derivatur ejus causa proxima. Sanguis enim in Febre apoplectica affecto aegro periodice ad cerebrum congeritur, ibique accumulatur, unde provocantur omnia symptomata apoplectica. Febris paroxysmo desinente pariter congestio illa cessat, et cum ea simul symptomata evanescunt.

Injectio vasorum cerebralium, et sanguinis in his accumulatio, earumque expansio, pressionem materiae cerebrali afferentes, tanquam causa proxima salutantur (1).

In

(1) Cum enim inter physiologicos constat duo esse, ut ita dicam, systemata nervorum, alterum vitae proprie inseriendo, corpus conservat, quod deperditum est restituit, unde nomine systematis organicae vitae insignitur. Alterum autem sistema nerveum, cum sublimioribus mentis facultatibus, et sensibus externis inservit, sistema nerveum vitae animalis dicitur.

Nostra autem Febris hoc ultimum sistema (cerebrale), quod oeconomiam humanam conjungit cum omnibus rebus, quas circum se habet, et quibus indiget ad vitam aut sustentandam aut defendendam, vehementer afficit. Facultates igitur, quae verum hominem ratione praeditum efficiunt, cumque cacteris animantibus excellere faciunt, turbantur insigniter. Arctus adeo est nexus inter vitam illam animalē et organicam, ut una harum laedi non possit, quin altera injurias patiatur. Neque in hac rerum conditione haec ab illa separari potest; quod ne ipsa quidem cogitatione fieri licet. At vero rite eas distinguere omnino confert ad rectam intel-

In multis igitur cadaveribus, sectione instituta arachnoïdea sanguine rubro vivide colorata deprehenditur, ipsa substantia grisea cerebri colore profundiore tincta. Saepe omnis cerebralis substantia sero quasi intumescit, ventriculi humore seroso abundant, adeo ut ipsa cerebri massa e loco suo superiora versus protrusa videatur.

Aut ipsa arachnoïdea revera vehementer inflammativa invenitur, vel incrassata, aut aliis membranis concreta.

Plurimis etiam in casibus ventriculus et intestina inflammatione haud integre libera sunt. Hae inflammations adeo constanter a Viro saepius citato, Bailly de Blois observatae sunt, ut ubivis in autopsiis suis arachnitis, cephalitis, gastro-enteritis cet. inveniantur (1). Hinc accidisse videtur, ut fere ubivis inflammationem observans, nimis nobis indulgere videatur famosae Broussavii theoriae. Alii enim qui de his febribus optime scripserunt, hanc inflammationem non

ita intelligentiam eorum, quae eveniant, si alterutra laedatur. Hinc sequitur ut in Febre intermittente apoplectica cerebro turbato, omnia universi corporis organa laedi aut in functione turbari debeant.

(1) Cf. ejus *Op. cit.*, pag. 155—171. et pag. 265, 267 seqq. Add. J. Banga, *Op. cit.*, cuius pag. 65. legimus: „In de holte van het bekkeneel, vond men bij overledenen aan Febres nervosae, typhoïdeae, soporosae, apoplëcticae, duidelijke bewijzen van voorafgegane congestie en zekere inflammatione.”

ita semper invenisse videntur. Assumsimus igitur propria verba viri doctissimi Alibert, moderati morborum observatoris (1): „ Un homme mourut „ à l'hôpital St. Louis d'une fièvre intermittente „ pernicieuse soporeuse, infructueusement com- „ battue par le quinquina. Il était resté dans un „ état de somnolence continue, un délire tran- „ quille, une faiblesse considérable, une insensi- „ bilité extrême de temps à autre. Ces phénomè- „ nes amenèrent la mort. Nous procédâmes à l'ou- „ verture du cadavre, dont la peau était de cou- „ leur citronnée et dont l'aspect annonçait une „ infiltration générale; l'ouverture de la tête nous „ offrit deux onces de sérosité épanchée entre la „ dure mère et l'arachnoïde. Cette sérosité était „ jaunâtre et transparente. Le tissu cellulaire „ qui unit l'arachnoïde à la première était gorgée „ d'un liquide semblable à celui de l'épanchement. „ Le cerveau était sain et de consistance assez „ ferme. On observait une légère désorganisa- „ tion à la partie moyenne, postérieure du cer- „ velet, près de l'éminence vermiculaire. Il n'y „ avait dans cet endroit, aucune altération de cou- „ leur, ni de densité dans la substance du cervelet, „ mais simplement une petite excavation d'une ligne „ de profondeur et d'un pouce carré de largeur” (2).

## Ex.

(1) Op. cit., pag. 179.

(2) In Opusculo Cl. Thuessink, de Epid. 18:6. invento.

Ex hujus cadaveris sectionis consideratione efficitur, ut saepe in hac Febrium specie extinctis, eadem omnium fere organorum integritas observetur, qualem videmus saepius obtinere in cadaveribus Febre nervosa extinctorum.

Memini me duabus sectionibus hujus generis interfuisse, et in harum altera nihil vidisse, quod aliquomodo alicujus organi laesionem indicaret, excepta levissima effusione serosi liquoris in ventriculis cerebri praesente. In altera sectione observavi universam arachnoideam praeter naturam adeo injectam sanguine rubro apparuisse, ut elegans certe ejus membranae exhiberet spectaculum.

Ut explicemus ingrata illa symptomata, quae in aegris Febre apoplectica interemtis durante vita observantur, saepe nullam in cadavere aperto invenimus opportunitatem; unde concludimus vigente vita causam morbificam, quae systema nervosum afficit,

*mns*, pag. 39: „ Bij allen (a Febre soporosa exticti) vond „ men de bloedvaten van de hersenen opgezet. Bij eene „ kwam bij het openen der *dura mater* het bloed uit ver- „ scheidene plaatsen der hersenen uitvloeijen, onder de Arach- „ noidea in de ventriculi cerebri vond men eene groote hoe- „ veelheid water; de galblaas vol gal; de maag en ingewan- „ den rood en ontstoken. Bij allen was de milt week.”

Pag. 43. (in nota): „ In een geval van Febris soporosa bij „ een jong mensch, waren de vaten der hersenen zeer op- „ gezet, eene groote hoeveelheid bloed was geextravaseerd „ en het linker hemisphaerium daarmede opgezet.” Ex al- latis patet quomodo variorum variae autopsiae differant!

cit, solam producere tristem illam compagem dirissimorum symptomatum, quae saepe sibi invicem adeo opposita sunt. Haec autem symptomata, systematis nervei vi et actione extincta, cum ipsa morte disparent, neque vestigia eorum praesentiae relinquunt; cum ipsum sistema nervum morbo a norma sanitatis aberrans et valde alteratum, non ultra informationi organico-pathologicae indulgere possit.

Fortasse inflammationis signa in encephalo post cadaveris sectionem observanda in aegro Febre apoplectica interemto, saepe explicari possunt sequenti modo, ut statuamus jam praeexistisse in capite aliquam, etiamsi levem irritationem, pedetentim febris actione auctam, et in inflammationem transformatam, ex qua tandem facile organismi laesiones et pseudo-membranae explicantur. Quamdiu autem revera systematis nervei integra fabrica et agendi ratio nobis lateant, tamdiu ejusmodi consideratio denso velamine tecta erit.

Natura febris intermittentis apoplecticae comitatae solum est quaerenda in febris intermittentis vulgaris natura, sed quae modificatur a partis, in quam morbi impetus maxime ruit, dispositio-  
ne morbosa. Quando nimirum in febris stadio frigoris (1), congestio sanguinis locum habet in  
illa

(1) Nota enim res est, illos, qui aere frigidiore peregrinantur, somnolentos fieri primum, atque si huic somno indulgeant,

illa organa, quae a natura jam antea ad tales affectiones contrahendas praedispositae sunt, sicut corporis fabrica et constitutio ad apoplexiā proclivis. Aut si haec Febris, ex conditione primarum viarum gastrica depravata ortum trahat, tunc sive mediate, ipsa circulatione abdominali impedita, congestiones ad cerebrum, et exinde nobilissimi organi compressiones locum habent apoplecticum insultum invitantes, sive sympathia immediate ventriculum inter et cerebrum status apoplecticus provocatur.

Ex natura hujus Febris sic considerata efficitur, ut hic adsit alia apoplexiae forma, quam quidem apoplexiae sanguineae esse solet. Cadit igitur hic illa antiquorum apoplexiae divisio in sanguinem, serosam, nervosam cet. (1).

Brevibus verbis ita determinatur Febris intermittens apoplectica, ut sit febris intermittens vulgaris, sed quae sub larva apoplexiae sanguineae,

cito apoplexia mori, cuius rei permulta invenimus exempla in redditu exercitus Gallo-Francici ex mediis imperii Russiae provinciis. — In nostra Febre frigore febrili marcescens redditur, et venae exiliores imperviae fiunt, unde ad cerebri vasa sanguis potissimum propellitur.

(1) Cf. de hac devisione A. Ypey, *Elem. med. pract.*, tom 2. part. 2. pag. 334 seqq.

Recte igitur egregius van Swieten, *Comm.*, tom 2. pag. 279: „Causa proxima in omnibus apoplexiis est eadem, sed causae efficientes sunt sacpe diversissimae.”

neae ita latet, ut ipsius febris essentialia symptomata vix, ejus tamen vera natura omnino appareant. Quod docet curatio. Hae enim febres non nisi coram peruviano curantur et sanantur.

Praeterea temporis intervalla febre libera in hac morbi specie optime probavit hanc Febrem omnino ad ordinem intermittentium pertinere; Nunde Torti, Werlhof salique, qui de his febribus optime scripserunt, febrem intermittentem apoplecticam constanter ad hunc ordinem retulerunt. *nisi* Non negandum est, anticipationibus et postpositionibus variis aliquando typum Febris adeo variabilem videri, ut minus accurate observantibus febris continua habeatur. Facile etiam in hunc errorem incidunt illi, qui virum lapsum, pulsum parvum, irregularem, celerem, symptomata saepissime observanda, continuae febris praesentis indicia habent.

Observatio fidelis docuit Febres perniciosas potissimum esse tertianarias, etsi aliquando alium typum assumentes, etiam quotidianae, quartanae imo et duplicatae esse possint (1). Imo etiam has

(1) Werlhof, hac de re pag. 64. Op. laud. dicit: „Ex tertianarum genere fuere omnes in quibus id quidem, de quo agimus, Febrium symptoma observavimus, *simplices* aliae, paroxysmo secundario adscito aliae, *duplices* quamquam Galenus sopotem quotidianae maxime esse proprium notat, et Forestus earum ex quartana memorat.”

J. C. Reil, über die Erkenntniss und kur der Fieber, tom

has Febres quartanas in continuas exeuntes characteris funesti observavit Bianchi (1).

Opinionem illorum, qui hujus morbi naturam contagiosam defendunt, rejicimus. Haec enim febris nullam profert materiam contagiosam; neque enim natura febris intermittentis, neque ejus symptomata ferox ulli materiae morbifcae contagiosae generandae occasionem exhibit. Saepe autem epidemice saeviens, plures homines simul (2) corripit. Interim saepe difficile est rite determinare, utrum morbus frequens aut epidemice nigrassans contagiosus sit, nec ne. Quam difficultatem etiam experti sunt viri illi doctissimi, qui regisn potestate cholera in Borussia observarunt (3).

Ipsa epidemia Groningana, ab omnibus aferè medicis, tunc temporis ibi locorum morbum obseruantibus, haud contagiosa habebatur, excep-

2. pag. 124. de hoc argumento haec habet: „Der Typus dieser Fieber ist alltägig, dreytägig, wie beym gefäßs Fieber, auch verdoppelt er sich, ist stät oder beweglich, fortsetzend oder nachsetzend, wie beym Gefäßfieber.”

(1) Cf. ejus *Hist. Hepat.*, part. 3. pag. 761.

(2) J. Raymond, saepius citatus exponit in Diss.: saepissime in Zelandia accidere, ut una causa generali complices homines magno numero Febre corripiantur characteris perniciosi, ita ut nulli aetati, aut sexui, nulli ordini, divitum aut pauperum Febris maligna parcat. Cf. Diss. exhibens descript. Febr. int. auct. seqq.

(3) C. *Algemeen rapport der commissie etc. van den Aziatischen Braskloop*, pag. 29 seqq. et pag. 74.

to Thomassen a Thuessink viro clar. In Frisia omnes etiam medici, excepto forsan viro doct. Vitrunga Coulon, ejusdem fuere opinionis, epidemiam ex causa communi miasmatica ortam declarantes (1). Quis vero tantas componere possit opinionum diversitates?

### *Prognosis.*

Prognosis, nisi in dato morbi casu, accurate determinari nequit. Nec etiam in ipsa nobis proposita quaestione de illa sejunctim quaeritur; hac igitur ratione, solummodo prognosin tradere instituimus, ut etiam magis magisque illustretur morbi natura.

I<sup>o</sup>. Prognosis universe infausta est habenda, quia hic locum habet laesio organi totius corporis nobilissimi. Talis enim laesio gravi adeo morbo illata, qualis Febris intermittens apoplectica esse solet, quae periculo suo longe recedit a vulgari febrium intermittentium turba, non potest, quin graviores secum adferat eventus. Quod igitur Hippocrates

(1) Cf. Opusc. Thomassen a Thuessink, pag. 54—61. Doctiss. Triche, in opere *Bericht ueber meine reise nach Holland zur Erforschung der im Sommer 1826. geherrschten Krankheiten*, Epidemiam etiam durchaus nich ansteckend dicit: „sondern vorzügweise durch die grosse Hitze und „Dürre erzeugt wurde, und durch die Lokalen schädlichen „Einflüsse eine so grosze Ausbreitung und Bosartigkeit er- „hielt.

tes olim pronuntiavit: „Febres, quocunque modo intermisent, periculo abesse,” de nostra Febre non accipiendum videtur. *in illis etiam enim*  
**II°.** Bene tamen tenendum, hujus Febris, quae universe rapoplectica dicitur, diversos gradus obtinere. Dependet igitur prognosis a gradu maijore vel minore, quo hic morbus invadat.

**III°.** Dependet a viribus aegrotantis.

**IV°.** Irregularitas vis vitalis factorum summatim periculum hujus Febris adauget. Vis vitalis factores, irritabilitatem nempe et sensibilitatem, systematis nervorum insultu tam gravi vexatos, singulari ratione alienari debere, et universe toti corpori malam dispositionem inferre, sana docet ratio.

**V°.** Sympathica ratione producta symptomata, corpus variis modis vexantia, prognosin infaustam reddunt. Si igitur accedat cordis et arteriarum debilitas, respiratio prorsus stertorosa, faciei intumescentia livida, singultus, motus convulsivi et plena aphonja, prognosin infaustissimam habeant adstantes et morbi observatores.

**VI°.** Infausta omnino etiam habeatur venter meteorismo tensus, oppletus et tumefactus, neque ullam pressionem ferens, dolor vehemens ventriculi, cum rejectione materiae tenuis aquosae aut nigrae. Faeces foetidissimae colliquativae nigrae, cum motibus convulsivis excretae, aut sponte effluentes. Urina parca et nigra, sedimento membraniformi mucoso impleta, aut praeter voluntatem ex urethra

thra destillans, aut prorsus retenta. Pulsus parvus, irregularis, intermittens, debilis.

At vero pulsus liber et magnus, durante paroxysmo in eodem statu perdurans, haud infastum exhibet omen.

Contra pulsus contractus, velox, vibrans, periculosus est.

Ingratissimum autem indicium exhibet, si pulsus quovis paroxysmo identidem supra dictas malas facultates assumit, et si mentis alienatio augetur, atque ejus conscientia vehementer imminuitur.

Quoties nullum sentitur frigus, sed statim apoplectice jacet aeger, insultus vehemens, ejusque exitus tristis erit. Pariter carpologiae aliique motus convulsivi fortiores, tristem morbi exitum indicant, et mortem jam instantem annuntiant. In hoc enim symptomate ultimum moribundi certamen videmus musculos flexores inter et extensores.

Quandoquidem hujus morbi symptomatibus vultus atrociter saepe mutatur, oportet omnino, ut ex divini Hippocratis praceptis aegrotantis facies summa cura observetur, et consideretur, utrum vultus, quantum fieri possit similis vultui benevolentis sit, et potissimum sui, ita enim optimus erit. Si vero quam maxime sibi contrarius est, malum habetur signum. Inprimis attendatur ad periculosum illum motum palpebrarum et oculorum tremulum, quo nil nisi albumen oculorum animadvertisit, aut oculus ita convertitur, ut palpebris semiclav-

sis

sis sub ciliis nigrescentibus, albus ille discus oculi apparens, mirum, tristem et ingratum spectaculum exhibeat.

VI°. Prognosis formanda est in primis secundum aegrotantis aetatem. Nulla autem aetas periculosior habetur, quam aetas senilis, quae si potuerit perficere paroxysmum, saepe tamen brevissima dein fruetur vita, aut sanitatem laesam habebit. Hinc fatalis haec Febris senioribus habenda est.

VIII°. Secundum paroxysmorum formam etiam prognosis est instituenda fausta vel infausta. Attamen paroxysmus anticipans non semper malum et contra paroxysmus postponens non semper faustum omen exhibit. Plurimi tamen auctores contendunt, anticipationem saepe malam esse habendam, alii autem prorsus negant et affirmant anticipatione paroxysmi patere naturam sufficientibus viribus nondum carere, ut luctetur contra febris ingressum.

¶ Febris autem apoplecticis quotidianis in tertianas mutatis, aut tertianis in quartanas conversis fausta formatur prognosis, quia nunc intermissione longiore affectio jam per se minus periculosa redditur. In continuam transire si minetur Febris, gravioris eventus est.

¶ Prognosis jure fausta habetur, si temporis intervallo febre vacuo, jam post primum paroxysmum, criticum sedimentum lateritium in urina observetur.

## C A P U T . IV.

## C U R A N D I R A T I O .

Accedimus nunc ad illam nostri argumenti partem momentosissimam, qua exponuntur curationis momenta, et ratio, qua aeger servetur et medicus humanus suo proposito satisfacere queat.

*Curationis indicationes.*

Absolvitur curatio his tribus articulis:

I<sup>o</sup>. Curatio paroxysmi ita instituenda est, ut aeger neque vehementi impulsui aut pressioni humorum, neque curationi nimis debilitanti succumbat.

II<sup>o</sup>. Instituatur iusta curatio radicalis morbi tempore apurexiae; promoveatur convalescentia, arceantur recidivae, et morbi secundarii, facile post hanc febrem oriundi.

III<sup>o</sup>. Exponantur illa artis auxilia, quibus generalis hujus morbi causa miasmatica, quantum fie-

fieri possit, destruatur; quae igitur auxilia curam prophylacticam absolvunt.

VII. T S. J 2.4 A D

I<sup>o</sup>. *Cura paroxysmi (Palliativa).*

Ut primo curationis articulo satisfiat, hanc universe indicationem medicus sibi proponere debet, gravitatem symptomatum vehementium, organismum adeo perturbantium, quantum possit immuovere, aut mitigare, supotissimum medicina evanuante, aegrum non nimis debilitante.

Cum vero morbus noster characteris sit Febrilis, hac sola via aeger servari nequit. Hinc, ut in Febribus intermittentibus fieri solet, sic etiam hujus loci est cura antifebrilis intermissionis tempore adhibenda. Haec igitur cura sub paroxysmo administranda cum morbum tantum levet, adeoque mere sit mitigatoria, tamen est magni momenti.

Moderando enim symptomata, et effusiones in encephalo avertendo, haud exigua afferuntur emolumenta in sequentem curationis partem.

Haec igitur pars methodi curationis requirit sequentia indicata.

I<sup>o</sup>. Aegrotanti talis exhibeat situs, qualis convenit, ut humorum ad encephalon affluxus arreatur, quique promovet liberiorem respirationem,

at-

atque tollit obstaculum sanguinis effluxum ex encéphalo in dextram cordis partem impediens.

Huic fini convenit, ut aeger decumbat in lecto, pedibus potissimum declivibus, et capite denudato atque parumper elevato. Ut symptomata mitigentur, in primis circulationis laesae restitutio requiritur, quocirca secundum artis legem et necessitatem urgentem administretur,

II<sup>o</sup>. Venaesectio (1) conveniens in fortissima et abundante vasorum sanguiferorum opkleione, protrahenda pro gravitate insultus apoplectici, ple-

tho-

(1) Moneamus non perinde esse, quaenam ex mox indicandis artis auxiliis adhibeantur, singula enim suas habere solent indicationes et contraindicationes, ad quas bene erit attendendum.

Apud Bailly de Blois, pag. 474. exemplum prostat hominis curati, cui sanguinis bis, bono cum effectu, unciae VIII—XII. detractae sunt.

R. Morton, *Op. med.*, tom II. pag. 58. et p. 145. casum memorat, in quo phlebotomiam in vena jugulari instituendam curavit.

Add. *De venae sectione in genere: diss. de venae sect. term. in morb. acut. in op. med.* C. A. Kloekhof, M. D.

Legantur in primis quae de venae sectione scripsit Werlhof, pag. 113. denique Cf. de ejusdem usu *Sylva, de l'usage des diff. sortes de saignées.*

In primis tamen, curetur ne nimis intrepide medicus heroicum remedium adhibeat, ne de eo valeat versiculus:

„ Quod Mars non potuit, medici potuere secando:

„ Sic Mavors ipse sit minor Hippocrate.” —

Quam magni igitur sunt Broussaviani!!! .

thorae universalis ; habitus et virium statu ipsius aegrotantis. Si epidemia grassatur , illa instituatur oportet ex indicatione et contra indicatione juvantium et nocentium , tali enim in casu observatio sat cito döcet , utrum larga venaesectio juvet , an noceat.

Universo quidem affirmare audemus , largam venaesectionem in hac affectione esse instituendam , quantitatem autem determinare non valemus ; ipse medicus , si hujus venaesectionis operationi intersit , facillime aut symptomatum levamen , aut perseverantiam observare potest , et sic accurate determinare valet quantitatem sanguinis aegro venaesectione detrahendam , debita ratione habita morbi et virium hominis mörbo affecti , aliorumque rerumque adjunctorum.

III°. Hirudinum applicatio omnino requiritur ad sanguinis topicam evacuationem in congestione fortiore promovendam. Tanto igitur numero apponantur , quantus necessarius videtur , ut proposito fini satisfiat.

Hinc vulgo IV , VI , X imo et XX pro re nata convenientiunt. Ut vero recte adhibeantur , oportet , ut ipso medico adstante applicentur , qui effectum medicationis statim et aperte observabit.

IV°. Fomentationes frigidae convenienti optimè , ut sanguinis aestus emendetur , et vasorum expansio atque dilatatio coerceatur , talique ratione sanguinis circulationis turbæ restituantur et omnis

con-

congestio, quantum fieri possit, in ipsum encephalum amoveatur. Hinc caput continuo madefiat aceto aquae frigidissimae mixto, aut in causa graviore, fomentatione illa, quae a Schmuckeronomen habet, atque constat ex muriate ammoniae, nitr. pot. mur. sod. acet. vini et aqua (1).

Symptomatibus autem eodem modo saevire pergentibus, instillatio parti capitis frontali, aut verticali, ab altitudine IV aut V pedum aut pluriū, guttatum facienda liquoris frigidissimi fructuose institui potest, qua haud raro efficitur, ut aegroti manum capiti admoveant et tristi profundoque suspirio gemere incipient (2). Sic etiam lotiones frigidae aquae, aethere sulphurico remixa, capiti raso applicandae saepe conveniunt (3).

V°. Balnea tepida extremitatum inferiorum humorum impetum inferiora versus provocantia, ad spasmodica symptomata levanda magnae saepe utilitatis sunt et laude digna; ubi alia remedia valentiora nondum praesto sunt haec multum juvare possunt. Bailly de Blois balnea 26° Reaumur. adhibuit.

VI°. Vesicantia, rubefacientia, et sinapismi nuchae, suris et plantis pedum apponenda (4).

Sa-

(1) Cf. *suppl. Heft. des Jahrganges 1829. v. Journal des Pract. Heilk. von Hufeland*, pag. 195.

(2) Cf. Nyhoff, *Diss. ac.*, pag. 73.

(3) Cf. Bailly de Blois, pag. 470.

(4) Quum nostris temporibus eodem proposito ac sinapisim  
adhi-

Satis cognita est in Medicina horum vis detrahens et revellens a partibus interioribus nobilibus, et vero eorum virtus manifesta ad topicos spasmos resolvendos abunde in quovis casu observari potest, ut minime requiri possit ultiore explicationem addere. Id solummodo in memoriam revocetur, hisce remediis externis, humorum impetum a capite et pectore non tantum ad inferiores partes reduci, verum etiam his applicatis contra stimulum induci, et singularem universi morbi commutationem, atque emendationem locum habere posse. Vesicantia in primis in complicatione spasmodica adhibeantur oportet.

VII°. Clysmata non tantum demulcentia, sed saepe etiam acria, multam semper humorum copiam ad-

ab-  
adhibentur aqua sinapeos, quae cutim celerrime rubefacit, et oleum altherium sinapeos, quod ope chartae bibulae cuti applicatum statim ruborem efficit, quodque stimulo suo validissimo cutim in bullas cito elevat. Haec igitur remedia externa stimulantia, rubefacientia et fortissima sunt: unde non video, cur in sopore profundissimo ea remedia non tentarentur et applicarentur.

Eodem consilio uti possemus moxae specie confecta ex panno linteo, alchohole madefacto nuchae aut alii corporis parti applicando et inflammendo. Haec moxa fortiter stimulando certo certius humores extrorsum allicit et si scopo satis fecerit, facillime etiam levissimo afflatu, extinguitur.

Cf. de hisce *Algem. Rapport der Commissie enz. van den Braakloop*, pag. 123—125.

abdomen provocant, ejus cavo ampliando et intestinis evacuandis, quo diaphragmatis descensus adjuvetur, thoracis lumen augeatur et sanguinis e cerebro refluxus promoveatur, unde symptomatum levamen augeatur. Praecipue convenient clysmata laxantia in Febre intermittente apoplectica a sordibus primarum viarum in primis oborta. Ablata enim saburra intestinali directa via patet ad apoplexiae paroxysmum funditus tollendum.

Accidit autem aliquando, ut accendentibus motibus convulsivis anus spasio claudatur et clysmata injici non possint, antequam cataplasmatibus calidioribus adhibitis, spasmus resolutus sit.

VIII°. Ut quantum fieri possit, corpori ingeneratur magna copia potuum mucilaginosorum, relaxantium, refrigerantium et temperantium (1). Universe fatendum est, hoc saepe nonnisi sum-

ma

(1) Ubi symptomata nervosa majore numero accedunt, de opii usu cogitavere nonnulli. Memorabile ejusmodi conditionis exemplum coenmemorat Bailly de Blois, pag. 436, ubi refert observationem nobilis matronae, quae sub paroxysmo Febris apoplecticae tanta rigiditate afficiebatur ut Medicus non aginta quinque guttas Laud. liq. S. ori blanti aegrotantis instillaverit. Die sequente corticem praescripsit persuperiora et inferiora adhibendum, sine ullo effectu. Rediit quidem paroxysmus sed denuo applicato laudano solutus est. Die sequente iterum cort. Peruv. rejiciebatur, et tandem opio una hora ante paroxysmum administrato, paroxysmus febris quidem rediit, at-tamen nullo symptomate graviore stipatus.

G

ma difficultate perfici posse. Saepius enim adeo profundo sopore opprimuntur aegri, ut ne guttulam quidem deglutire possint, aut respiratio adeo stertorosa est, ut cum summo suffocationis periculo aliquid liquidi ingeratur. Hinc prudentia summa in hoc potu administrando est adhibenda, saepe enim miseri dentibus vitrum cofringuunt. Praestat igitur, ut dentes prudenter a se invicem separantur et liquor pedetentim ingeratur, simulque naso digitis clauso deglutitionis functio caute promoveatur. Hisce indicatis secundum artis pracepta adhibitis et pro re nata continuatis absolvitur rationis curandi articulus primus.

## §. 3.

*II<sup>o</sup>. Cura antifebrilis extra paroxysmum  
instituenda (radicalis.)*

Postquam enim paroxysmus deferuit et symptomata remiserunt: tempus instat febri tollendae dicatum, ut veluti morbi radix funditus evellatur.

Haec cura momentosissima jure habetur, etenim ea remedia nunc aegro porriguntur, quibus instantis paroxysmi novum proventum avertere conamus (1).

Hanc

(1) Recite igitur habet Le Roy, in ejus *Prognostic dans les*

Hanc curationis partem hoc ordine nobis tractare proposuimus.

1. Exponendo Cort. Peruv. administrationem antea laudatam.
2. Indicando applicationem remedii antifebrilis, quando deglutitionis functio impedita est.
3. Adstruendo curationem, quae, temporibus quae vivimus, instituitur praeparationibus salinis e Cort. Peruv. conficiendis.

a.

*1. Administratio Cort. Peruv. antea laudata.*

Quando egregias de hac Febre observationes, in primis doct. Torti, Werlhof, Morton, Senac et Stracke consulimus, invenimus omnes in eo convenire hanc Febrein, intermissionis tempore Cort. Per. usu, esse vincendam.

Efficaciter mentem suam de hoc Medicamento pronuntiavit ipse Torti: „ Medicus curatione Februm, ut ajunt, methodice instituta, se gerit „ ut inspectator morbi et minister naturae, curatio-

*les Maladies Aigues*, pag. 81: „ celui qui, dans une Fièvre „ intermittente maligne, négligeant l'usage du quinquina, s'at- „ tendrait à la voir se terminer par une crise, soit proprement „ dite, soit par voie de solution, celui-là, dis-je, serait évi- „ demment téméraire et dépourvu de toute connaissance de „ cette maladie.”

„tione vero per chinam-chinam se gerit, ut ar-  
„biter morbi et instaurator naturae” (1).

Pro-

(1) Stracke, M. D. in *Obs. Medicinalibus de Febribus*, pag. 112. seq. habet: „In eo autem omnis salutis cardo  
„vertitur, ut medio inter accessiones tempore quam plurimum  
„corticis offeratur, id est tantum, quantum par est, febri  
„protinus excutiendae. Hic etiam breve spatium est, intra  
„quod si non omnino occurritur, aeger exstinguitur, neque  
„debet humorum sive coctio sive evacuatio exspectari. Ad  
„id enim, non satis temporis patet.”

Sydenham Epidemiam febrilem, anni 1669. merito dicit perversa medicatione esse aductam. Notum enim est Cort. Peruv. anno 1638. in Peruviano regno detectam, modica tantum quantitate in Europam missam fuisse, ibique a multis in medicina haud imperitis fuisse contemtum et rejectum; neque ante finem ejus seculi ejus usus generaliter divulgabatur, quando saepissime ad sidera usque elatus fuit, cum auro argentoque par a plurimis ducebatur.

Epidemia autem 1719, quae a doct. de Koker sub auspicio Hippocratis Batayi nobiscum communicata est, ipsius corticis administratione minus saeva fuit: Mortonus testatur, „Nunquam revirescentiam paroxysmorum praepedire potui abs-  
„que china in intervallis lucidis, manu liberali, ministrata,” *Operum Medicorum*, tom. 2. pag. 48.

Cf. de Cort. Per. laudibus J. Grainger, *Lib. cit.*, pag. 100—118. Inter alia pag. 104. affirmat: „quid sudores nimios  
„tam adeo potenter comprimit, quid robur intestinis tam  
„cito conciliat,” omnes hae virtutes probant a Lystero,  
Bahneo, Deckero, Mortono, Hofmanno, Werlhof-  
vio, cet. cet.

Cf. Torti, lib. 2. c. 2. lib. 3. c. 3. lib. 4. c. 3 et 4.

Werlhof, inde a sect. 2. pag. 76 seqq. Senac., lib. 2.  
pag. 252 seqq. Alibert, pag. 312—364. Stracke, lib. 2.  
pag. 110—114.

At vero indicatione febrifuga decoctum, extractum, tinctura et infusio aquosa aut vinosa corticis per. non adhiberi possunt. Nimia enim quantitate hunc in finem haec praeparata adhiberi deberent (1).

Prima itaque in hoc usu lex haec est, ut in substantia (ut dicitur) adhibeatur corticis subtilissimus pulvis, cum vino vel alio liquore spirituoso permiscendus et ante ingestionem per unam alteramve horam digerendus. Hujus mixtionis ope non tantum aegrotantibus minus molestus redditur, verum etiam majorem efficaciam praestat.

Hac forma omnia quae insunt cortici activa principia simul corpori ingeruntur.

Altera vero lex est, ut tam cito cortex et tanta quantitate simul applicetur, ut ei tempus sufficiat in corpore tales edendi effectus, quibus sequens paroxysmus avertatur. Saepe igitur non exspectari potest perfectae intermissionis tempus sed quantocius id fieri possit, in ipsa febris declinatione cortex jam administretur oportet. Hac ratione, acquiritur major temporis distantia a paroxysmo statim subsequenti, qua quantum sufficit cortex adsumatur. Praesertim si intermissione

(1) Fourcroy, tribuit majorem activitatem pulveri corticis, quia hac forma cortex principium extracto-resinosum praeparatione non alteratum neque oxygenio absorpto de pravatum habeat, *Annales de Chimie. Fluryer*, 1791.

Cf. etiam van Kranen, *Dissert.*, pag. 74.

Burserius, *Inst. Med. Pract.*, vol. 1. pars 1. §. 1:6.

sionis intervallum brevius est, citius ab usu majoris dosis corticis erit incipiendum, ut sic major adhibiti remedii quantitas brevitatem temporis compenset.

In primis huic legi est obtemperandum, si vires admodum deficiant, cum ingenti pulsus debilitate. Torti igitur aliique huic fini quantitatem Cor. Peruv. in adultis ad unciam I vel unciam I<sup>β</sup> (1) definiunt. Quae quantitas pulveris subtilissimi in formam linctus redacta, aut aliter mixta, aegris repetitis dosibus ingeratur, antequam novus accedit paroxysmus.

Constat multiplici experientia Cort. Peruv. quantitatem indicatam universim sufficere ad cohendum in sequentem paroxysmum, saltem ad eus vim valde imminuendam.

Eo efficacior ceteroquin videtur exspectanda Corticis Peruv. vis et efficacia, quo major ipsius quantitas adhibita fuerit intra brevissimum temporis spatium; quare observat Torti, nonnullos medicos quasi ex consuetudine magnam quantitatem Cort. Peruv. attamen sine ullo effectu praescribere, cum eum talem in modum exhibent, ut aegrotantibus, nonnisi parca dosi simul, et post longa intervalla porrigitur.

Non

(1) Pag. 203. discribit: „de more non minus requiritur quam „quantitas VI dracm. nec plus quam unciam I ad impedien- „dum scil. futurum accessum et tandem circiter postea ad „firmandam valetudinem et infringendam recidivam.“

Non possumus non hoc loco citare ingeniosam  
comparationem ad hanc rem illustrandam a Doct.  
Crane(n<sup>o</sup>) institutam, et seq. verbis expressam:  
 „ Non solum enim conductit sufficiente quantitate  
 „ corticem unaquaque vice exhibuisse, sed et oportet  
 „ hoc inter parvum et breve admodum temporis  
 „ spatium fiat, sic ut quando e. g. duobus aegris  
 „ uno eodemque tempore certa quaedam detur et  
 „ sibi respondens corticis quantitas, ea tamen ratione ut alter spatio VIII horarum sumserit  
 „ unciam dimidiā pro dosi ad initium intermissionis, alter autem eandem quantitatē, sed quatuor in doses divisam, per quatuor intervalla durante illo VIII horarum spatio ingesserit. —  
 „ Prior tali in casu curabitur, dum posterior succumbet vehementia paroxysmi proxime sequentis (1).

Egregie in libro suo de hoc medicamento scripsit Werlhof ita ut inde a sect. 2. ubi curationis articulus incipit ad finem usque opus scatent problematibus et opinionibus et variis theorīis quibus efficaciam indicat, quam habet hoc me.

(1) *Diss. citatae*, pag. 78.

(2) Huic sententiam convenit Chauffard, *Traité sur les Fièvres prétendues essentielles*, pag. 274. nec non in nota.  
 „ Il vaut mieux donner le quinquina à assez haute dose pour supprimer les accès tout d'un coup en produisant une forte révolution, que de l'administrer à dose moindre et assez éloignée.”

medicamentum, quae autem omnia quamquam lectu dignissima, si cuncta enarrare vellemus, longius profecto a scopo aberraremus.

## B.

*a. Applicatio remedii antifebrilis, impedita deglutitionis functione.*

Ubi vehementia insultus apoplectici tales nervo systemati incutiantur laesiones, ut paralyticae affectiones quam plurimae exinde nascantur, in primis si paralysis earum partium locum habeat, quae deglutitionis functioni inserviunt, aut si ventriculus continuo medicamentum rejicerit, tunc primo tali in casu curandum est, ut alia via substituta, debita etiam Cort. Peruv. quantitas corpori injiciatur (1).

Tem-

(1) Exemplum tale omnis deglutitionis functionis perturbatae refert Werlhof, pag. 138., ubi in casu morbi, ait:  
 „Aegro penitus consopio et stertente et faucibus sine de-  
 „glutiendi facultate hiantibus remedium intus nullum adhi-  
 „bere possum.”

Torti, lib. 5. c. 4. p. 460. sequentem profert sententiam:  
 „qui non tolerant in stomacho hunc pulverem in unciam I in-  
 „clysteribus utiliter recipiunt; ut nobis contigit observare in  
 „muliere cum facie semper maxime rubicunda Haec enim  
 „assumptam per os chinam non tolerabat, a productio autem  
 „clystere sanata est.”

Torti, etsi hanc sententiam Scharaliae, assumserit non  
 mag-

Tempore igitur apuretico statim post paroxysmum, intestinis clysmate emolliente relaxante elutis, injiciatur clyisma v. g. ejusmodi formae:

R<sub>p</sub>. Pulv. cort. peruv. F. unc. I  $\beta$

Aq. distill. unc. V

Syr. diacod. unc. I.

Aut clyisma paratur ex infusione aut decocto cort. peruv. v. g. ad unc. I v. I  $\beta$ , quae citissime coquantur in vasis clausis angustiore apertura praeditis, et quae sedulo a contactu aeris praeserventur. Coctio aut infusio ad colaturam unciarum VI ad VIII. Clysmatis actioni coadjuvent cataplasma ampla abdomini imponenda ex pulv. Cort. Per. in aqua aut vino cocta. Accedant pediluvia cum decocto corticis instituenda, nec non balnea universalia (Alibert) (1).

Si igitur ex disputatis pauca quaedam corollaria facere velimus, in Corticis Peruv. administrandi methodo haec sunt tenenda:

#### I<sup>o</sup>. In

magni peudet clysmata, cum hanc applicandi rationem tanquam imbecillam et ancipitem rejiciat.

(1) Op. cit. pag. 359, 360.

Cf. etiam de his clysmatibus Chauffard, lib. cit. pag. 305—310. ubi pag. 306. habet: „Deux onces partagées en cinq doses égales étendues, chaque fois dans quatre onces de décoction sont le jour de l'apyrexie, injectées dans le rectum toutes les trois heures.”

I°. In hac Febrium specie citissime corticem in auxilium vocare debemus, et quidem omnibus qui buscunque praeparatis (praeparatis salinis exceptis) pulvis meracus praferri meretur: „cumi sane,” inquit Sydenhamus, „qui aliquid Cortici adjiciunt praeter vehiculum ei necessarium, aut ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorret” (1).

II°. Apurexiae angustia et symptomatum intensio requirit, ut statim a finito inde paroxysmo in usu Corticis versemur.

III°. Ex secundo articulo sponte patet, tempore intermissionis corticem esse adhibendum.

IV°. Quando vero paroxysmi adeo continuantur, ut unum in alterum transire minitetur, tum conduceat, ut declinante paroxysmo statim Cortex administretur.

V°. Uncia I, II, dosibus secundum tempus apureticum adhibendis plerumque, coadjuvante natura, sufficiunt ad sequentem paroxysmum debelandum.

VI°. Haud incongruum erit si primâ horâ totius quantitatis dimidia pars aegrotanti porrigatur, dum reliqua pars dosibus sensim decrescentibus exhibeatur. Actio enim et vis Corticis increscere videntur, si certa quantitas breviore spatio administretur.

VII°.

(1) Cf. Sydenham, *Epist. Resp. 1.*

VII°. Prae recidivae metu, oportet ut aeger per aliquod tempus perget in usu Corticis.

VIII°. Deglutionis functione impedita aliae medicamenti administrandi viae a medico eligendae sunt.

## 2.

3. *Curatio nostris temporibus convenientis.*

Postquam diu Corticis Peruviani usus quem diximus in medicina summis laudibus in curandis Febribus, tam remittentibus quam intermittentibus, celebratus erat, accidit, ut ante XII circiter annos (1820) expertissimi chemici Pelletier et Cavento u Parisiis chemica experimenta instituentes in ipso Cortice Peruv. duo invenirent alcaloidea, quorum *cinchoninum* unum alterum *chininum* dixerunt. Illud copiosius in Cort. Peruv. fusco, hoc copiosius in cortice flavo occurrit (1). Chininum, praecipue

post-

(1) *Annales de Chimie et Physique*, vol. 115. pag. 289, 315 et 340. Jam antea anno 1816. in Germania Ficinus, *Doct. et Prof. Chem. et Phys. in Ac. Chir. Med. Dresd.* de principio quod *cinchonine* vocat, tanquam medicamento efficacissimo in Febr. int. scripsit, Cf.: *Verhand. over de sulfas chininae als geneesmiddel beschouwd, bekroond en uitgegeven door de Holl. Mantsch.*, tom 15. pag. 7. door F. J. Wittman.

Add. *De usu therap. Stratingh, Scheikund. Verh. over de Cinchonine enz.*

postquam cum acido sulphurico combinationes init, egregium utique et frequentis usus medicamentum in febribus intermittentibus sanandis exhibuit, ita ut Cort. Peruv. ipsi, etiam in pulvere aut quacunque forma exhibito, anteponatur et praferatur.

I<sup>o</sup>. Quia Sulph. Chin. nobis multo accuratius determinandum esse videtur, quam ipse corticis pulvis.

II<sup>o</sup>. Sulph. Chin. medicamentum exhibit, quod propter formam et naturam omni modo commodius porrigi potest quam ipse cortex, quia in illis Febribus, quae parvam admodum habent intermissionem, licet ampla dosis requiratur, ea tamen longe minor esse debet, quam Cort. Per. ipsius, neque fere unquam ventriculum aggravare sollet. Bene igitur definita medicamenti dosis, et apta mixtio procul dubio Febrem intermittentem frangit et tollit; adeoque sponte intelligitur quanti sit va- loris in Febre, brevissimam habente apurexiā et characteris perniciosi (1).

III<sup>o</sup>.

*Van den Bosch, Waarn. omtrent de Sulphas quininæ.*

Alexander enz. in Hippocrates Magazijn, 6de deel 3de stuk pag. 265.

(1) Doctiss. Galama, M. D. in de Verh. over het ge bruik der Kina enz., uitgeg. door het Prov. Utr. Gen. 1832. pag. 87 seqq. affirmat: „ De Epidemie van 1826. heeft ge leerd, dat alle kwaadaardige Febris, Soporosae enz., door „ stoute giften van de S. chin. of voorgekomen of genezen werden, en dat in vele gevallen van Febr. sop. als „ er nog geene effusie of extravasatie plaats had, er zelfs „ midden onder het acces, door het brengen van groote gif-

„ ten

III°. Omnes fere homines in quacunque conditione versantes uti gravidae, debiliores, infantes et senes ipsum corticem non ferentes, hoc praeparatum fere semper facile ferunt, quod minime nau-seosas illas qualitates ventriculum ingrate afficien-tes, flatus intumescentiam et diarrhoeam saepe producentes habet, quam ipse Cortex Peruvianus. *Bretanneaux* enim qui sulph. chin. semper ad gra-na XII pro dosi exhibuit, affirmat, se nunquam ven-

„ ten Sulph. Chin. herstelden, die anders zeker eene prooi „ des doods zouden geworden zijn.”

Cf. etiam Sasse, *Op. cit.*, pag. 59.

Banga, *Op. cit.*, pag. 139.

Wittman libro cit., pag. 51. dicit: „ Met aandoening „ herinneren wij ons eenen jongeling, die, ten tijde der „ laatste constitutio stationaria asthemica tusschen 1803—1812. „ van eene kwaadaardige anderendaagsche koorts (Feb. int. „ tertianaria syncop) overvallen werd, en trots, het krachtda- „ digst gebruik van den kinabast in den vijfden aanval stierf, „ gelijk ook eene zeer volbloedige, reeds bejaarde vrouw, „ die wij aan eene Febr. int. apopl. verloren. Wij hou- „ den ons voor, dat, naar onze tegenwoordige ondervinding, „ beide zieken gered zouden zijn geweest, wanneer wij des- „ tijds reeds de zwavelzure chinine gekend hadden.”

Vivit adhuc et Patriae et Academiac egregie inservit Phys- sices Professor in urbe Groningana, qui Epidemia 1826. gravi afficiebatur Febr. int. apopl. quae breves adeo habebat intermissiones, ut cortex nullo modo administrari potuisset. Sulphas chin. autem in paroxysmo administratum, adeoque brevitatem apurexiae compensans eum prorsus servavit et restituit.

ventriculi oppressionem aut i nauseam ejus adhibitione ortam vidisse.

Ii etiam, qui digestione labefactata laborant, quin etiam hypochondriaci hoc remedium facile ferunt. Unde Wittmanno facile concedimus hoc medicamentum esse egregium divinae providentiae donum debilioris structurae generi humano justo tempore datum (1).

(1) F. J. Wittman, *I. I.*, pag. 54. ubi ait: „Ja, het is een goddelijk middel door de Voorzienigheid aan de beschaafde en maagzwakte menschheid te regter tijd geschenken.” Pag. 27: „Eene ongehuwde vrouw van middelbare jaren, kreeg dagelijks op hetzelfde uur cene hevige knappende pijn in de maag, die met neiging tot braking, dorst, hitte enz. vergezeld ging. Soms eindigde de paroxysme met het braken eener zure en grasgroene stof, daar de Epidemische constitutie tusschenpozende koortsen opleverde, zoo beschouwden wij dit toeval als Febr. int. lavata, en lieten in de tusschenpozing, alle drie uren vier grein chinine nemen, waarbij de aanval eindelijk geheel achterbleef.” (An tale in casu unquam cortex in substantia adhuc potest).

Bailly de Blois, *Op. cit.*, pag. 407. sequentia hac de re animadvertisit: „Lorsque l'estomac est déjà si souvent troublé dans ses fonctions, comment veut-on qu'il ait la force de digérer I, II onces de poudre de bois pour en extraire la partie amère? Aussi arrive-t-il souvent, qu'il les vomit, et alors on a fatigué le malade, sans aucun résultat avantageux. Combien de fois, dans la grande salle de l'Hôpital du S. Esprit, n'ai-je pas vu, les draps ou les planches chers couverts de quinquina rejeté. Sur 100 lits il eut été difficile d'en trouver 10, dont les draps n'en eussent pas été

His propositis argumentis, quibus Sulph. Chin.  
usus praferri meretur usui pulveris corticis, fa-  
be-

„été plus ou moins salis. Comment l'estomac ne rejeterait  
„il pas une dose aussi considérable de bois amer et nau-  
„sieux? — Le bois de quinquina, outre la partie ligneuse,  
„contient la partie résineuse, extractive, qui, sans effet con-  
„tre la fièvre, ne peuvent qu'ajouter de nouvelles matiè-  
„res irritantes, qui nuiront aux bons effets, qu'on doit es-  
„pérer du quinquina, que l'estomac extrait de ce végé-  
„tal.”

Cf. etiam Galama, *Op. cit.*, pag. 131. ubi dicit: „Hoe-  
„danig zoude het in de ziekte van 1826. met ons gesteld  
„zijn geweest, indien onze lijders aan Febris intermittentis  
„apoplectis, geheel bewustloos, in dien toestand 1, 2 of 3  
„oncen kina hadden moeten slikken, bij koortsen, waar een  
„nieuwe aanval het oogenschijnlijk gevraagd dreigt, en alles  
„daarop aankomt om den paroxysmus zoo spoedig mogelijk  
„te onderdrukken, en waar de zieke te zwak is om het  
„poeder van den bast, te kunnen gebruiken. Hoedenig zou-  
„de het geweest zijn, indien in deze boosaardige koortsen,  
„waar slechts eene intermissie van 2 of 3 uren aanwezig  
„was, men eene zoo groote menigte kina, die gemeenlijk  
„aanstonds door braking weder uitgeworpen werd, had moe-  
„ten toedienen? Alleen de s. chin. in groote giften, in  
„den tusschen tijd toegediend, werkt hier zeker; en in dit  
„opzigt alleen is reeds de uitvinding der chinine, met regt  
„eene belangrijke uitvinding voor de geneeskunde. Door  
„dezelve zijn in 1826. velen van den dood bevrijd gewor-  
„den, en kwamen er vele gevallen voor, waarin dit middel  
„alleen hulp konde aanbrengen.” Porro pag. 133: „Men  
„kan de s. chin. op alle tijden, zelfs ook onder het accès  
„veilig toedienen.”

Cf. etiam Oppert, in *Hufeland's Journat*, 1824.

cile efficitur, quare tanta aviditate nuperioribus temporibus hoc medicamentum in epidemiis fuerit desideratum, neque ad hanc rem probandam opus est, ut in memoriam revocemus ingentem Sulph. Chin. copiam, quae ex universa patria, durante epidemia febrium intermittentium in provincias septentrionales humaniter missa est.

Inprimis cura Febris apoplecticae, hoc remedio perquam simplicior redditur. Vidimus enim omnem curam eo tendere, ut scilicet sequenti paroxysmo obex ponatur et hanc curam medico injungi diximus, ut sufficiente quantitate semel et simul sumta effectus salutares, a remedio antefebri exspectari possint. Huic consilio optime respondet Sulph. Chin. cum etiam urgente necessitate sub paroxysmo applicari possit, et sic continuato usu, breviorem intermissionem qualitate sua egregia compenset.

Aequo tuto igitur et jucunde, ac celeriter hodie Sulph. Chin. tempestive applicatum, curam extra paroxysmum in Febre intermittente apoplectica absolvit.

Dosis quavis vice corpori ingerenda differt pro diverso casu morboso. Sic legimus apud Doct.

Günther, *ibidem*, 1825.

Cf. *de usilitate sulph. chin. in infantum morbis curandis*  
C. F. Tourtual, *Practische Beyträge zur Therapie der Kinderkrankheiten*, Münster, 1829.

Doct. Nyhoff (1) exempla, in quibus omni hora granum  $\beta$  hujus remedii aegrotanti exhibebatur, quae exempla sane indicabant minorem morbi vehementiam, quae parvam modo remedii dosin requirebat.

Universe magis convenit, ut majoribus dosibus insequens paroxysmus efficacius tollatur. Etenim experientia docet, saepe observari in Febre intermittente, si singulis horis unum granum ad VI grana usque assumantur, ut insequens paroxysmus vehementer exacerbetur, et veluti certamen ponat luctantis naturae contra specificum remedium, in quo tamen certamine tandem remedium morbum vincere solet (2). Certius igitur agemus, si omni horâ ad minimum grana II et III tempore apyrexiae aegrotanti exhibeamus, quae' dosis ad grana IV, V, VI et ultra augeri possit, imprimis si apyrexia brevior fuerit.

Neque absurdum videtur adhuc majores doses

qua-

(1) *Oper. citas.* pag. 73, 74, 75.

(2) Hujus loci sunt verba a doct. Bailly, pag. 294. assumta: „ Ce fièbrifuge semble encore quelquefois allumer „ la fièvre après la première prise, mais il ne l'augmente, „ que pour la mieux combattre, et ce désordre apparent est „ la marque la plus assurée de son triomphe; car plus il a „ rendu un accès violent, plus on est assuré, qu'il ne sera „ pas suivi d'un autre.”

Ab hac vero post sulph. chin. usum exorta febris exacerbatione, nihil mali metuendum est in febre intermittente vulgaris; at vero in febre perniciosa apoplectica paroxysmus insequens non exacerbari sed prorsus destrui deberet.

quavis vice porrigeret, ubi symptomatum vehe-  
mentia aegrum vexet, et ubi summum vitae pe-  
riculum ab insequente paroxysmo sit metuen-  
dum (1).

(1) Saepius laud. Bailly, pag. 254. *Oper. cit.* exemplum  
Febris intermittentis algidae exhibet, in quo durante ipso  
paroxysmo 9 gr. sulph. chin. dedit, imo innocue 110 gr. de die  
hujus remedii exhibuit. Pag. 475. invenimus eum 15 gr. tribus  
dosibus divisis porrexisse.

Cl. Thomassen a Thuessink, in ejus lib. *Alg. over-  
zigt der ziekte, welke in 1825. te Groningen geheerscht  
heeft*, pag. 25. habet: „ Voor velen doodelijk was de febris  
„ soporosa of apoplectica, welke somtijds geheel onverwachts  
„ de zieken, die te voren zeer wel schenen te zijn, als het  
„ ware overrompelde, en soms in het eerste acces, maar  
„ meer in het snel daaropvolgende doodelijk werd. Somtijds  
„ was dit acces met geweldige stuipen, een opgezet en rood  
„ wezen enz. vergezeld, en vorderde onmiddellijk eene ruime  
„ aderlating, bloedzuigers aan het hoofd, klisteren enz.  
„ Wanneer het acces bedarde, moest men aanstonds sterke  
„ giften van de sulph. chin. geven. Wanneer men het geluk  
„ had, dat het tweede acces niet spoedig volgde, en  
„ daardoor tijd had om 20 of 25 grain sulph. chin. inte-  
„ brengen, was de lijder meestal behouden. Doch niet zel-  
„ den volgde het tweede of derde acces zoo spoedig op het  
„ eerste, dat alle hulp vergeefs was, en de zieke daarin  
„ bleef.”

Chauffard, lib. cit., pag. 825. in casu morbi sequentia  
ait: „ dès que l'instant de l'Apyrexie se manifeste, il prend  
„ 30 grains de sulph. de chin. divisés en 6 bols, à peu  
„ d'intervalle les uns des autres. — l'Accès ne reparait pas  
„ et il retourne au champ 8 ou 10 jours après.”

## §. 4.

*Cura stadii Revalescentiae.*

Regimen vitae et diaeta in hoc morbo ita instituantur ut aegrotantis vires superstites non diminuantur, sed sustineantur et instaurentur.

Vitae regimen igitur sit tranquillum nullis animi pathematibus commotum.

Diaeta sit leniter instaurans petenda ex victu blando nutriente non nimis stimulante. Utatur igitur revalescens carnibus vitulinis aut bovinis tenuioribus, aut gallinaceis, jusculis carnis, et vegetabilibus nutrientibus, qualia sunt hordeum, oryza, sago.

Evitentur omnes potus spirituosi, at vero modica quantitas vini generosi non nocebit.

Diaetae accedat medicatio instaurans, ex iis medicamentis quae aut stimulo naturae amico, aut blanda nutritione aegrum reficiant, qualia sunt radix gent., vinum amarum, extractum helenii, decoct. c. p. aut lichen islandicus, gelatina cornu cerv., ichtyocolla, pulvis arrow root, jejuno ventriculo assumendus.

## §. 5.

*Cura Recidivae.*

Ne morbus recidivam patiatur, in quam in-  
dole (1) sua pronus est, convenire videtur,  
ut aeger, non statim ab usu remedii specifichi  
abstineat, sed illud potius assumere perget, po-  
tissimum illis diebus, quibus si morbus perstitis-  
set, accessus febrilis observatus esset. Hanc ob-  
rem J. Grainger (2) habet: „Quapropter quan-  
„do plane Febris quieverit, non solum pharmaca  
„sumere, sed ejus diei diu meminisse, quo invade-  
„re debuit, convenit; eaque vitare frigus, calo-  
„rem, cruditatem, lassitudinem.” — Banga (3),  
„Op die dagen, waarop anders de koorts plag-  
„intevallen, gaf ik des voormiddags IV of V grein  
„Sulph. Chin. in poeders van één grein, en op  
„de tusschendagen, niets.”

Itaque in Febre intermittente apoplectica, tertiana  
v. g. convenit, ut alternis diebus Sulph. Chin. as-  
sumat aeger solum, aut aliis remediis junctum,

(1) Illi morbi acuti, qui post nullam aut imperfectam cri-  
sin resurgunt ab Hippocrate et Galeno, tanquam prio-  
rum morborum continuationem habentur.

Kloekhof, *Op. Med.*, pag. 262.

(2) *Loco citat.* pag. 20.

(3) *Loco citat.* pag. 145.

si illud pro re nata conveniat, donec omne semi-nium Febrile destructum sit (1).

Sanatus a morbo porro diu summam gerat curram, ne vitia diaetae aut vitae regiminis committat, imprimis abstineat a causis, quas tanquam excitantes hujus Febris antea recensuimus. Quia in re haec in primis cautio ipsi tenenda est, ne vespertinis horis in aëre aperto ambulet aut se-deat.

Si vero accidat, ut non obstante bono regimine tamen recidiva facta sit, nova Febris ante dicta methodo curari oportet.

(1) Fuerunt qui ponerent, Febrem intermittentem apoplecti-cam sulph. chin. tractatam multo citius recidivam pati, quam quidem si ipso cortice in substantia esset tractata. Quod tamen ita explicari debet, non acsi cort. per. sulph. chin. super-raret vi Febrisuga, sed ita, ut debilitatem et atoniam remanentem auferendo quominus recidivam patiatur morbus, impeditat. Quod igitur probat ipsum cort. per. omnino re-valescentiae stadio esse praeserendum.

Cf. Doct. Miquel, *Verh. über die Epid.* v. 1826. in *Horn. u. s. w. in Archiv. für Med. Erfahr. Jan. Febr. 1-84.*

Ex hujus Miquelii, obs. patet omnes aegrotantes qui solo sulph. chin. tractati fuissent, omissa cort., in stadio reconva-lescentiae, post 14 dies recidivam passos fuisse.

Recte igitur Werlhof docet: „non exspectandum esse, „donec Febris denuo caput exseruerit, sic enim fere ut re-„novanda veniat tota medicamenti dosis, quasi de eo nihil „adhuc devoratum esset.”

## §. 6.

*Cura Morborum secundariorum.*

Quandoquidem morbus, de quo disputavimus, characteris perniciosi, naturâ suâ ad Febres intermittentes referri debet, hinc nullo modo directe ad morbos plerumque post genuinae apoplexiae insultum secundarios, tendit. Attamen saepius accidit, ut tali symptomate perniciose magna nerveo systemati inducatur commutatio, atque paralyses, aliique morbi vulgarium Febrium intermittentium haud secundarii, evolyantur.

Haec paralytica affectio requirit remedia interna et externa, quae illi semper opponi solent. Ad interna remedia praecipue pertinet infusio florum arnicæ, radicis pyretri, oleum et spiritus lavendulae cet. (1). Ad externa balnea vaporis, quibus incoctæ sunt species aromaticæ, balnea stillatitia, spiritus fortes affectis partibus frictione insinuandi, frictio frequens et verberatio partium urtica urente instituenda. Motus continuus partium affectarum sustentandus est. Electricæ scintillæ partibus affectis admotæ saepe ingentis sunt utilitatis.

Ver.

(1) Cf. Julianius, *Op. cit.*, pag. 169.

Vertigo saepe à morbo remanens infusione radicis valeriani tractari debet, saepius autem ad mortem usque remanet.

Aliae morbosae affectiones quae remanere possunt a paroxysmo Febris intermittentis apoplecticae, ex indole et natura sua curenur oportet.

§. 7.

*Cura Prophylactica, quae continet illa artis auxilia, quibus princeps hujus morbi causa miasmatica, quantum fieri possit, destruatur.*

Ex institutionibus chemicis novimus anno 1773. immortalem virum Guyton Morveau primum fuisse, qui de depurando aëre atmosphaericō atque contagione destruenda, egregie meruit et veram methodum accurate definivit (1), ita ut universa gens humana fumigationibus illis a recentioribus emendatis multum emolumenti ceperit.

Perquam enim cognitum est, quot quantaque sint commoda, quae profluunt ex his fumigationibus sive ex praescriptione hujus Chemici administratis, sive adhibitione illorum praeparatorum, quae nomine chlo-

(1) Cf. Guyton Morveau *Traité des moyens de désinfecter l'Air, de prévenir la contagion et d'en arrêter les progrès.*

chlorureti sodae aut chlorureti calcis veniunt, confessis. In nosocomiis majoribus et in locis infectis et in aegrotantium cubiculis secundum legem artis adhibitae, multa commoda afferunt et multo nomine praferenda sunt illis fumigationibus, quae ex aromaticis, resinosis, bituminosis aliisque antea peti solebant.

In epidemia igitur hujus Febris ex causa universalis miasmatica orta, oportet, ut in quavis domo et quovis loco publico, quotidie gnayiter instituantur tales fumigationes, quales etiam plurimis in patriae urbibus jussu magistratus eo tempore, quo variolae, morbilli, aut scarlatina epidemicè grassantur, adhiberi solent (1).

(1) Cf. de hisce Thomassen a Thuessink, quo inter alia pag. 81. dicit: „Wat men ook zeggen moge, ik heb „zoodanige duidelijke voorbeelden van uitwerking dezer be- „rooking ondervonden, dat geene negative proeven mij van „het tegendeel zullen kunnen overtuigen.”

Cf. F. A. L. Popken, in *Hist. Ep. Malign.* 1826. Jevversae observatae pag. 28. refert: „data occasione, quum in „aedibus hujus loci militaribus fossae perquam paludosae ap- „positis, novi quotidie a morbo corripereunt milites in eodem „cubiculo fossæ memoratae quam proximo degentes, has „fumigationes, quae a Clar. Guyton Morveau nomen „traxerunt experimenti gratia adhibendas curavi; eo quidem „cum effectu, ut ab hoc inde die *nemo* militum hoc in cu- „biculo degentium correptus amplius fuerit, dum antea duo „quotidie morbo succumberent.”

Cf. Van Stipriaan Luicius, *Prijsverh. over de Chloor-berooking in de nat. verhand. der Haarl. Maatsch.*, deel 13.

Recentiorum chlorii combinationes in aqua solutae, etiam prodesse possunt forma lotionum, aut frequentis adspersionis publicarum viarum cum his institutae. Hinc mirandum est has fumigationes aliquando nullius haberri valoris, atque iis ventilationem cubiculorum et vapores ex aceto vini a nonnullis praeferri (1).

Alii vero harum fumigationem laudes latius extendunt, atque commendant largissimas chlorii fumigationes per aërem apertum spargendas, ut sic causa miasmatica destruatur, et aër atmosphaericus his vaporibus saturatus qualitatibus suis noxiis, privetur. Sic doctissimus W. F. Buchner, in *Comment. praemio ornata* (2), habet: „ De „ zee-

Hic medicus Batavus omnibus notus affirmat in quocunque casu prôdesse has fumigationes et earum laudes etiam extollit, ubi in magnis sunt adhibendae.

Quam Anglo-Britanni A°. 1809. Patriae urbem Vlissingen, igni ferroque inhumaniter devastarent, omnes fere Gallo Franci his fumigationibus praeservabantur a Febribus malignis.

(1) Cf. Cholera rapport, pag. 113. et dissertationcula Doct. E. Horn, „ de Cholera, zoo als die te Berlyn waargenomen is.

Huic sententia etiam favet Doct. J. H. Janssen, in *Opusc. de Cholera*, pag. 17, ubi habet: „ het doen van beroedingen, ten minste 3 maal daags, in de ziekenzalen, is ook zeer aantebevelen. Men neme slechts eene ijzeren pan, waarin een gloeiende, met wijnazijn begoten kogel gelegd wordt. Deze beroeding is eenvoudig, en brengt den lijder, eene aangename verfrisschende lucht toe.”

(2) Cf. *Verhand. der Haarl. Maats.*, deel 2. pag. 38. art. f.

„ zeezoutzure berookingen in het groot , op de  
„ minst kostbare wijze in het werk gesteld.” —  
In hoc articulo scribit: „ Het gevaar , waarin het  
„ leven en de gezondheid van duizende menschen  
„ zweven , zal voor een liberaal en menschlie-  
„ vend Gouvernement eene genoegzame reden zijn ,  
„ zich , met terzijde stelling van alle financiële be-  
„ trekkingen , alleen met het belang van zoovele  
„ ingezetenen te bemoeijen .”

B a n g a , autem (*Op. cit.* pag. 125.) hanc opi-  
nionem rejicere videtur , quando scribit: „ Grootsch  
„ en verheven is het denkbeeld om door kunst-  
„ matige berookingen geheele gewesten te zuive-  
„ ren van schadelijke dampen , wanneer de hitte  
„ des zomers de moerassen langzaam uitdroogt ,  
„ en de zaden der ziekte wijd en zijd zich ver-  
„ spreiden. — Dat de voorgestelde berookingen  
„ den stank der moerassige uitwasemingen zou-  
„ den kunnen wegnemen , is niet onwaarschijn-  
„ lijk , maar , of met de vernietiging van deze  
„ éénige waarneembare eigenschap , de geheele  
„ schadelijke invloed dier dampen kan worden  
„ weggenomen , dat durven en kunnen wij niet  
„ beslissen .”

In illis locis ubi miasmata ex vastis plagis ar-  
gillosis , paludosis , aqua non rite tectis exhalen-  
tur ; necesse est ut magistratus sedulo curet ,  
ut harum plagarum superficies , quantum fieri  
possit , cito aqua inundetur , experientia do-  
cen-

cente paludes aqua bene submersas innoxias esse (1).

Si miasmata artificiali exsiccatione locorum antea inundatorum suscitata sunt, tunc loca illa nuperime exsiccata, cito arboribus et frugibus sunt consérenda; vegetabilia enim, ut notum est, aërem atmosphaericum depurant. Ubi illud commode fieri potest in regionibus illis et locis miasmate infectis per diuturnum tempus ignes bene instructi alantur, explosiones fiant pulveris pyrii, et pix liquida magna quantitate simul comburatur; quae omnia auxilia saltem aliquo modo aërem rarefaciendo, miasmatum cursum et directionem deviare valent.

Prophylactica tandem cura, quae singulos homines spectat, summopere augetur, si hi grassante epidemia quantum fieri possit ab aëris vicissitudinibus se abstineant, cutis functionem nullo modo turbent, modice vivant, perspirationem sustineant calidis vestibus, animi hilaritatem conservent nec morbum timeant; nunquam jejuni foras exeant, atque si plethorac nimiae signa adsunt venam sibi secandam curent, imprimis autem negligant perversum illum morem, vespertino tempore extra domus in plateis ad familiaria colloquia se colligendi; frigore enim vespertino omnis generis terrae

ex:

(1) Cf. idem Büchner, *Comment. saep. cit. v. Paets v. Trootswyk*, pag. 35.

exhalationes condensantur et in minus volumen rediguntur, unde quavis respirationis actione major copia aëris miasmatibus scatentis, forinsecus corpori ingeritur, quam si tempore diurno aestu solari expansae in majus quidem volumen, sed in minorem autem massam redactae sunt.

## A P P E N D I X:

---

Finem nunc disquisitioni nostrae qualicunque tandem imponere possemus, nisi appendicis loco duo saltem morbi casus adjungendos duceremus, unum a Clar. Torti alterum a me observatum.

Eo autem proposito hosce adjecimus, ut omnium eorum, quae in commentatione habentur, brevis quasi conspectus habeatur.

*Casus Morbi a Cl. Torti (Op. cit. pag. 293.)  
observatus.*

„Decumbebat dupli tertiana intermitte intensa tamen detentus Comes Alphonsus Saxus, in medio cursu floridae adolescentiae suae, eumque curabat Doct: Riccius.

In quodam graviore paroxysmo circa XIV morbi diem incidit ille repente in soporem profundissimum, a quo difficillime exergiscebat. Gravitas symptomatis et extraordinaria Febris intensio, eo

ad-

adjuncto manuum tremore, qui bibentem in actione penitus impediebat, amantes parentes impulit ut alterum etiam medicum consulerent. Arcessitus ego, vespere inveni illum gravissimo somno oppressum, non respondentem etsi alta voce vocatum, vixque oculos aperientem, dum valide concuteretur et dolorificis cruciaretur irritamentis. Apposuerat ideo medicus vesicantia, antea venae-sectionibus institutis. Circa noctis primam horam supervenerat particularis et minuta sudatiuncula cum majore Febris intensione universalis tendinum subsultu et lethargo adjuncto, insuper narium stertore et spiritu sublimi. Metuens ego, ne in illa ipsa accessione diutius protracta occumberet aeger non ausus sum chinam proponere, nisi sub conditione quod pulsus post aliquot horas explorandus ab assidente juniore medico mecum praxin observante polliceretur securitatem protrahendae vitae in alteram saltem accessionem. Adstantem monui; ut adimpta conditione, quam illi indigitaveram, ex pulsu dignoscenda, in noctis decursu drachmas III Cort. majori qua posset celeritate, exhiberet aegrotanti, dummodo is deglutire non prohiberetur a somniculosa sane stupiditate. Deo dante, qua diligentia paracta fuere animae negotia in lethargico, eadem quoque fuere absoluta reliquum morbum respicientia per oblationem corticis et mane paucula aliqua observata est Febris remissio, ut et aliqua mentis et sensuum alacritas.

tas. Atque ideo cum ea die levior tantum accessio fieri consueisset, speravi continuationem remedii posse tempestive impedire paroxysmum graviorem atque adjunctum soporem. Tertio quoque die, ut mox intellexi aliquo modo etiam ante recurrere solitum. Sed eâ ipsa die vehementer adhuc facta est exacerbatio, cum motibus convulsivis et lethargo fortiore, ita ut nec per capillorum evulsionem, nec per aliam quamcumque dolorificam vim illatam responderet, dimoveretur, aut oculos aperiret. Tunc vere credidi morteni imminere cortice ante paucas horas oblato, ad eam impediendam, haud satis idoneo, propter viciniam insolitam, insolitam vehementiam talis accessionis, etsi alioqui major Febris accensio ab epota china china nonnunquam contingens in bonis haberi solet, ab auctoribus, quod et ipse non semel observavi. Repetito sub accessione, debito modo sale volateli viperino administrato et coadjuvante natura juvenili robusta, sustinuit ille revera eandem accessionem, in cuius progressu aliqua facta est soporis diminutio. Propterea statim repetitus est cortex ad unciam  $\beta$  dupli haustu febrisque post aliquot horas cum lethargo remittere coepit. Cum vero appropinquasset hora gravioris accessus, qua obitum illius sibi nuntiari metuebat exspectabatque trepidans afflictæ genitrix, loco novae accessionis, major apparuit veteris declinatio, in tantum, ut ea ipsa die vegetus men-

tis

tis ac sensuum et quoad Febrem satis leviter se habens, ab omnibus vel rudibus vel famulis nedum amicis atque nobilibus evidenter cognitus fuerit. Procedente igitur per gradus levamine et continuato juxte methodum chiae chiae usū brevi remansit a reliquis Febrilibus liber, ut statim a periodo liber remanserat et a soporoso symptomate. Febris solutionem comitata est copiosa prius, ac critica urinarum excretio. Mox et diarrhoea spontanea, non sine infectione mucosa et subcruenta, cet. Sic integrum nactus est ille valetudinem sine ulla recidiva."

Hic casus morbi nobilissimi Torti verbis depictus, nobis egregium exemplum exhibit circumscriptionis strenua ipsius corticis adhibitione institutae.

*Casus Morbi a me observatus.*

*Anamnesis.*

A. S. J. fēmina aetatis anno 48, constitutionis sanae, corporis staturae procerae, nullo modo ad apoplexiā dispositae, nunquam antea morbos majoris momenti passa, plurium infantum māter, post praegressam cephalalgiam horrorem et horripilationem die XXI Septembris hujus anni, subito apoplectice decubuit, versus horam pomeridianā VI.

Statim cognati me adeunt, enixe precantes, ut

ut subito ad aegrotantem jam morientem (ut videbatur) accedam. Extemplo me ad eam consultuli.

*Conditio praesens.*

Inveni feminam supinam, cum facie livida, intumescente. Extremitates frigidae erant et insensibiles, oculi aperti, atque pupilla dilatata, immobilis. Os pertinaciter clausum, cum ingratissimo stridore dentium, stertor narium adeo gravis, ut quasi ronchus in profunde dormientibus saepe observandus, audiri videretur. Pulsabunt vehementer arteriae carotides, et mentis conscientia prorsus deleta videbatur. Pulsus radialis, irregularis, frequens, intermittens sentiebatur. Brachium sinistrum per intervalla sine voluntate attollebatur, atque mox gravitate veluti plumbea decidebat. Spuma os obsidebat, tremebat labium inferius, dentes vehementer stridabant, os hiabat, et oculi semiclausi erant. Statim praescripsi julapium antiphlogistico - temperans ex saturatione sub carb. pot. in acet. vini, aq. hord. diluta, addito oxymell. simpl. extr. gram. et elix. salut. Sinapismi ruta graveolenti instructi suris applicabantur, et ob summam congestionem atque conjunctivae injectionem quinque hirudines utrimque capitis temporibus apponebantur. Capitis positio erecta servabatur, pariter pedes declinantes ponebantur. Hisce vero non sufficientibus venaefectio-

unciarum VIII instituebatur. Interrogavi adstantes , qui , ut in anamnesi dictum est , affirmabant eam dolore capitis laborasse , frigoris sensu subito fuisse correptam , et tandem apoplectice decubuisse.

Applicatis artis auxiliis , inconscia tamen et consopita manebat , ita ut neminem audire , neque stimulos percipere videretur.

Versus horam vespert. IX paroxysmus diminui videbatur: versus horam X cum suspirio magno palpebras aperire et adstantes observans videre et intelligere incipiebat , sudore simul madens et de ingenti debilitate , miserrima voce querens. Urina exacte in vase apto conservata erat.

### *Decursus.*

Die sequente XXII Sept. a Febre omni libera deprehendebatur , atque cephalalgia et debilitate exceptis , bene valebat. Ratione habita constitutionis hujus feminae , ejusque staturalae procerae , cum collo longiore , nunc intellexi affectionem hesternam esse *Febrem intermittentem apoplecticam vere larvatam*. Cui opinioni favebat anni tempus autumnale , res adjunctae et perfecta hodie apurexia. Praescripsi igitur pulveres ex sulph. chin. dosi granorum II omni horâ sumendos.

Die XXIII Sept. hora  $5\frac{1}{2}$  pomeridiana aegram adii , ut si fieri posset , inde ab invasione observarem redeuntem paroxysmum. Hactenus femina nul-

nullam molestiam perceperat. Urina heri missa nullum sedimentum depositum. Hora VII autem uno veluti momento, universus rediit paroxysmus, atque praegresso horrore ingente, adeo saeviit ut metuerem feminam paroxysmi decursui sustinendo imparem futuram. Excepta venaesectione, eadem curatio. Sustinuit tamen insultum ita, ut versus horam XI libera fuerit a febre.

Die XXIV Sept. Tempus apurexiae perfectum, levis tantum capitis dolor, urina lateritia, summa debilitas, atque rerum suarum prorsus conscientia maritum et infantes, debili saltem voce alloquebatur et consolabatur. Eadem cura antifebrilis.

Die XXV paroxysmus non rediit, hora VII quidem incalcescet et inquieta evadet, nulla vero apoplexia symptomata.

Die XXVI bene valebat, debilitate excepta et susurro aliquo aurium. Urina mansebat lateritia. Confortantia et nervina praescribebantur.

Die XXVII. Conditio emendata, assumpsit (est nempe dies alioquin Febrilis) VI gran. sulph. chin. instaurantibus et nervinis interpolatis.

Die XXVII. Querebatur aegrota de torporis sensu brachii sinistri et pedis, quae vero affectio remediis externis stimulantibus tractabatur.

Sic pedetentim bono regimine, apta diaeta et medicatione, coadjuvante natura in pristinam valitudinem restituta fuit affecta ita, ut tribus hebdo-

madibus a primo paroxysmo elapsis, publice pio animo Deo gratias agere potuerit.

*Epicrisis.*

Haec qualiscunque historia morbi luculentissimum, ut mihi videtur, Febris intermittentis apoplecticae larvatae et sporadicae exemplum exhibit.

Neutquam enim haec femina constitutione, aut vitae regimine ad apoplexiā erat praedisposita. Lauta enim diaeta non tantum carebat, verū etiam aerumnarum cohorte, paupertate, omnibusque vitae aërumnis laborabat.

Praeterea hunc morbum solitae causae Febris intermittentis vulgaris produxere. Per diuturnum tempus aegra victu usa fuit duro, in habitaculo ventis patentē et humido degit, unde refrigerio saepè fuit exposita postquam corpus antea incaluisset, (erat enim lotrix), et tristibus animi pathematisbus diu commota erat.

Haec igitur sunt Viri Clarissimi! quae responda ad propositam quaestionem habeo.

Honoris studio minus, quam dilectissimae Patriae amore, eo ductus sum, ut gravissimum hoc argumentum tractare ausus sim; quippe persuasum mi-

mihi habens, elaborationem hujus disquisitionis perutilem fore ad rectam intelligentiam naturae atque curationis illius morborum generis (Febris intermittentis,) quod in Patria nostra haud infrequens, majore etiam et pleniore omnium medicorum studio dignissimum est habendum.

## T A N T U M.

*Quodcumque e pectore rivi  
Fluxerit, hoc Patriae serviat omne meae.*

PROPERTIUS.

IN.

## I N D E X.

PAG.	
PROÖMIUM.	• • • • •
INTROITUS.	• • • • • • •
C A P U T I.	
CONTINET UNIVERSI MORBI RATIONEM, AT- QUE DIAGNOSIN FEBRIS INTERMITTENTIS APOPLECTICAE E CAUSIS ET SYMPTOMATI- BUS PETENDAM.	• • • • • • • 8
§. 1. <i>Definitio et Divisio.</i>	• • • • • —
§. 2. <i>Symptomata et delineatio morbi.</i>	• • • 10
α. <i>Symptomata morbum antecedentia</i>	• —
β. <i>Symptomata paroxysmum declarantia.</i>	11
γ. <i>Symptomata extra paroxysmum obser- vanda.</i>	• • • • • 17
§. 3. <i>Morbi decursus.</i>	• • • • • 20
§. 4. <i>Genuinus Morbi Character exemplis illus- tratus.</i>	• • • • • 23
<i>Exemplum I.</i>	• • • • • 25
<i>Exemplum II.</i>	• • • • • 26
<i>Exemplum III.</i>	• • • • • 27
§. 5. <i>Diagnosis morbi.</i>	• • • • • 30
1°. <i>Causae Praedisponentes.</i>	• • • • • 31
2°. — <i>Excitantes.</i>	• • • • • 32
Symp-	

<i>Symptomata Febris apoplecticae insul-</i>	
<i>tum annuntiantia. . . . .</i>	33
<i>Symptomata indicantia genuinam Apo-</i>	
<i>plexiam. . . . .</i>	34
<i>Diagnosis, ratione symptomatum. .</i>	—
<i>Diagnosis ratione decursus. . . . .</i>	36

## C A P U T II.

**CAUSAS EXPOSIT IMPRIMIS PATRIAE NOSTRAE  
PROPRIAS, E QUIBUS FEBRES INTERMIT-  
TENTES APOPLECTICAE ORTUM DUCUNT.** 43

§. 1. <i>Generalis causarum remotarum Febrium intermittentium consideratio. . . . .</i>	—
<i>Praedisponentes. . . . .</i>	47
<i>Excitantes. . . . .</i>	—
§. 2. <i>Causae Patriae nostrae propriae, e qui- bus Febris intermittens apoplectica or- tum ducit. . . . .</i>	53
α. <i>Generales. . . . .</i>	—
β. <i>Speciales. . . . .</i>	69

## C A P U T III.

**MORBI NATURA, ATQUE PROGNOSIS. . . . .** 73-87

## C A P U T IV.

<b>CURANDI RATIO. . . . .</b>	91
§. 1. <i>Curationis indicationes. . . . .</i>	—
§. 2.	

	Pag.
§. 2. I <sup>o</sup> . <i>Cura paroxysmi (Palliativa)</i> . . .	92
§. 3. II <sup>o</sup> . <i>Cura antifebrilis, extra paroxysmum instituenda (radicalis)</i> . . . . .	98
α. I. <i>Administratio Cort. Peruv. antea laudata</i> . . . . .	99
β. 2. <i>Applicatio remedii antifebrilis im- pedita natura deglutitionis functione</i> . 104	
γ. 3. <i>Curatio nostris temporibus conve- niens</i> . . . . .	107
§. 4. III <sup>o</sup> . <i>Cura stadii Revaläsentiae</i> . . . . .	115
§. 5. <i>Cura Recidivae</i> . . . . .	116
§. 6. <i>Cura Morborum secundariorum</i> . . . .	118
§. 7. <i>Cura Prophylactica, quae continet illa artis auxilia, quibus generalis hujus morbi causa miasmatica, quantum fieri possit destruatur</i> . . . . .	119
<b>APPENDIX</b> . . . . .	<b>125</b>
<i>Casus Morbi a Cl. Torti (Op. cit. pag. 293.)</i>	
<i>observatus</i> . . . . .	—
<i>Casus Morbi a me observatus, ejusque</i> . . . .	128
1 <sup>o</sup> . <i>Anamnesis</i> , . . . . .	—
2 <sup>o</sup> . <i>Conditio praesens</i> , . . . . .	129
3 <sup>o</sup> . <i>Decursus</i> , . . . . .	130
4 <sup>o</sup> . <i>Epicrisis</i> . . . . .	132













